INSTITUTIONUM CANONICARUM

LIBRI TRES

AD USUM SEMINARII NEAPOLITANI

AUCTORE

IULIO LAURENTIO SELVAGIO

CUM ANIMADVERSIONIBUS ATQUE ADDITAMENTIS

IOSEPHI ROMANI PRESB. NEAP.

IN ARCHIEPISCOPALI LYCEO

UTRIUSQUE IURIS ANTECESSORIS SUBSTITUTI

Editio altera auctior et emendatior

TOMUS I.

Δευτεραι φροντιδες σοφωτεραι.





Neapoli

EX TYPOGRAPHEO AD SIGNUM ANCORÆ

MDCCCXLVI

Nolite errare fratres charissimi, doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. En instituta Apostolorum, et apostolicorum virorum, canonesque habetis. His fruimimini. — Iulius I. Papa epist. III. cap. 1.

Nulli sacerdotum liceat canones ignorare. — Coelestinus P. epist. III. cap. 1.

Ignorantia mater cunctorum vitiorum maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, quorum labia custodire debent scientiam. Sacras igitur Scripturas legant, et ecclesiasticos canones sciant, praesertim in iis, quae ad munera sua recte praestanda necessaria sunt, ut aedificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina. — II. Syn. provinc. neap. tit. IX. cap. V. ex conc. toletano III. can. XXIII.

AD STUDIOSAM

SACRORUM CANONUM IUVENTUTEM

IOSEPHUS ROMANUS

Iulium Laurentium Selvagium acris ingenii, ac multiplicis eruditionis virum inter scriptores de Re Canonica, qui saeculo XVIII. floruernnt non ultimum tenuisse locum, nemo unus ignorat. Is enim bono Ecclesiae natus, deque re literaria optime meritus, singulari utriusque iuris doctrina apprime subactus maxime inclaruit. Quibus scientiis cum satis excultus videretur ad iuris cathedram in archiepiscopali nostro lyceo evectus, informandis adolescentibus diu studiose animum intendit. Scripsit vero *sex volumina de antiquitatibus ecclesiasticis* : opus utique numeris omnibus absolutum, tantaque cura, et diligentia elaboratum, ut cupidae sacrarum rerum iuventuti satis, superque facere potuerit : deinde *commentaria heinnecianis institutionibus* intexuit, quibus alienum opus ita supplet, auget, enucleat, ut magis eum illustrasse, quam ab eo illustrari videatur: *denique hasce iuris ecclesiastici praelectiones*, quibus mira perspicuitate, et concinnitate canonicae iurispruden-

*

tiae originem, naturam, progressum singulis titulis proposuit, nervumque rerum, quae in pluribus voluminibus disiectae occurrunt, mira facilitate sic congessit, ut eae vel mediocribus ingeniis pateant. Quare factum, ut nostra non solum, verum etiam extera gymnasia pro ecclesiastica iuventute in Re Canonica erudienda tam eximium opus exquisitis praeconiis celebrarint.

Certe quidem non ignoramus quamplures vel optimae notae scriptores fuisse, qui ecclesiastici iuris institutiones literis mandarunt. Atvero parum utilitatis Cleri adolescentes ex iisdem capere posse. neminem latet. Quidam enim (ut illos praetereamus, qui perversis doctrinis incautos animos transversos agunt) contracta nimis methodo, perpauca de Re Canonica exiliter exhibent, ita ut fere ieiunos tirones relinquant: quidam vero nimia rerum copia, eruditione, atque varietate ita mentem obruunt, ut rudis adolescentium animus ad illa percurrenda impar prorsus evadat: in aliis denique ea, quae ad peculiarem huius Regni neapolitani politiam spectant, omnino desiderantur.

Quae cum ita se habeant. neapolitani Cleri adolescentibus consilium nostrum probatum iri confidimus, si elementa isthaec, quae intra scholastici anni orbem facile tradi possent, recudenda curaverimus. Ut vero hoc praestantissimum opus integrum, absolutumque redderemus, simulque aliquid aptius aetati nostrae atque opportunius exhiberemus, praeter tractatus *de vera Christi Ecclesia*, *de primatu Romani Pontificis*, *de veteribus finibus patriarchatus romani* aliqua additamenta, et animadversiones duximus passim attexendas, antequam illud iterum in publicam lucem ederetur. Profecto permulta ad ecclesiasticam disciplinam spectantia novissimo iure exolevisse, multaque nova apud nos invecta esse, nemini impervium. Ne tirones igitur illa, tamquam obtinentia iura accipiant, recentiaque haec maximo suo, et reipublicae damno ignorent, nos ipsorum utilitati inservientes (quatenus pro ingenii tenuitate licuit) recentiorum Pontificum constitutiones. peculiarem utriusque Regni politiam, breviter, quoad eius fieri potuit, persecuti sumus.

Quantum vero emolumenti inde adolescentes capturi sint, et quantum pretii huic operi accessurum sit, facile quisque intelliget. Et siquidem hunc laborem necessario esse suscipiendum quotidianae testantur eorum postulationes, qui studiosae iuventutis utilitati consulentes tam fructuosas notiones, quibus plurimum indigebant, suis efflagitarunt studiis. Sic in hisce praelectionibus clericis Rem Canonicam addiscentibus nihil deerit, quo facilius, et plenius ecclesiasticae iurisprudentiae doctrinis imbuantur, atque ad maiora, et graviora momenta controversiarum rite aestimanda, aptiores reddantur.

Agitedum adolescentes, opus amplioribus, quam antea, auctum incrementis, aequi bonique accipite, et praeclaram occasionem strenue urgentes, eo curas, et contentiones vestras intendite, ut penitiorem sacrorum canonum intelligentiam assequamini. Valete.

PRAEFATIO AUCTORIS

Mirari vel ipso vestibulo subit, qua de causa veteribus, recentioribusque Canonici Iuris institutionibus sane multis, ac politioribus quidem, novam hanc nostrarum accessionem non sine adolescentium studiosorum incommodo, atque etiam fastidio meditemur.

Verum alia nobis mens, consilium aliud: non enim quidquid in rem canonicam undecumque derivari potest (quod quidem doctissimi quique, non sine summa laude praestitere) huc congerere cogitavimus; sed ecclesiasticis tantum adolescentibus id Canonici Iuris solum proponere, quo et eorum mens potioribus principiis informaretur, et animus sanioribus regulis, quantum ad eorum munia satis est, imbueretur. Quod quidem aliter effici non posse credidimus, nisi canonum et historiam, et *συνταξιν nexum*, *et σκοπον finem* brevi quidem, at perspicua methodo persequeremur. Id vero non opportunum modo, ac proficuum, sed propemodum necessarium duximus.

Et quidem quantum ad canonum historiam, quem latet, aut etiam latuit, quam multa ex historiae canonicae ignoratione errata defluxerint, offusa spissa super canones ipsos, eorumque sensum, mentemque caligine? quam multa etiam genuinis fallacia, integris interpolata, authenticis adulterata, vel imperitia, vel audacia, vel dolus, frandesque admiscuerint? Quot canones antiquis conciliis, quot placita veteribus Romanis Pontificibus, quot sententiae vetustis Ecclesiae Patribus partim fal-

sae, partim dubiae fidei, quamplures vero interpolatae, et corruptae adfictae fuerint? Quid quod synodi ex integro simulatae, atque in medium allatae sunt, quae fucum facerent historiae imperitis?

Quae quum ita sint, quisnam sinceras regulas ab ψευδεπιγραφοις, quis disciplinae ecclesiasticae capita in Episcoporum coetibus sancita ab inductis abusionibus discernet, nisi historiae praesidio munitus? Si canonum historiam ante oculos habuissent VII, ac VIII. saeculi nonnulli auctores, dubio procul putidae quaedam merces vel nunquam in Ecclesiam fuissent invectae, vel ubi primum adparuissent, proiectae, atque exsibilatae imposuissent, arbitror, nemini: nec istarum mala fraude tot perversi mores invaluissent, nec tantas ecclesiastica disciplina vicissitudines passa esset.

Profecto, ubi studium historiae, antiquitatumque christianarum resumptum est, veteresque canones longa oblivione sepulti nocturna, diurnaque manu versati, en statim et corruptis moribus obviam itum est, et disciplina ecclesiastica primigeniae puritati maxima ex parte restituta. Adeo hinc vel maxime comprobatur quod scribit Tullius (1): *historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis.*

Quod ad canonum *συνταξιν nexum*, primum in canonibus christianae fidei summam, moresque spectantibus nihil offendas absonum, nihil inconstans: omnes vero quotquot ab Apostolis ad hanc usque diem conditi sunt, ad unum mira consensione conspirant, arctissimo inter se vinculo continentur omnes. *Regula fidei una omnino est, sola, immobilis, et irreformabilis* (2). Quod enim Augustinus inquit: concilia priora posterioribus emendari (3), tantum de disciplina, quae pro temporum, locorumque *περιστασεσι circumstantiis* mutationi est obnoxia, intelligendum est. Atqui etiam inter canones disciplinam unice moderantes nexus quidam, re per gradus locorum, temporum et *περιστασεων circumstantiarum* progrediente, est agnoscendus. Namque, uti recte observant Antonius Augustinus, card. de Aguirre, et ipse Espenius (4), licet Ecclesia aliquando a veteri disciplina in conciliis statuta, ac diu religiosissime servata recedere cogatur, ipsamque disciplinae relaxationem tolerare, ac veluti dissimulare: id tamen non ita intelligendum, quasi non optet, quoad ejus fieri potest, ubi nondum est collapsa, sollicite servari, collabentem sustineri, et collapsam restaurari. Immo ad hanc desidentis disciplinae restitutionem totum ecclesiasticae reformationis opus tendere debere, et Episcoporum, Pastorumque curam, et laborem praecipue collimare ex synodi tridentinae decretis perquam manifestum est.

Id potissimum prae oculis habuit S. Carolus Borromaeus (clarum nomen in Ecclesia Dei) in dioeceseos, provinciaeque mediolanensis administratione, et redintegratione. Qua in re quis umquam pium hocce ss.

(1) Lib. II de Orat. cap. 66.—(2) Tertull. de velandis virginibus. — (3) Lib. II. de Baptismo cap. 3. — (4) Proleg. Iuris Eccles. §. II.

Praesulis studium, egregiumque propositum merita defraudavit laude? Quis non potius admiratus est ingentes labores, quos libentissime subiit, ut perficeret tantum opus? Nec profecto alia via, quam veteris disciplinae aemulatione, eiusque revocandae, quoad fieri poterat, studio in absolutissimam suae dioeceseos instaurationem evasit vir ss., Ecclesiamque mediolanensem, quam corruptissimam acceperat, squalore, ac situ hac ratione deterso, integerrimam, nitidissimamque moriens dereliquit.

Adhaec verissimum est recentiorem Ecclesiae disciplinam a veteri, tamquam rivulum a fonte, dimanare: immo plura novissimae disciplinae capita non sunt, nisi veteris vestigia, ac veluti reliquiae, uti observant modo indicati auctores. Quare sine veteris disciplinae notitia plerique Ecclesiae ritus, qui ab antiquis originem ducunt, obscuri prorsus, et inanes adparebunt.

Denique ex ipsa pristinae Rei Canonicae cognitione verus Ecclesiae spiritus percipietur in iis, quae praefert recentior disciplina. Exterior enim disciplinae facies mutari nonnumquam videtur, atque adeo relaxari, spiritus tamen idem semper est, et immutabilis perseverat.

Exemplo esse possunt veteres canones de promovendis ad ordines, sancientes, ut nonnisi vitae integri, criminisque puri, quique stolam in baptismo acceptam nullo gravi foedaverint scelere, flagitiove, sacris initiarentur. Profecto secutis temporibus Ecclesia ab veteris hac in re disciplinae severitate recessit, quum et occultos peccatores exceperit, nec omne publicorum criminum genus ab ordinatione arceat; adhuc tamen eodem veluti spiritu acta expetit, summoque exoptat opere, ut quantum temporum vicissitudines patiuntur, antiqua illa disciplina servetur, animique integri, praecipue olim requisiti, inveterata poenitentia locum nunc temporis subeat: uti ex synodo tridentina, aliisque deinceps celebratis conciliis manifestum est.

Canonum σκοπος finis. Quum enim in id semper Ecclesia incubuerit, ut invalescentibus morum corruptelis congruas opponeret medicinas; adhaec aliquando prudenti quadam usa *οικονομια aeconomia* mala quaedam dissimularet, vel leviora dumtaxat fomenta adhiberet, ut commodiori tempore facilius, feliciusque illis mederi posset: hinc profecto nemo non videt conferre quam quod maxime in occasionem conditi canonis inquirere, temporumque rimari *περιστασεις circumstantias*, ut inde vel *γνησια genuina* canonum sententia eruatur, vel Ecclesiae in iis condendis spiritus agnoscatur. Verba quidem canonis corticem repraesentant, ratio vero conditi canonis, Praesulumque in eo sanciendo *σκοπος finis* disciplinae spiritum aperiunt. Exemplo sit canon nicaenus VIII; quo Catharis, sive Novatianis ex schismate in Ecclesiae sinum redeuntibus post acceptam tantummodo manuum impositionem in clero permanere datum est: quae conditio Donatistis quoque, ubi vellent in Ecclesiae unitatem denuo coire, proposita est. Profecto qui horum ca-

nonum corticem inspexerit, violatam conclamabit antiquissimam Ecclesiae regulam, qua non haeretici modo, et schismatici, verum et quicumque aliqua nominis macula laborantes *αλλοτριοι του κανονος alieni a canone*, sive irregulares habebantur. Verum ubi in canonum *σκοπου finem* animum intenderit, profecto perspiciet Ecclesiam prudenti quadam *οικονομια aeconomia* in gratiam multitudinis in sinum Ecclesiae redeuntis, atque adeo ut iis, qui in schismate supererant, ad amplectendam Ecclesiae unitatem calcaria adiicerentur, veteris disciplinae rigorem tantisper remisisse.

Praeterea ex recte perspecto canonum *σκοπω fine* facile patefient veterum collectorum, ipsiusque Gratiani *σφαλματα errores*, qui haud raro canones iis speciebus adplicarunt, a quibus erant alieni. Res clarior est, quam quae demonstratione indigeat.

Postremo eadem methodo pronum est veteres canones ad novos emergentes casus adplicare: id quod quam utilissimum est, ne in novis emergentibus quaestionibus a veritate aberremus. Enimvero secutis temporibus, quum veteres Ecclesiae canones neglecti sint, et sophistica ratiocinandi methodus, contentiosaque in utramque partem edisserendi ratio ex theologia in Rem Canonicam inducta fuerit, tot, tamque perniciosae in re morali opiniones emerserunt: scilicet recentiores quidam casuum arbitri id negotii sibi sumpserunt, ut morum regulas non ex canonum praescripto, sed ex portentosis quibusdam humanae rationis principiis definirent. Ex quo factum est, ut disciplina morum adeo instaurata non sit, ut potius primo desederit, deinde magis magisque delapsa, tum praeceps nonnullis in locis ire coeperit, donec ad ea tempora perventum est, quibus vitiorum remedia vix pati possent huius furfuris homines. Profecto si antiquis vacassent canonibus, ac in eorundem *σκοπου* animum intendissent, congruas sane quibuscumque, vel de novo existentibus speciebus sententias invenissent.

Quae cum ita sint, in his nostris canonicis adornandis institutionibus, canonum historiam, *συνταξιν nexum, σκοπου finem* pro virili ante oculos habere sategimus. Ac primo Iuris Canonici communis-neapolitani historiam, qua maiori potuimus adcuratione perscripsimus. Tum in operis progressu haud raro historici partes egimus, canones eodem de capite diversis temporibus perlatos fideliter exhibentes, ut inde unicuique canonum nexus in conspectu esset: ac demum in canonum *σκοπου finem* inquirentes, eorumdem rationes, occasionesque, cur conderentur, exposuimus, ut inde et ecclesiasticae disciplinae spiritus patefieret, et singulis canonibus propria species aptaretur, et simul ad novos emergentes casus legitime adplicari possent.

Verum hisce bene, vel male praestitis iterum moneo, cave putes, eam nobis fuisse mentem, ut novas Rei Canonicae institutiones evulgaremus. Eo enim tempore scribimus, quo tum alibi, tum vel maxime Neapoli viri sapientia, doctrina, ac eruditione clarissimi, et egregia Iuris Ecclesiastici

elementa, et doctas de peculiaribus quibusdam canonicis capitibus diatribas edidere, unde et publicae rei litterariae plausum sibi conciliarunt, cum quibus ego, qui nec usu satis, et ingenio possum, minime sum comparandus.

Verum in id dumtaxat intendimus animum, ut adolescentes nostros onere, ac labore excipiendi, exscribendique dictata, praesertim postmeridianis horis, liberaremus, et commodae studiosis institutiones traderentur, quae nec ita breves essent, ac ieiunae, ut sufficientem canonum saporem indere non possent, nec nimis amplae, quae ab Rei Canonicae studio absterrerent. Haud tamen diffitemur ab recens editis virorum cl. doctis, et laboriosis in Re Canonica commentariis haud pauca, quae ad rem nostram faciebant, hausisse. Quamobrem ne ingrati animi nomine accusemur, maximas his gratias me agere profiteor, majores etiam habiturus.

Illud denique benevolos lectores etiam atque etiam rogo, ut dum ista qualiacumque versant, si aliquando in errata offendant, vel in capita non eo ordine, et adcuratione, qua par erat, discussa, ne fiant aristarchi, nec nasute distringant omnia; sed potius, quod christiani philosophi, civisque honesti proprium est, errantem admoneant, praesertim quum monitionem non modo aequi boni facere sim paratus, verum etiam monitoris in me meritum omnibus officiis, et grati animi significationibus protestari.

ADDITAMENTA

DE ECCLESIA EIUSQUE PROPRIETATIBUS ET CHARACTERIBUS

I. Quum universum genus hominum per Adae transgressionem a iustitia defecisset, Verbum aeternum in plenitudine temporum humanam assumpsit naturam, ut illud redimeret ab omni iniquitate. Ipse Mediator Dei, et hominum affixit Cruci chirographum decreti aeterna redemptione inventa. Quare translato per Christum Sacerdotio, etiam sacra translata sunt: hinc nova Lex lata, novi ritus introducti, et Sacramenta instituta.

II. Quo vero facilius homines salutem a Christo in Cruce partam assequerentur, Christus ipse ad Patrem reversurus Ecclesiam, quam proprio sibi sanguine adquisivit, quamque aeternum stare voluit, Petro, ceterisque Apostolis, atque eorumdem legitimis successoribus regendam commisit.

III. Iamvero Ecclesia catholice definitur: *coetus fidelium eiusdem fidei, et Sacramentorum sub legitimis Pastoribus, praesertim Romano Pontifice communione coniunctus*. Profecto vox Ecclesia, latine *evocatio* a verbo graeco εκκαλεω *evoco* ortum ducit: quia omnes, qui ad eam confugiunt, non suis meritis, sed Dei gratia ab errorum tenebris ad coruscantem fidei lucem vocantur. Ad rem Apostolus: *fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filii eius Iesu Christi* (1). Fideles autem per Baptismi lavacrum in Christo regenerati ad eam pertinent, sive ex fide vivant, sive peccatorum laqueis sint irretiti: demum externa fidei professio, partecipatio eorumdem Sacramentorum, subjectio, quam fideles exhibent Pastoribus, et maxime Romano Pontifici visibili Christi Vicario catholicam Ecclesiam ab haereticorum sectis, et conventiculis distingunt. Quare merito ab ipsa arceantur infideles, haeretici, qui orthodoxae fidei dogmata non profitentur: catechumeni, et excommunicati, qui Sacramentis privantur, tandem schismatici, qui Romano Pontifici Petri Successori, atque totius Ecclesiae Capiti minime adhaerent.

(1) Epist. 1. ad Cor. v. 10.

IV. Porro catholica Ecclesia necessario *visibilis* est, veluti civitas supra montem posita. Unigenitus enim Dei Filius humanam assumens naturam visibilis factus visibile instituit Pastorum ministerium, qui visibiliter debent hortari, docere, regere fideles, qui sunt visibiles: ipsis Sacramenta administrare, nempe signa visibilia, et ab eorumdem communione contumaces secernere. Unde patet satis ineptire Novatores, qui sibi Ecclesiam invisibilem confingunt (1).

V. Visibilis autem Ecclesia Pastores habet, praesertim Petri Successorem, qui divina auctoritate fidelibus praesunt, ac proinde proprio regitur imperio, quod est a civili prorsus distinctum. Et sane Christus ipse Apostolis, eorumque Successoribus potestatem dedit ubique gentium Evangelium praedicandi, illosque, qui Fidei dogmata suscepturi essent, baptismo initiandi, subjungens: *docentes eos servare omnia*, *quaecumque mandavi vobis* (2). Quibus verbis illud praecipue colligi datur Pastoribus Ecclesiae potestatem iure divino inesse fideles in veritatibus traditis continendi, et confirmandi, ut Christiana Societas a Filio Dei constabilita, orthodoxae fidei doctrina, et ecclesiasticis legibus conservaretur. Utrumque vero imperium, regimine distinctum Deum habet auctorem, atque ad veram felicitatem hominibus comparandam amice conspirant: Religio nempe officia civili Potestati praestanda iubet: haec autem Religionis iura sarta tectaque tuetur (3).

VI. Praeterea Ecclesia in judicando est *infallibilis* Ipsa enim teste Apostolo (4) *est columna, et firmamentum veritatis*, et mysticum Christi corpus constituit, quod a spiritu veritatis regitur, ac movetur. Quod si in Fidei

(1) Sacrae Literae idipsum aperte testantur. David enim (psal. 18.) praedixit: *in sole posuit tabernaculum suum*, idest, ut ibidem explicat Augustinus: *in manifesto posuit Ecclesiam suam, non in occulto:* et epist. 166. ad Donatistas: *ipsa est Ecclesia in sole posita, idest in manifestatione omnibus nota usque ad terminos terrae.* Praeterea Christus ipse in Evangelio Ecclesiam comparat convivio nuptiali, ad quod boni, et mali vocati sunt: decem virginibus, quarum quinque fuere prudentes, et quinque fatuae: tandem ovili, in quo recipiuntur oves, et hoedi: quae omnia utique intelligi nequeunt, nisi de Ecelesia visibili.

(2) Matth. 28. 18. — (3) Absurdum sane est systema collegiale, quod somniarunt Protestantes, ex quo asserunt iura *collegialia, et majestatica* profluere. Enimvero collegium intra certos civitatis fines constitui potest, uti sanxere leges (L. 1. in pr: D. de collegiis): at catholica Ecclesia in universum orbem est diffusa II. collegium ut sit licitum, et in aliquo regno admittatur, Principis venia accedat opertet (L. 3. §. 1. cit. tit.): at Ecclesia fuit instituta et confirmata ipsis invitis saeculi Principibus III. collegium dissolvi potest ob varias reipubblicae caussas: (L. 3. in pr. D. cit. loco) id vero citra impietatis notam de Christi Ecclesia ne cogitari quidem potest IV. Collegium a republica vim, et salutem mutuatur suam: at Ecclesia inter reipublicae turbas, et motus, insaniente etiam in ipsam ethnicorum tyrannide constitit, semperque immota permanebit. V. Denique collegium a Principe leges accipit: at Princeps fidelis ipse Ecclesiae legibus parere debet. Quare Zieglerus licet e calvinistico grege profitetur, tamen quam necessaria sit in Christi Ecclesia *inaequalitas, et subordinatio, quae regendi, et parendi partes distribuit: pares enim*, ait, *et aequales ubi cupiunt esse omnes, quid evenit nisi inordinata confusio omnia pessime disturbans?* (in praefat. ad tract. de superintend.) Vide Mamachium epist. 2. ad Iustin. Febronium §. 7. n. 19 p. 185. t. 1.

(4) Epist. 1. ad Tim. 3. 15.

controversiis definiendis erroris periculo illa subiaceret, error utique in Christum Fidei auctorem, et consummatorem recideret, quod utique absurdum, et impium. Quare ad Ecclesiam dumtaxat pertinet illa omnia definire, quae Fidei dogmata, moresque respiciunt. Tum Christus praecipit ad Ecclesiam confugiendum illis verbis: *dic Ecclesiae, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus, et publicanus* (1): et Apostolus fideles Ephesi alloquens, postquam Ecclesiae Pastores, et Doctores ad opus ministerii institutos fuisse dixit, addit: *ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum* (2). Unde Ecclesia iure divino definit quid fideles omnes sequi, quid vitare debeant, ut sint unus spiritus, et cor unum. Sic sacrum, et inviolabile fidei depositum a Christo sibi traditae sartum, tectumque custodit.

VII. Huc etiam pertinent Christi promissiones non solum Principi Apostolorum prolatae illis verbis (3): *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam*, verum etiam aliis Apostolis cum dixit (4): *ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum spiritum veritatis.... docebit vos omnem veritatem.* Hinc S. Fulgentius (5), *Ecclesia*, inquit, *virgo in fide, et charitate persistens, et sapientiam possidet et virtutem, ideo nec seductione decipitur, nec violentia vincitur, quae internae virginitatis integritate fulcitur*, et S. Iraeneus (6): *non oportet*, ait, *apud alios quaerere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere.* Quamobrem iure, meritoque Ecclesia primis aerae christianae saeculis in omnibus exortis circa Fidem disputationibus potestate usa est, qua iure divino gaudet, et post infallibilem suam definitionem, invitis poenam anathematis minitando, lege cavit, ut omnes fideles suis decretis parerent.

VIII. Postremo visibilis, atque infallibilis Christi Ecclesia est *indeficiens.* Daniel enim ipsam respiciens praedixit in aeternum permansuram (7). *Suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur*, et regius Psaltes diserte ait (8): *circumdate Sion, et complectimini eam, quoniam hic est Deus noster in saeculum, ipse reget nos in saecula*: cujus verbis respondent illa Lucae (9): *regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* Si ergo in aeternum Ecclesia Christi manu sustinetur, ipsius praesidio armatur, virtute fulcitur, sapientia regitur, indeficiens est. His adde illud Isaiae luculentissimum testimonium (10): *hoc foedus meum cum eis dicit Dominus: spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui amodo, et usque in sempiternum.* Tandem Ecclesia est Christi sponsa, quam ipse Dei Unigenitus conjunxit vinculo indissolubili. Oseas enim praedixit: *sponsabo te mihi in sempiternum* (11): cui Sponsa: *tenui eum, nec dimittam* (12): et rursus ille Apostolis, eorumque successoribus semper se adfuturum promisit hisce effatis: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (13). At si Ecclesia deficere posset, coeleste, et mysticum istud coniugium dirimeretur. Ergo fieri nequit, ut

(1) Matth. 18. 17. — (2) Epist. Ad Ephes. 4. 14. — (3) Matth. 16. 18. — (4) Ioann. cap. XIV. v. 16. 17. et 26. — (5) Epist. ad Prob. Cap. 5. — (6) Lib. 3. de haeres. cap. 4. n. 1. — (7) Daniel 2. 44. — (8) Psal. 27. — (9) Luc. 1.12. (10) Isaiae 59. — (11) Oseas 2. — (12) Cant. 3. — (13) Matth. 28. 20.

Deus derelinquat suam Ecclesiam, eamque deficere permittat. Quamobrem egregie Chrysostomus: *facilius est*, inquit, *solem extingui, quam Ecclesiam deleri* (1): et Augustinus contra Donatistas (2): *sed illa Ecclesia, quae fuit omnium gentium iam non est, periit: hoc dicunt qui in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es: vide, ne tu ideo non sis, nam illa erit, etsi tu non sis.*

IX. Permultae interea sunt notae, et characteres, quibus Dei Ecclesia ab haereticorum sectis, et conventiculis aperte dignoscitur. Et sane ipsam esse *unam, sanctam, catholicam, et apostolicam* exploratissimum est. *Una* nempe propter unitatem fidei a Christo Apostolis traditam, quam incolumem Ecclesia semper retinuit, et quam fideles omnes ubique nunc profitentur: et merito haeretici, atque sectarii dicuntur qui ab hac fidei unitate incaute recedunt. *Una* propter unitatem Sacramentorum, quae Christus instituit, quaeque Ecclesiae conficienda, et fidelibus praestanda commisit. *Una* propter unitatem subiectionis, quam fideles, exhibent legitimis Apostolorum Successoribus, praesertim Romano Pontifici, qui catholicae unitatis est centrum, atque in universum dominicum gregem iure divino primatum tenet. *Una* propter unitatem gratiae, et charitatis, quibus Christi membra suaviter vivificantur. *Una* denique propter unitatem invisibilis Capitis, cujus est respicere corpus, et propter unitatem beatissimi finis, ad quem fuit instituta. Hinc docet Apostolus Corinthios alloquens Ecclesiam esse mysticum Christi corpus: *vos estis corpus Christi, et membra de membro* (3). At mysticum Christi corpus unum esse, et ipse demonstrat illis effatis: *in uno spiritu*, ille ait, *omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi* (4). Quare ex praemissis aperte colligitur quod catholica Ecclesia unitate praefulget.

X. Tum Ecclesia est *sancta*. Isaias enim ipsam respiciens praedixit (5): *et in iustitia fundaberis. Sancta*, quia extra illam nulla potest esse sanctitas, et nemo in eam ingreditur, nisi Baptismo ablutus, et sanctificatus, uti docet Apostolus: *haec quidem fuistis, sed abluti estis sed sanctificati estis* (6). *Sancta*, quia Christus, qui ipsam regit, protegit, et vivificat, qui est eius Caput, et Sponsus dicitur in Scripturis *Sanctus Sanctorum*, uti praedixit Daniel. *Sancta* ob sanctitatem vocationis, qua fideles in Christo vocantur teste Apostolo (7): *vocavit nos vocatione sua sancta.* Rursus *sancta*, quia omnia ipsius instituta, caeremoniae, doctrina, Sacramenta, et Sacrificium ad sanctitatem ordinantur. Ex Sacramentis nempe sanxit tridentina synodus omnem in nos iustitiam proficisci: *a quibus omnis vera iustitia, vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur*: conc. trid. sess: 6. *Sancta*, quia quamplurimi eius filii sanctitate praecellunt; siquidem vel innocentia vitae, vel poenitentia, vel sanguine ipsam condecorarunt. Denique sponte ad rem profitetur ipse Calvinus Ecclesiam vocari *sanctam*, quia *quotidie proficit in sanctitate, et ad sanctitatem aspirat* (8).

XI. Dicitur etiam vera Christi Ecclesia *catholica*, nempe universalis

(1) Homil. 4. in illud Isaiae cap. 6. *vidi Dominum*. (2) Ser. 2. in psal. 101. n. 8. —(3) Epist. 1. ad Cor. 12. 27. —(4) Ibid. v. 13. —(5) Isaiae 14. —(6) Epist. 1. ad Cor. 6. 11. —(7) Epist. ad Timoth. 1. 9. —(8) Lib. 4. inst. c. 3.

1. ratione loci, quia per universum orbem diffusa est. Christus enim Apostolis praecepit (1): *euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae*, et ex regio Psalte addit Apostolus: *in omnem terram exivit sonus eorum:* 2. ratione temporis, tum quia semper durabit, quo refertur illud Danielis (2): *suscitabit Dominus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur*, tum quia omnia tempora complectitur, ita ut quod apostolico aevo fidelium primitiae profitebantur, id unum, idemque quolibet saeculo omnes crediderunt, et nunc tenent: 3. dicitur catholica, quia omnes, qui salutem consequi exoptant in visibili nempe Ecclesia illam dumtaxat assequuntur.

XII. Denique Christi Ecclesia est *apostolica* 1. quia ab Apostolis ortum ducit, et ab ipsis fuit propagata: 2. quia doctrinam Apostolorum sequitur. Paulus enim aperte ait (3): *licet nos, aut Angelus de Coelo evangelizet vobis, praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*, 3. quia successionem attigit ab apostolica aetate, et praesertim successionem exhibet Romanorum Pontificum, quibus apostolica auctoritas perpetuo demandata per S. Petrum a Christo fuit.

Atvero hisce notis,et characteribus sola Catholica Romana Ecclesia praefulget. In illa enim unitas reperitur, sive Fidei: cum omnes id fide teneant quod ab Apostolis ipsa accepit, et profitetur, sive Sacramentorum, quia eorumdem septenarium numerum a Christo institutum incolumem semper retinuit, et administravit, sive subiectionis, cum singuli dominici gregis Pastores Romanae adhaereant Ecclesiae, et cum ipsa communicent. *Sanctitas* quoque refulget quoad fidei,morumque doctrinam. Et sane quidquid in Sacris Literis, traditione divina, et apostolica continetur, atque in Conciliis sancitum fuit, id omne eo tendit, ut fideles ad veram pietatem excitentur. His adde quod omnes, qui vitae sanctitate floruerunt, et prodigia patrarunt, in ipsius Ecclesiae sinu, et communione fuerunt. *Catholica* quoque est Romana Ecclesia cum nullis sit circumscripta, vel Provinciae, vel Regni finibus, sed ubique gentium diffusa atque ubi minime efflorescit libero imperio, saltem toleratur: quin etiam compertum est plurimas barbaras gentes ipsam fideliter sequi. Denique est *apostolica*, tum quia Apostolos Fidei magistros habuit, et ipsorum doctrinae in Fide, et moribus firmiter adhaeret, tum quia singuli Episcopi cum Apostolica Romana Cathedra cui primatus inest, communionem servant.

XIII. Quae cum ita se habeant, exploratissima res est Lutheri, Calvini, Zuinglii sectas, aliasque societates omnes a Romana Ecclesia seiunctas, quae christiano nomine perperam gloriantur, nullis gaudere proprietatibus, quas enucleavimus.

XIV. Et sane ipsos interrogare possumus Tertulliani effatis (4): *qui estis quando, et unde venistis?* Illi enim unitate destituuntur, sive fidei, cum in sexcentas sententias, easque impias, et profanas dilapsi fuerint: (uti videre est in publicis eorumdem professionibus), sive Sacramentorum, cum horum numerus sit varius apud ipsos, sive subiectionis cum nullam agnoscant hierarchiam, et haeretico spiritu exagitentur. Deest quoque *sanctitas:*

(1) Marc 16. 15. — (2) Daniel. 2. 44. — (3) Epist. ad Galat. 1. 8. — (4) Lib. de praescrip. cap. 37.

ipsorum enim auctores ruisse per omne nefas, et publica fuisse perculsos infamiae nota nemo unus ignorat. Rursus *catholica* dici nequit ipsorum diffusio, cum certis locis coarctetur: nec *apostolica*, quippe quod comperta est eorumdem origo recenter exorta, et apostolicae aetati longe posterior: neque Apostolorum doctrina possunt ipsi gloriari, cum permultas haereses ab Ecclesia proscriptas e cinere ipsi excitarint, quas impudenter professi sunt, et adhuc tenent (1). Denique non *apostolica*, tum quia missione destituuntur, tum quia cum Capite totius Ecclesiae, et catholicis Episcopis minime communicant. Quamobrem egregie Augustinus (2): *ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica contra omnes haereses pugnans: haereses omnes de illa exierunt, tamquam sarmenta inutilia de vite praecisa. Ecclesia autem manet in radice sua, in charitate sua: portae inferi non vincent eam.*

XV. Itaque ex his, quae huc usque dicta sunt aperto colligitur extra hanc visibilem Ecclesiam neminem posse salutem assequi, et misere cum illis perire, qui extra noeticam arcam extincti sunt. Enimvero membrum, quod corpori non adhaeret, vitam habere nequit, ramus ab arbore praecisus germinare non valet, rivus a fonte secretus arescit. His adde quod in sola mystica vinea laborantes denarii mercedem accipiunt: in ipsa dumtaxat redemptionis hostia litatur, quae palmites abunde vivificat, regit, et nutrit. Sed haec satis sunto: de his fusius theologi.

(1) Profecto id omne, quod somniarunt Novatiani de potestate a Christo Ecclesiae tradita remittendi peccata, Iconoclastae de sacrarum imaginum cultu, Pelagiani de baptismo, Iovinianus de coelibatu, singula isthaec commenta et Novatores amplectuntur, et impia fide tenent. — (2) De symbolo ad cathecumenos cap. 6.

DE

IURIS CANONICI

ORTV ET INCREMENTO

DIATRIBA ISAGOGICA

I. Quemadmodum fluminis cuiuscumque inundantes aquas longo in cursu dirigere, et ad libellam componere iis tantummodo datum est, qui fontes, occultasque scatebras, unde in flumen rivulus excrescit, liquido pernoscunt, ita prorsus rectam iuris canonici intelligentiam habere, eiusque callere auctoritatem is tantum poterit, qui partes omnes, quibus idem ius constat, et tempora, quibus eaedem partes, vel in unum coaluerunt, vel nova in dies sumpserunt incrementa, vel quandam quasi rubiginem contraxerunt, vel denique ad pristinum perveuere nitorem, oculis veluti in tabula explicata subiiciet. Idcirco mihi iuris eiusdem elementa tradituro illud praecipuum videtur, ipso in limine subsistere aliquantulum, et canonici iuris universi fontes omnes, ac recessus intento veluti digito praemonstrare ut scaturientes ab initio, ac subinde decurrentes aquas canonicae disciplinae diligenter haurire, et puras a lutulentis, fluvios a torrentibus discernere facillime quisque possit.

II. Ut autem institutum hoc nostrum ordine exigatur, et in brevitate claritas fulgeat, integram iuris canonici historiam per octodecim ferme saecula digestam ad quinque *chronologicas periodos*, sive status redigemus, adeout iuris canonici statum, veluti per aetates distinguamus, 1. alium *primigenium*, sive *arcanum*, dum Ecclesia persecutionibus undique quateretur, viguitque per tria post Christum saecula ad annum usque ccc. Alium 2. *adultum*, sive *publicum*, dum Ecclesia pace per christianos principes

frueretur, et per quatuor sequentia saecula adolevit, scilicet ad annum usque DCC. Alium 3. *senescentem*, *et aridum*, quum scientiarum, optimarumque artium fontes barbaries densa caligine obduxerat, viguitque per quatuor, quae pene secuta sunt saecula, scilicet ad annum usque MC. Alium 4. *restauratum*, *et reflorescentem*, quum nempe barbariei pulsa caligine novus litterarum dies eluxit, exercevitque quatuor aliis, quae deinceps effluxere saecula, scilicet ad annum usque MD. Ultimum denique 5. *expolitum ornatumque*, *et ad primaevum*, *qua fieri potuit*, *candorem restitutum*, dum litterarum felicitas longe lateque per Europam penitioris sapientiae studio propagato occupavit, perque tria sequentia saecula floruit ad currentem scilicet usque annum MDCCLXX.

III. Hac igitur posita temporum vicissitudine, pronum est intelligere illam canonum intemeratam puritatem, illam ecclesiasticae disciplinae in nonnullis varietatem, illam canonicarum collectionum non semper aequam diligentiam, illam denique in ecclesiasticis viris studii canonici necessitatem. *Nulli sacerdotum*, ad Episcopos per Apuliam, et Calabriam constitutos scribit Coelestinus Papa, *liceat sacros canones ignorare*. Et syn. tolet. III. (1) edicit: *sciant sacerdotes Scripturas sanctas*, *et canones*, *ut omne opus eorum in doctrina*, *et praedicatione consistat*, *atque aedificent cunctos tam fidei scientia*, *quam operum disciplina*.

PARS I.

De iuris canonici statu primigenio sive arcano

I. Si licet profanis sacra quandoque componere, ut inde lux aliqua rebus ipsis ecclesiasticis adfulgeat, dicendum profecto est, simili quadam ratione diversa longe licet origine, et ius civile, et ius canonicum ortum habuisse suum. Constat enim romanum populum conditae urbis initio *sine lege certa*, *sine iure certo egisse* (2). Id quod non eo sensu intelligendum, quasi nulla actionum norma tunc temporis usi sint romani. Quomodo enim illa latronum, et a patriis penatibus extorrium colluvies poterat ulla sine lege in societatem coalescere? Sed quod nondum apud romanos *in scripturam relata erant iura*, ut adposite ait Dionysius halicarn. (3). Pomponio enim ius certum est *ius scriptum*, *lex suffragiis lata*. Unde idem est dicere *sine lege certa*, *sine certo iure* egisse primum romanos, ac *sine lata lege*, *sine iure scripto* vixisse. Haec romanus populus initia cum gentibus plerisque communia habuit, uti Tacitus (4), Trogus Pompeius *in Justini breviar*. (5), Porphirius περι αποχη (6) luculentissime docent.

II. Verum quum in nova potissimum civitate permulta inciderent, quae regulis indigebant, ut apte componerentur, qui fieri potuit, ut recens condita Urbs sine legibus pacem coleret, sociosque haberet concordes? Pomponius, qui nodum protulit, ipse solvit: ibidem enim subdit: *apud romanos omnia initio manu a regibus gubernata esse*, seu ut Dionysius Halicarn. *ibid.* clarius rem aperit: *ius a regibus constitutum pro lege erat.*

(1) Can. XXIII. — (2) L. 2. §. 1. D. de orig. iuris. — (3) Antiquit. lib. X. — (4) Annal. lib. III. Cap. 26. — (5) Lib. I. cap. I. et lib. IX. cap. 7. — (6) Lib. III.

Nam quoties nova, ac inopinata inciderent, toties reges ipsi erant νομος εμψυχος *viva, ac spirans lex*, uti loquitur Philo *de vita Mos. lib. II.*

III. Quae quum ita sint, profecto facile cuique erit videre similia prope fuisse canonici iuris initia. Et sane Christus Dominus, uti suo loco observabimus, neque leges scripsit ullas, neque praecepta, quae suae tradidit Ecclesiae, ut in scripturam redigerentur, unquam praecepit. Tum Apostoli nonnisi pluribus ab Christi αναβασει *adscensione* annis, atque adeo peculiaribus quibusdam datis occasionibus, quas Eusebius (1) recenset, sacros novi foederis libros conscripserunt. Igitur principio fideles veluti manu ab Apostolis, apostolicisque viris regebantur. Atqui 1: id patiebatur primaevus doctrinae evangelicae candor, ac fervens christianorum charitas 2: id etiam ferebat primaeva Christianae Ecclesiae conditio: graves enim, quibus exagitabatur, tyrannorum persecutiones in caussa erant, cur Episcoporum coetus Συνοδοι graece, latine *concilia* dicti, ad canones condendos rarius cogerentur 3: id tandem postulabat ipsa cogendorum conventuum ratio: qui enim, sive ad disciplinam excolendam, sive ad ipsam sacram Synaxim celebrandam agebantur, ipsos nonnisi noctu, clam, secreto, ac plerumque sub cryptis, sub antris, sub locis subterraneis subductos oculis hominum, subtractos lumini solis christianos habere oportebat; et quidem ad intentatam sibi capitalem poenam devitandam. Quamobrem non abs ro iuris canonici statum, qui per tria priora saecula mansit, *primigenium*, sive *arcanum* nominare lubet.

De synodis apostolicis

IV. Iam vero hoc haud ita intelligas velim, ac si nunquam per illud temporis, vel controversiae in Ecclesia excitatae fuerint, vel Episcopi ad illas sedandas, ubi opportuna sese offerret occasio, in unum convenerint. Apostolos enim ipsos ad res Ecclesiae pertractandas ter Hierosolymis conventus egisse in Actis Apostolorum legimus. 1: quidem, statim ut Christus in caelum adscendit, quo duobus communi suffragio delectis, constitutisque discipulis alter prae altero in locum Iudae proditoris divino indicio electus est (2). 2: quo septem diaconi ab Apostolis electi sunt (3). 3: denique, quo gentilibus indultum est, ut ab circumcisione, mosaicisque caeremoniis neutiquam obstringerentur.

V. Franciscus Turrianus iesuita synodum quamdam nobis exhibet Antiochiae ab Apostolis habitam, in qua novem canones perlati sint. Atqui synodus haec, quippe quae veteribus omnibus ignota, adhacc plurima complectatur ab apostolica aetate, atque adeo ab prioribus Ecclesiae saeculis prorsus aliena, tamquam ψευδεπιγραφα *supposititia* omnino reiicienda.

VI. Qui Apostolis successere Episcopi christianam plebem suae curae commissam nonnisi sacrarum litterarum auctoritate, apostolicisque institutis moderabantur. Apostoli enim Episcopis, ac presbyteris a se ordinatis, non modo haud pauca fidei dogmata tradiderunt, quae scriptis non consignaverant, verum et nonnullas praeceptiones curam animarum, Ecclesiaeque politiam spectantes docuerunt, quae longo tempore hominum memoria

(1) Lib. II. cap. 3. — (2) Act. I. II. — (3) Act. VI.

conservatae sunt. Unde in controversia de paschate utraque pars traditionibus apostolicis, altera Petri, et Pauli, altera Ioannis, et Philippi ad sententiam adstruendam suam utebantur.

De canonibus sic dictis apostolicis

VII. Canones vulgo dicti apostolici diu quidem a plerisque tributi Apostolis, hodie vero ex communi paene eruditorum sententia Apostolis abiudicati sunt. Id quod cum pleraque, tam haec maxime produnt argumenta.

1. Si Apostolorum essent genuini in Sacrorum Librorum canonem relati fuissent, id quod neutiquam factum invenitur.

2. De iis Eusebius, Hieronymus, et quotquot veterum scriptorum, maxime qui Apostolorum opera diligenter percensent, nunquam meminerunt.

3. Multa illis continentur adeo perspicue, dilucideque explicata, ut ambigi de eorum sententia nequeat, quae tamen tertio, quartoque saeculo magna animorum contentione disceptata sunt. Speciminis loco hic proferri possunt canones XLV., et XLVI., quibus baptisma ab haereticis collatum irritum decernitur: canon VII, quo poenae iis edicuntur, qui Pascha cum Iudaeis celebrant: canones demum XXI. XXII. XXIII, quibus in eos, qui seipsos evirant, severe animadvertendum praecipitur. Porro prioribus Ecclesiae saeculis his de capitibus quantae, quamque graves in Ecclesia exarserint controversiae, neminem latere arbitror.

4. Demum veteribus qua graecis, qua latinis sublestae fidei fuere. De ipsis Photius in praefat. nomocanonis haec habet : *etiamsi nonnullis quibusdam caussis moti eos pro dubiis habuerunt Apostolorum.* Tum ipse Photius: *canones, qui dicuntur Apostolorum.* Tum Dionysius Exiguus (1), Hincmarus Rhemensis (2), Leo IV. (3) , ac demum Isidorus ipse Mercator (4) eosdem a nonnullis tamquam ψευδεπιγραφους reiectos aperte indicant. Diserte vero Ratherius Veronensis (5): *in canonibus Apostolorum*, inquit, *si tamen eos, ut apocryphos non respuis.*

VIII. Iam vero ambigendum non est, eiusmodi canones, licet Apostolis falso tributos, ab apostolicis tamen catholicisque Episcopis in synodis per tria priora saecula habitis fuisse conditos. Profecto disciplinam tunc temporis in Ecclesiis praesertim orientalibus obtinentem exhibent; id quod ex toto canonum corpore manifesto evincitur.

Et sane 1. can. VIII. sancitur, ne quis sanctum Paschae diem ante vernale aequinoctium cum Iudaeis celebret: atqui istud, ut mox observabimus altero Ecclesiae saeculo pluribus in synodis statutum est, uti in Caesareensi, Osdroena, Corintiacha, aliisque.

2. Canonibus XXI. XXII. XXIII. XXIV. vetantur aeque clerici, ac laici sibi virilia amputare: profecto occasione Originis hac de re in Episcoporum coetibus actum fuisse sat probabile est.

3. Canonibus XLV, et XLVI. reprobatur, ut invalidus baptismus ab haere-

(1) Praef. collect. — (2) In opusc. adversus Hinc. laud. — (3) Epist. ad Episcopos Britann. — (4) Praefat. suae collect. — (5) Ad Hubert. Parm. Spicil. Dacher. tom. II. p. 171.

ticis collatus: at hoc in synodis asianis sub Firmiliano statutum nullus ignorat.

4. Canones LI. et LIII. praecipiunt, ne quis carne, vel vino propter abominationem abstineat. Hi dubio procul adversos Manichaeos conditi sunt, aliosque haereticos, qui vino, et carne abstinendum docebant, quippe quae a principio malo creata essent. Plura adferri possent: at haec speciminis loco satis sunto.

IX. Quorsum igitur Apostolis tributi? quaeret fortasse quispiam. Fortasse primum *apostolici canones* dicti sunt, vel ab antiquitate, vel potius, quod ab Apostolorum successoribus statuti, qui teste Tertulliano (1) *apostolici viri* nominabantur. Deinde nonnullorum latinorum oscitantia aliquot litterarum detractione *apostolorum* dicti. Adhaec neutiquam ambigendum eosdem auctos postea fuisse, atque antiquis recentiores adiunctos, eodemque volumine comprehensos, quod quidem confirmari tribus maxime rationibus potest.

1. Quod iis, qui eorum meminerunt, auctoribus non unus aliquis constans canonum numerus sit, sed quinquaginta nonnunquam, plures alias, aut pauciores censeantur.

2. Ex ipsa canonum serie manifeste adparet alios aliis saeculis factos esse, quod, uti modo vidimus, controversias dirimant eas, quae variis saeculis contigere. Adhaec canon de admittendis ad poenitentiam lapsis ante Cyprianum sancitus esse non potuit, quum alius esset Ecclesiae usus, et illa demum tempestate admittendos esse lapsos indultum sit. Demum aliquot ex consequentibus e Gangrensi, aliisque IV. saeculo habitis synodis desumptos esse ex ipsa lectione liquet.

3. Denique ratio ex eo desumitur, quod Graecis mos fuerit uno eodemque quasi titulo, et volumine tum antiquos canones complecti, tum recentes, nulla concilii, temporis, auctorumque mentione facta, quique praecedentibus addebantur, tacito ordine numeroque; quem in conciliis, unde decerpebantur, habebant, ab iis ordinem, numerumque accipiebant, quibus in illa collectione adiiciebantur. Ita. vir cl. Gabriel Albasp. (2).

X. Eosdem canones respexisse videntur concilia nicaenum, Constantinopolitanum, ephesinum, antiochenum, Alexander Episcopus Alex., Athanasius, aliique veteres, ubi antiquos canones τους παλαιους κανονας, αρχαιους κανονας, et antiquas leges τους παλαιους θεσμους memorant.

Et sane 1. canon V. nicaenus, quo statuitur, ne quis sive clericus, sive laicus ab uno quodam Episcopo excommunicatus, recipiatur ab alio, et quidem *κατα τον κανονα secundum canonem*, profecto concors est canoni Apostolico XIII.

2. Canones nicaeni IX. et X., quibus lapsis ad clerum aditus praecluditur, *quod istud κανων εκκλησιαστικος canon ecclesiasticus praescribat*, prorsus consonant cum Apostolicis XVIII. XXV. et LXI.

3. Canonibus XV. nicaeno, et XXI. antiocheno reprobatur consuetudo *παρα τον κανονα praeter canonem* aliquibus in locis admissa; nimirum ut Episcopi, presbyteri, vel diaconi de una in aliam migrent paroeciam. Atqui idem exhibent canones apostolici XIV, et XV. Eosdem etiam spectare videtur Κανων αποστολικος *canon apostolicus* Alexandro Episcopo *Alex.*

(1) De praescript. cap. 32. — (2) Lib I. Observ. 13.

epistola ad *Alexandrum constantinopolitanum*, et Constantino M. *ep. ad Eusebium caesareensem* memoratus.

4. Denique canon IX. antioc., quo statuitur convenire, ut Episcopi *per singulas regiones noscant Episcopum Metropolitanum solicitudinem gerere totius provinciae, et quidem secundum antiquam a Patribus constitutam regulam* Κανονα, profecto adeo convenit cum apostolico XXXV., ut eumdem transcripsisse videatur.

XI. Porro non desunt ex eruditis, qui censeant dictos patres non canones sic dictos *apostolicos*, sed antiquos dumtaxat ecclesiarum mores spectasse. Id quod non levibus adstruunt coniecturis, praecipuae sunt.

1. Veteribus mos fuit non minus regulas scriptas, quam ecclesiastica tantummodo consuetudine obtinentes canonis nomine adpellare.

2. Non semper ac in monumentis IV. saeculi confirmantur, et laudantur antiquae regulae, ex adverso apostolici canones respondent eamdem doctrinam continentes. Id constat ex canonibus nicaeno XIII., et ancyrano XXI.

3. Demum nonnulli ex canonibus sic dictis *apostolicis* puram putam IV. saeculi doctrinam produnt. Uti e. g. canon LXIX, quo trinae immersionis ritus in Baptismate praecipitur. Non enim alii in ecclesiastica historia occurrunt haeretici, qui non trina, sed unica immersione baptizarent in Christi mortem, quam Eunomiani. Socrates (1), Teodor. (2), synodus constantinopolit. I. (3). At Eunomiani nonnisi post annum 337. exorti sunt. Verum eiusmodi coniecturas tanti non esse, ut a nostra sententia recedamus, facile demonstrant, quae num. IX. cum Albasp. observavimus. Nam consuetudines ipsas canonum nomine decoratas adfirmari potest, probari non potest: tum quos prae oculis patres in synodis habuere, non omnes prae manibus nos hodie habemus, ut singulos singulis respondere facile videamus: denique trinae immersionis canon canonibus apostolicis serius quidem quarto saeculo insertum se prodit: at consuetudinem eo nomine vocitatam non docet.

XII. In definiendo quo primum tempore, atque auctore apostolici canones in unum collecti fuerint, mirum quantum inter se discrepant eruditi. In hoc capite excutiendo non vacat immorari: dumtaxat vero quod similius est iuvat efferre. Profecto IV. exeunte saeculo illa συλλογη *collectio* adornata videtur, et canones in ea comprehensi tunc primum ut apostolici laudati. Ea namque aetate Nectarius Patriarcha constantinopolitanus in synodo constantinopolitana an. 394. ad canonem apostolicum LXXIV. respiciens ait: *sicut etiam canones apostolici definiere.*

De constitutionibus sic dictis apostolicis

XIII. Ad constitutiones sic dictas *apostolicas* quod attinet, brevius me expediam. Has enim falso Apostolis tributas eadem paene demonstrant argumenta, quae canones sic dictos apostolicos ψευδεπιγραφους probant. Quibus addesis.

1. Sabbati sollemnem celebrationem constituunt aeque ac diei dominicae (4): quum contra Iustinus M. diserte testetur (5) sabbati religionem

(1) Lib. I. cap. 14.—(2) Lib. IV. haeretic. fabular. cap. 3.—(3) Canon. VII.—(4) Const. VIII. 33. — (5) Apol. II.

passiono dominica fuisse abolitam, nec christianorum conventus alio die fieri, quam die solis, sive dominica.

2. Iacobum Zebedaei filium concilii hierosolymitani historiam narrantem inducunt, constitutionesque ipsas cum Apostolis condentem (1). At Iacobus ante concilii hierosolymitani tempora ab Herode gladio interfectus est (2):

3. Inter libros in Ecclesia legendos S. Ioannis evangelium recensent. At quando evangelium a Ioanne scriptum est Apostoli iam mortem obierant.

4. Demum plura in constitutionibus statuta leguntur, quae nonnisi sola traditione primis saeculis fuisse in Ecclesia servata aperte testantur Tertull. (3), et Basilius (4).

XIV. Auctorem quod spectat, ac tempus, quo primum prodierint, non una est eruditorum sententia. Iam vero facile illis adsentior, qui censent constitutionum συλλογὴν *collectionem* ex legibus, moribus, ritibus, ac liturgiis, quibusprioribussaeculissubethnicisImperatoribusdiversaeOrientis ecclesiae regebantur, fuisse compactam, quibus deinceps haud pauca quarto saeculo accesserint.

Et sane 1. plura legere licet adversus eos, qui poenitentibus veniam denegandam blasphemant (5). Haec profecto adversus Novatianos, aut Montanistas fuisse sancita vero simile est.

2. Quae de carminibus sybillinis, et Ave Phoeniee referuntur (4), ad certiorem, et augustiorem resurrectionis propter ethnicos demonstrationem producta non abs re dici possunt.

3. Christiani non amplius eum Iudaeis Paschatis festum agitare jubentur (6): at hoc nonnisi exeunte saeculo II. procul dubio constitui coeptum est.

4. Scribitur etiam (7) iudaeos in Paschatis celebratione uti *calculo*, *quem putant se recte ponere*. Id quod nonnisi post iudaeos, tota Iudaea expulsos contingere potuit:quamdiu enim ipsis licuit in iudaea habitare non ex cyclorum calculo, sed iuxta vulgatissimum apud ipsos axioma Pascha ex visione lunae celebrandum erat.

5. Descriptio habetur Ecclesiae eum pastophoriis ex utraque parte, navis instar cum Episcopi solio, presbyterio ec. (8). At constat nonnisi quarto saeculo, vel medio tertio ad summum, quando Ecclesia sub Gordiano, et Philippo pace fruebatur, eiusmodi aedificia constrni coepisse.

6. Demum duplex in constitutionibus exstat liturgia, una brevior (9), prolixior altera (10). At una ab altera plurimum differt: tum utriusque partes conveniunt cum fragmentis liturgiarum, quae supersunt apud patres III., et IV. saeculi, praesertim Iustinum, Cyprianum, Basilium, Chrysostomum, Cyrillum Hyeros. ec., uti pluribus demonstrat Petrus le Brun (11).

XV. Postremo illud hic omnino animadvertendum, apostolicas constitutiones, ubi primum adparuere, nihil adversus fidem habuisse, id ex epi-

(1) Const. VI. 14., et 27. — (2) Actor. XIII.
(3) Lib. de praescript. — (4) Lib. de Sp. S. cap. 27. — (5) Lib. I. cap. 14., et 15. — (6) Lib. V. cap. 6. — (7) Ibidem cap. 16. — (8) Ibidem.
(9) Lib. II. cap. 57. — (2) Lib. II. — (10) Lib. VIII. — (11) Tom. II. Diss. I.

phanii loco (1) perspicuum est. Verum deinceps pluribus mendis foedatae sunt; id quod tum ex veteribus Auctor synopsis athanasianae, Patres Trullani, et Zonaras, tum ex recentioribus Lupus, Nat. Alexander, Perronius aliique notarunt.

Diversa synodorum genera

XVI. Antequam de synodis prioribus Ecclesiae saeculis celebratis sermo instituatur, juvat hic paucis in antecessum diversa synodorum genera explicare de iisdem suo loco fusius acturos.

XVII. Synodi igitur vel sunt oecumenicae, sive generales, vel nationales, vel provinciales, vel dioecesanae.

Generales sunt, in quas totius catholici orbis Episcopi Romani Pontificis auctoritate conveniunt.

Nationales, quae a Patriarcha, vel Primate accitis Archiepiscopis, et Episcopis suae ditioni subiectis celebrantur. Hae aliquando *universales*, *et plenariae* dictae sunt.

Provinciales, quae a Metropolitis, convocatis suae provinciae Episcopis, et Abbatibus fiunt.

Dioecesanae demum in quibus Episcopus cum presbyteris, aliisque suae dioeceseos clericis, quae ad christianae plebis regimen pertinent, collatis consiliis decernunt.

De synodis II, ac III. Ecclesiae saeculo celebratis

XVIII. Altero exeunte Ecclesiae saeculo nonnulla unius dumtaxat provinciae, vel nationis concilia habita sunt: uti romanum sub Victore, gallicum, sive lugdunense sub Irenaeo, ponticum, osroenum, et achaicum. In his teste Eusebio (2) romana consuetudo celebrandi Paschatis Dominica ad Martii plenilunium sequente comprobata est. At contra asiana synodus sub Polycrate Pascha more hebraico celebrandum decrevit, Eusebius (3). Ad idem fere tempus celebrata quoque sunt concilia Hieropolitanum adversus Montanum, et ex Baluzii sententia Pergamense adversus haeresim Colorbasii.

XIX. Tum tertio saeculo plura habita sunt concilia. Praeter nonnulla adversus haereses, praesertim Berylli, Privati, et Paulli Samosatensis praecipua sunt.

1. In quaestione de *Baptismo haereticorum* africanum sub Agrippino, iconiense in Phrygia, synadense in Asia, et tria carthaginiensia sub Cypriano. In his rebaptizantium error probatus. At contra in Romano sub Stephano apostolica traditio confirmata est.

2. In quaestione *de lapsis* quatuor Romae habita sunt sub Aniceto, bina Carthagine, et unum totius Africae plenarium; in his aeque adversus libellaticos, ac novatianos statutum est, lapsos tempore persecutionis, nonnisi post peractam poenitentiam recipiendos.

Demum *de instituenda, reparandaque Ecclesiae disciplina* actum est

(1) Haeres. LXX. n. 10. — (2) Lib. V. cap. 22. — (3) Ibid. cap. 23.

in synodis romana sub Cornelio, carthaginiensibus sub Cypriano, caesareensi, aliisque. Verum synodorum hactenus recensitarum non supersunt nobis, nisi fragmenta: quod et aliis pluribus venerandae antiquitatis monumentis fere accidit.

XX. Prima synodus, cuius canones ad nos pervenere, est eliberitana regni Granatensis quarto ineunte saeculo habita, praesidentibus Episcopis Osio cordubensi, et Valerio caesaraugustano. Verum non desunt, qui suspicantur dictos canones συλλογήν *collectionem* potius esse canonum, qui in conciliis hispanicis per ea tempora habitis conditi fuerint. Videsis Carolum Berardi *in gratiani decret.* (1).

PARS II.

De iuris canonici statu adulto, sive publico

I. Reddita a Constantino M. Ecclesiae pace, tum christiana Religio veluti adolevit, uberioresque expandit palmites, tum Ecclesiae politia ampliorem veluti ordinem accepit, ac splendorem, tum denique vel maxime licuit Episcopis quam saepissime, ac pro lubito in unum convenire. Quamobrem plura deinceps habita sunt concilia, praesertim in Oriente, ubi frequentiora, et ordinatiora fuerunt, quorum acta poene integra nobis supersunt. Ut igitur via, et ordine nostra procedat diatriba, de Ecclesia orientali primum sermonem instituemus, mox de ecclesiis occidentalibus acturi.

De iuris canonici statu adulto, sive publico Ecclesiae orientalis

II. Igitur Constantino imperante celebrata sunt an. 314. concilia ancyranum in Galatia, et neocaesareense in Ponto. Eiusdem auspiciis coactum fuit an. 325. Nicaeae in Bithynia concilium oecumenicum I. ab totius orbis christiani Episcopis frequentatum. Secuta sunt tria particularia, videlicet an. 341. antiochenum, an. 370., laodicenum in Phrygia, an. 375. gangrense in Paphlagonia. Deinde an. 381. celebratum fuit Constantinopoli oecumenicum concilium II. Atque hinc prior canonum collectio omnium fortasse vetustissima in oriente confecta est, dicta *codex canonum Ecclesiae universalis*, cuius auctor eruditis adhuc ignotus. Haec autem collectio primum canones complexa est nicaenos 20. neocaesarenses 14. gangrenses 20. ancyranos 24. *al.* 25. antiochenos 25. laodicenos 59., et costantinopolitanos 5., quibus postea an privata, an publica auctoritate accessere 3. priores canones costantinopolitani, canones conciliorum generalium ephesini an. 431., et chalcedonensis an. 451., tum et canones apostolici 85., ac demum canones synodi sardicensis, quam an. 347. celebratam plures Ecclesiae pro continuatione synodi nicaenae habuerunt.

III. Huiusce codicis prima occurrit mentio in concilio chalcedonensi, ubi act. IV. quum quaestio incidisset de monachis, qui Dioscoro adhaerebant, decretumque esset, ut sacri canones legerentur, sumpto libro Aetius

(1) Part. I. cap. 2.

legit: *canon octogesimus tertius*: *si quis Episcopus* ec. *deinde legit: alius canon octogesimus quartus*: *de his*, *qui seipsos* ec., at hi canones sunt IV., et V. antiocheni.

IV. Tum actione XI. exorta quaestione inter Bassianum, et Stephanum de episcopatu ephesiorum *Leontius relegit regulam nonagesimam quintam*: *si quis Episcopus vacans* ec. *ex eodem codice legi regulam nonagesimam sextam*: *si quis Episcopus ordinationem* ec. hi canones sunt XVI. et XVII. antiocheni.

V. Praeterea in eadem synodo (1) ex eodem codice lecti sunt bini canones sub num. IV, et VI., qui sunt IV., et VI. nicaeni.

VI. Constat igitur graecam ecclesiam medio saeculo V. codicem habuisse canones synodorum orientalium complectentem perpetua serie digestos tanquam si unius essent concilii.

VII. Codex isto quo tempore, et quo auctore primum prodierit, incertum. At illud dubio caret saeculo V. ineunte non adhuc apud graecos generatim fuisse receptum: id quod probat reiectus a Chrysostomo, et ab iis, qui cum eo faciebant, canon XII. antiochenus, tamquam conditus ab haereticis.

VIII. Quid vero quod huiusmodi codex idem ipse est, ac ille, quem Dionysius Exiguus latinitate donatum suae collectioni inseruit? In utroque enim 1. orientalium synodorum canones eadem numerorum consequentia conjunguntur nec unius synodi canones ab alterius synodi canonibus novis numeris disiunguntur. 2. canones nicaeni primum habent locum. 3. canones Antioch. IV. V. XVI. XVII. respondent numeris 83. 84. 95. 96. 4. Tandem Dionysius ipse in praefatione expresse fatetur se orientalium canonum codicem *suo ordine numerorum, idest a* 1. *cap. usque ad* 165., *sicut habetur in graeca auctoritate digessisse*. Profecto Graecam hanc auctoritatem nonnisi codicem illum esse, ex quo canones in synodo chalcedonensi lecti sunt, nemo non videt.

IX. Quanta maxima huiusce codicis fuerit auctoritas patet 1. ex eo, quod canonibus eo contentis iam pridem in controversiis disciplinae usa fuerit dicta synodus oecumenica, atque adeo 2. una cum evangeliorum codice in medio collocaverit. Adhaec 3. canones in eumdem relati vel in conciliis generalibus conditi sunt, vel in synodis, quo *plures Episcopi fide praediti*, ut verbis utar S. Agobardi, *sapientia illustres, vita clari, sanctitate reverendi, signis, et prodigiis formidandi in nomine Christi pro reformanda Ecclesiae disciplina convenerunt*.

X. Postremo eumdem codicem ex antiquissimo ms. Ecclesiae hilarianae pictaviensis primus edidit Ioannes Tilius, deinde additis pereruditis notis Christophorus Iustellus evulgavit praefixo titulo *codicis canonum Ecclesiae universae*: quem postea recudendum curarunt Henricus Iustellus, et Guglielmus Voellus.

XI. Iam vero ex antiquissimo hoc codice additis nonnullis S. Basilii canonibus suam adornavit collectionem Ioannes cognomento Scholasticus primum Antiochiae presbyter, dein sub Iustiniano costantinopolitanus patriarcha, quam non per numerorum consequentiam, sed per materias digestam,

(1) Act. VI, et XVI.

et in quinquaginta titulos tributam συναγωγὴν κανόνων *collectionem canonum* adpellavit.

XII. Idem postea Ioannes Scholasticus primus omnium nomo-canonem composuit quinquaginta pariter titulis digestum, ac methodo priori collectioni respondente, leges praesertim ex Iustiniani codice depromptas cum canonibus conferendo.

XIII. Tandem in trullana synodoconfirmati sunt omnes canones a Scholastico congesti, item nonnulli adiecti, nimirum 1. canones in eadem synodo conditi, ut vicem sustinerent canonum conciliorum oecumenicorum V., et VI, quibus nulli canones fuerant proditi: unde *synodus quini-sexta* dici consuevit. 2. canones africani graece redditi. 3. canones concilii costantinopolitani sub Nectario Patriarcha, et Theophilo alex. 4. Demum permulta patrum graecorum opuscula, quae omnia can 11. recensentur.

De iuris canonici statu adulto, sive publico Ecclesiae Romanae

XIV. Ecclesia Romana ad nicaenum usque concilium moribus potius, et consuetudine, quam constitutis canonibus usa est. Veteres namque Romani Pontifices avita instituta quamdiligentissime custodienda curarunt. Verum IV. exeunte saeculo canones nicaenos latinitate donatos, et cum sardicensibus perpetua serie sub solo Nicaeni concilii nomine digestos Romanum codicem composuisse tum plura demonstrant, tum vel maxime Innocentii I. auctoritas, qui dum testatur alios canones, quam nicaenos, Romanam Ecclesiam non admittere, pluries sardicensibus utitur.

XV. Huic codici temporis successu plures factae sunt accessiones; id quod ex eo potissimum licet evincere, quod Dyonisius Exiguus ad novam canonum versionem adornandam se adactum scribat *quorumdam hortatione, qui pristini romani codicis confusione offenduntur*.

XVI. Atque hic Henricus Iustellus codicem quemdam nobis exhibet, tanquam pristinam ante dionysianam Romanae Ecclesiae collectionem. Atqui hac in re eruditus alioquin auctor fallitur. Et sane 1. stupenda collectionis barbaries in illam aetatem haud quadrat. 2. Plura in ea occurrunt toti antiquitati ignota. 3. can. XXVIII. chalcedonensis, et canones costantinopolitani illi collectioni inserti sunt, quos Ecclesia Romana non recepit. Profecto codicem iustellianum graeculi alicuius opus esse non abs re suspicatur Paschasius Quesnellus.

XVII. Tum ipse Quesnellus alium codicem ex tribus mss., atrebatensi, oxoniensi, et thuaneo erutum profert, quo Romanam Ecclesiam ante Dionysii Exigui aetatem usam fuisse contendit. Atqui hac in re prae Iustello felicior videtur fuisse Quesnellus. Et sane Quesnelliani codicis veritatem demonstrant 1. trium antiquissimorum mscriptorum concordia. 2. Canon VI. nicaenus, qui hoc in codice legitur, prout a Legatis Sedis Apostolicae in synodo chalcedonensi prolatus est: nimirum cum additamento: *Ecclesia Romana habeat*, aut *habuit primatum*. 3. Canones sardicenses sub uno titulo, ac numerorum serie adnexi. 4. Confusio, qua Romanum codicem laborasse scribit Exiguus, nec huic codici deest. 5. Dubio procul Romana collectio Dionysii aetate praeter nicaenos, et sardicenses, alios quoque canones complectebatur. Id sane indicat Exiguus, ubi fatetur se novam,

adcuratioremque adgredi graecorum canonum collectionem, quod vetus obscuritate, et confusione laboraret. Iam vero dionysianam collectionem cum codice quesnelliano conferenti, manifesto patebit eosdem paene canones utrobique exhiberi, eodemque fere ordine: nisi quod dionysiana canonum graecorum versio sit fidelior, et accuratior, atque adeo tota collectio elegantior, et ordinatior. Plura quidem in codice quesnelliano repeiuntur, quae in aetatem ante-dionysianam non quadrant: verum eiusmodi additamenta post Gregorii M. tempora suum codicem auxisse pluribus demonstrat Quesnellus.

XVIII. Ergo Dionysius Exiguus natione scytha, domicilio moribusque romanus auctor novi cycli paschalis, quem an. 525. edidit, hortatu potissimum Stephani Episcopi salonitani novam fideliorem, et ordinatiorem instituit canonum graecorum collectionem. In ea primum quinquaginta priores sic dictos apostolicos, ceteros dein codicis orientalis graecos canones a se latine redditos, scilicet regulas nicaenae synodi, et deinceps omnium conciliorum sive quae praecessere, sive quae eam sunt subsecuta usque ad constantinopolitanum recensuit, digessitque *sub ordine numerorum*, ut modo observavimus, *idest a 1. capi usque ad 165, sicut habetur in graeca auctoritate* His subdidit canones chalcedonenses 27., quos graecorum canonum veluti agmen claudere ipsemet testatur Dionysius. Tum ex latinis canones sardicenses addidit, et africanos 138. in synodo carthaginiensi VI. partim primum conditos, partim vero ex veteribus africanis synodis collectos, confirmatosque.

XIX. Idem Dionysius ad preces Iuliani romani presbyteri Decretalium Romanorum Pontificum *Συλλογην collectionem* concinnavit, scilicet a Siricio ad Anastasium: in qua elaboranda fatetur se *nihil prorsus eorum, quae ad ecclesiasticam disciplinam pertinent, omisisse inquirere praeteritorum Sedis apostolicae Praesulum constituta, qua valuit cura, diligentiaque collegisse*. De huiusmodi romanorum Pontificum epistolis sic dictis decretalibus alibi opportunior redibit sermo.

XX. Dionysianam *Συλλογην collectionem*, studio licet privato confectam, *usu celeberrimo Ecclesiam Romanam* fuisse complexam testatur Dionysii aequalis Cassiodorus. Quod tamen haud ita intelligas, quasi universos canones, totamque in eis expositam disciplinam pro sua receperit. Constat enim plures ejus codicis canones, quia Romanae eius temporis ecclesiasticae disciplinae haud convenirent, vel nunquam, vel multo post tempore pro suis usam esse.

De iuris canonici statu adulto, sive publico Ecclesiae gallicanae

XXI. Gallicanam Ecclesiam Dionysii collectionem amplexatam fuisse contendunt Petrus de Marca (1), et Natalis Alex. (2). Quod tum ex eo evincunt, quod statim apud Sedem Apostolicam viguerit, suoque nitore prae squalore veteris commendaretur, tum vel maxime ex eo, quod Episcopi gallicani in iudiciis ecclesiasticis auctoritatem aeque Sedis Apostolicae, ac

(1) Lib. III Conc. cap. 3. — (2) Diss. XXI. in hist. ecclesiast. saec. 1.

orientalium canonum urgere consueverint (1). Caesarius Arelat. in caussa Contumeliosi. Verum haec tanti non sunt, ut nos in suam sententiam trahant. Illud enim tantummodo demonstrant, Sedis Apostolicae decreta in Galliis obtinuisse. Atqui iam inde ab synodi agathensis I. an. 506. tempore, quum non adhuc dionysiana collectio prodiisset, R. Pontificum decreta in Galliis vigebant, uti constat ex eodem concilio (2), quo adversus presbyteros, et diaconos coniugatos urgentur Innocentii I. et Siricii decreta.

XXII. Igitur pronior sum in iustelli, Quesnelli, aliorumque sententiam, qui contendunt rem ad VIII. usque saeculum pertrahendam. Et sane 1. verisimile haud est, gallicanos Antistites tam cito in iudiciis ecclesiasticis veteri reiecto codice dionysianum adhibuisse: Caesarius enim arelatensis floruit circiter ann. 530., quo tempore dionysiana collectio vix prodierat.

2. Quando caussa Praetextati in synodo parisiensi acta est, nimirum an. 580. codex dionysianus ecclesiae gallicanae adhuc erat incognitus. Tunc enim primum canones apostolici gallicanis Episcopis innotuere, quos novo quaternione conclusos, ac veteri gallicano codici adiectos primus eadem in synodo ad opprimendum praetextatum exhibuit rex Chilpericus. Atqui canones apostolici in Dionysii collectione primum locum habebant (3).

3. Exeunte saeculo VIII. Carolus M. ab Hadriano Papa dono accepit Dionysii collectionem, ut eam in Gallias inferret, id quod ex voto accidisse scribit Anastasius bibliotecarius. Sensim enim Ecclesia gallicana non prorsus spreto veteri codice Episcopis familiari, dionysianum recepit.

XXIII. Porro ex dictis tria colligimus. 1. gallicanam ecclesiam IV. saeculo proprium codicem habuisse, et quidem a dionysiano diversum. 2. dionysianam collectionem, nonnisi VIII. exeunte saeculo Gallias pervasisse. 3. Veterem gallicanum codicem complexum fuisse cum canonibus graecis etiam R. Pontificum decretales: adhaec et canones gallicanos. Id quod patet tum ex Agobardo lugdunensi Episcopo (4) : *gallicanis canonibus pro caussis necessariis, quarum definitiones ex conciliis generalibus non inveniuntur, fidem congrua devotione, ac religione debita adhibendum*, tum quoque ex eodem Caesario arelatensi, qui pariter in Contumeliosi regensis Episcopi caussa canonibus gallicanis seorsim prolatis, et eidemque recensitis depositionis poenam Contumelioso infligit.

De iuris canonici statu adulto, sive publico Ecclesiae hispaniensis

XXIV. Iam vero Hispaniensis Ecclesiae ipso VI. saeculo dionysianam collectionem agnovit. Codex enim canonum, quo concilia hispanica bracarense II. an. 563., et toletanum IV. an. 633. usa sunt, eumdem paene ordinem praesefert, quem Dionysius in sua adornanda Συλλογη *collectione* servavit.

XXV. Verum Martinus e Pannonia oriundus primum dumiensis coenobii in Gallaccia abbas, dein Archiepiscopus bracarensis circiter an. 570. suam interim edidit canonum collectionem per materias digestam, et in capita

(1) Syn. aurel. III. an. 538. can. III. — (2) Can. VIII. — (3) Greg. Turon. (4) Lib. V. hist. reg. franc. cap. 19. — (5) Epist. ad Ludovicum.

84. tributam quorum priora 19. Episcopos, quae sequuntur 49 clericos, reliqua 16. populum spectant. In hanc collectionem Martinus coniecit tum graecos canones a se latine redditos, tum etiam regulas ex conciliis hispaniensibus petitas, necnon et ex gallicanis usu in Hispania receptis.

XXVI. Quid quod Martinus graecos canones non semper fideliter vertit, quin subinde ex pluribus unum capitulum confecit incertis etiam nonnullis ex synodis nationalibus, uti patet ex cap.32., quod ex can. 111 concilii nicaeni, ex can. xv. concilii bracarensis, et ex can. iv. concilii toletani I. conflatum est: interdum etiam quaedam addidit, detraxit, immutavitque, ac nonnunquam etiam canones in contrariam sententiam torsit, uti ex cap. 39. liquet.

XXVII. Cardinalis Aquirrius in diss. II. (1) praefixa collectioni maximae conciliorum Hispaniae, scribit, in ecclesia urgellensi codicem antiquissimum extare in tres partes divisum, quarum *prima exhibet quatuor concilia generalia, et synodos nationales ab iis confirmatas, ac praeterea eas, quae in Africa coactae sunt. Secunda continet concilia gallicana inchoanda ab arelatensi I. Tertia tandem concilia hispanica, quorum initium ducit ab eliberitano.* Tum subdit: *eumdem ordinem servabat codex ille vetustissimus bibliothecae toletanae memoratus ab archipraesule Loaisa.*

XXVIII. Non desunt qui contendant huius codicis auctorem fuisse S. Isidorum hispalensem. Porro a S. Isidoro abiudicandum tum plura demonstrant, tum vel maxime, quod S. Braulio caesaraugustanus Episcopus, et S. Ildephonsus archiep. toletanus eius operum catalogum pertexentes, de nullo tanquam ab Isidoro confecto codice meminerint. Videsis Dominicum Lopesium (2).

De iuris canonici statu adulto, sive publico Ecclesiae africanae.

XXIX. Africanam Ecclesiam quod spectat, ipsa quidem nullam habuit canonum collectionem ante concilii carthag. VI. tempora. At in hac synodo occasione cuiusdam presbyteri nomine Apiarii, qui a suo Episcopo depositus ad romanam sedem adpellaverat, adsidentibus Sedis Apostolicae legatis Episcopi africani 217. convenientes post recitatum symbolum nicaenum, eiusdemque synodi canones 20. africanos canones variis temporibus, diversisque in synodis conditos relegunt, tum non sine additamentis, et detractionibus probant, aliosque de novo condunt, et omnia in acta redigunt. Ex his sane actis videtur confectus *codex canonum ecclesiae africanae*, quem suo codici inseruit Dionysius Exiguus, ut supra innuimus.

XXX. Eadem ferme aetate, qua Dionysius Romae, in Africa Ferrandus carthaginiensis diaconus floruit Is Bonifacii sui Episcopi monitu Συλλογὴν *collectionem* adornavit, in qua protulit canones veteris graecae collectionis latine redditos, tum et conciliorum africanorum, necnon Epistolam Siricii ad patres africanos. Praeterea nonnullos africanorum conciliorum canones adjecit, quorum nulla alibi mentio nempe zellensis, suffetulensis, aliorumque. Ipse vero canones non per numerorum consequentiam, uti

(1) Tom. I. — (2) Lib. de antiquo canonum codice Eccl. hispanae.

Dionysius Exiguus digessit, sed ad peculiares quosdam titulos universam ecclesiasticam disciplinam redigens, singulis titulis canonum aptiora fragmenta adscripsit. Hanc breviationem, quam multis scatere erroribus contendit Quesnellus (1) primus codice mscripto ecclesiae trecensis edidit Franciscus Pithoeus, quam postea emendatiorem, suis adnotationibus, et antiquo indiculo addito, recudendam curavit Antonius Dadin. Alteserra.

XXXI. Tum annum circiter DCXC. Cresconius sive Crisconius africanus Episcopus Ferrandi studium imitatus, uti ipsemet fatetur, novam Συλλογην *collectionem* confecit, quam *breviarium cononicum* inscriptam voluit. In ea disciplinam ecclesiasticam in plura capita partitus singulis capitibus conciliorum canones, Pontificumque decreta, quae ipsis responderent, subjecit, quae tamen indicat, dumtaxat, non *κατα λεξιν ad verbum* refert. Eadem tamen integra exhibet in altera *συλλογη collectione*, cui *concordia canonum*, *sive liber canonum επιγραφην titulum* praefixit. Porro non desunt qui contendant utramque hanc *συλλογην collectionem* unum, idemque Ferrandi opus constituisse, cuius binae fuerint partes. Hactenus recensitos canonum codices maximam partem in suam iuris canonici veteris bibliothecam retulerunt Iustellus, et Voellus.

XXXII. Postremo ad eamdem iuris canonici epocham referendae plurimae imperatoriae leges in utroque codice theodosiano, et iustinianaeo adhuc extantes, quibus piissimi Principes, vel Ecclesiam privilegiis exornarunt, vel quae iam canonibus sancita fuerant, adjectis temporalibus poenis tanquam Fidei vindices, Religionisque custodes exequi curarunt.

PARS III.

De iuris canonici statu senescente, sive arido

I. Iam inde ab saeculo VIII barbararum gentium irruptio, disciplinae remissio, morum corruptio, clericorum ambitio, litterarum squalor, schisma graecorum, atque adeo putidae Isidori merces passim receptae lugubrem reddidere Christianae Ecclesiae faciem. Merito igitur ab saeculo VIII. ad usque XI. iuris canonici statum *senescentem* fuisse, sive *aridum* statuimus.

II. Tertiam hanc iuris canonici epocham auspicatur in Oriente Photius vir singulari, praestantique ingenio praeditus ingentium vero pertubationum in ecclesia auctor, atque origo. Hic circa an. 880. codicem confecit *συναγωγην διαταξεων εκκλησιαστικων collectionem constitutionum ecclesiasticarum* inscriptum, in quam coniecit canones conciliorum generalium, graecorumque patrum scripta, ea scilicet, ex quibus vetus orientalium codex componebatur adiecit vero canones concilii nicaeni II., tum et canones, quos duo conciliabula ipso duce, et auspice constantinopoli., alterum in templo ss. Apostolorum, alterum in templo S. Sophiae habita, ediderant. Igitur potius veterem codicem auxit Photius, quam novum condidit. Uti e contrario a catholicis antiquae *συλλογη collectioni* legitimae Synodi VIII. generalis canones adiecti sunt. Photianam *συλλογην collectionem* cum commentariis Balsamonis, Zonarae, et Aristini graece, ac latine, suis etiam ad-

(1) Diss. XV. ad opera S. Leonis M.

ditis observationibus, in lucem produxit Guilelmus Beveregius alteram a catholicis auctam in codicibus quibusdam manu exaratis inveniri, auctor est Ioannes Douiatius praenotionum canonicarum (1).

III. Postremo idem Photius ad suum canonum codicem legum quoque imperialium συνταγμα *syntagma* adiecit, condito nomocanone, quem exemplo Ioannis scholastici confecit, sed ordine diverso. Uti quoque leges non integras describit, quod a Ioanne Scholastico factum fuerat, sed tantummodo indicat Videsis Doujatium (2).

IV. Verum in Oriente per amplius duo saecula a συλλογαις *collectionibus* adornandis adquietum est. Namque nonnisi XI. exeunte saeculo Michael Psellus vir egregie cultus suam Κανονων συνοψιν *canonum synopsim* versibus politicis conscripsit, quam duas in partes divisit. In priori christianam theologiam summatim explicat, ac brevem orientalium generalium conciliorum historiam exponit, in posteriori vero canones iam recepta veteri collectione comprehensos exhibet Hanc συνοψιν *synopsim* e mss. bibliotecae Caroli de Montebal Archiepiscopi toletani cum erudita praefatione edidit Franciscus Bosquetus.

V. Iam vero ad occidentalem Ecclesiam quod spectat, primus in scenam prodeat Isidorus *mercator* sive *peccator* dictus, qui exeunte saeculo VIII. novam Συλλογην *collectionem* edidit multis, variisque supposititiis monumentis foedatam, partim a se primum procusis, partim ab aliis antea confictis. Prioris generis sunt epistolae decretales XCIX. nimirum XXXIII. R. Pontificibus ante Siricium falso tributae, reliquae posterioribus inter eorum genuinas adscriptae usque ad Gregorium M. Item acta concilii romani sub Iulio I., et concilii V., et VI. sub. Symmacho. Posterioris generis sunt epistolae Clementis I. ad Iacobum, et excerpta romanae synodi sub Sylvestro P. seriem rerum genuinarum, et confictarum, quas Isidori complectitur collectio, recenset vir cl. Carolus Blascus (3).

VI. Isidorum quem ejusmodi consarcinatio auctorem praesefert, haud quidem *mercatorem*, sed *peccatorem* inscribendum probant paene omnes antiqui melioris notae codices. Profecto per illud temporis communis vigebat mos, ut Episcopi passim, et monachi ad humilitatem se *peccatores* adpellarent. Fortasse codicis consarcinator *peccatorem* se dicere voluit, ut facilius sub hispalensi latitaret, quem poenitentem summis gemitibus peccata sua deplorasse compererat.

VII. Iam vero 1. isidoriana collectio nonnisi in Germania primum adparuit, et quidem exeunte saeculo VIII. Eam enim, tanquam ex Hispania illuc invectam sub Isidori hispalensis nomine, teste Hincmaro rhemensi (4) primus evulgavit Rodulphus Episcopus moguntinus, qui (si fides habenda quibusdam incerti auctoris annalibus a Petro Pithoeo editis) Lullo Episcopo moguntino an. 786. successit.

2. E Germania in Gallias illata, tamquam genuinum Isidori hispalensis opus admissa est, ac recepta, et quidem ab ipso Hincmaro rhemensi (5). Verum quum postea hic idem Hincmarus in caussa, quam cum Hincmaro

(1) Lib. III. cap. 8. — (2) Ibid. cap. 10.
(3) De collect. canonum Isidori mercat. cap. 2. — (4) Opusc. adversus Hincmarum laud. — (5) Epist. VII. cap. 12.

laudunensi habebat, Isidorianas decretales sibi noxias cerneret, eas respuit quidem, at non alio nomine, quam quod, quum in antiquis collectionibus non reperirentur, essent obsoletae. Eadem de caussa reiectae quoque sunt ab Episcopis gallicanis in caussa Rothadi Episcopi svessionensis, qui in synodo provinciali depositus ad Sedem Apostolicam adpellaverat.

3. Nonnisi serius Romam pervasit. Etenim Leo IV., qui pontificatum obtinuit ab an. 847. ad an. 855., ubi ad Episcoporum Britanniae consulta respondet in epistola, quae exstat apud Sirmondum (1) recensens decessorum suorum epistolas decretales, quibus Romana tunc temporis in iudiciis ecclesiasticis utebatur Ecclesia, ab Siricio exorditur, nulla epistolarum Clementis I., aliorumque ante Siricium R. Pontificum facta mentione.

4. Denique ad Orientem usque non perrexit: neque enim, opinor, fraus fugisset Photium acerrimi iudicii virum.

VIII. Porro ex dictis tria colligimus: 1. Isidorianas decretales, licet tanquam apocryphas nunquam reiectas, attamen non statim obtinuisse. Hoc sane de Ecclesia gallicana, ubi primum eiusmodi merx pervagari coepit, modo observavimus. Adhaec quum Nicolaus I. in caussa Rothadi easdem, tanquam tegmina totius Ecclesiae Catholicae gallis obiecisset, gallicani Antistites adhuc tegmina illa, licet nondum agnita falsaria manu, respuere non dubitarunt.

2. Hincmari rhemensis, aliorum Galliae Episcoporum exceptiones tanti non fuisse, quin sensim per totum Occidentem ius evaderent. Et sane ipsi gallicani Antistites in concilio rhemensi an. 895., ubi caussa Arnulphi archiepiscopi tractata est, ipsarum auctoritatem agnovere. Praeterea tum in conciliis per ea tempora etiam in Galliis habitis, tum in capitularibus regum francorum haud pauca ex earumdem auctoritate decreta fixa sunt.

3. Nullam vel minimam R. Pontificibus notam inurendam, vel quod dolo malo huiusmodi falsa documenta produxerint, vel quod ex eis falsas doctrinas hauserint. Nam quod ad primum, exeunte saeculo VIII. per Riculphum evulgatae iam fuerant: medio tamen saeculo IX. Romanae Sedi adhuc erant ignotae. Tum ad alterum quod attinet, licet multa in illis sint, quae ab antiquitate abhorreant, nihil tamen, si a summo ad imum percurras, in illis reperies, quod aut fidem, aut mores vel minimum laedat, quippe quae ut observat ipsarum infensissimus hostis Blondellus, vel a scriptis Romanorum Pontificum, auctorumque aetate posteriorum haustae sunt, vel ad illorum temporum consuetudines moresque compositae. Videsis Doniatium (2).

IX. De collectionis auctore non satis liquet.

1. Isidoro hispalensi omnino tribuenda non est: id enim vetant, 1. ejus sanctimonia, et antiquitatum Ecclesiasticarum peritia. 2. antiquissimi codices mss., qui Isidorum *mercatorem*, vel *peccatorem* collectioni praefixum habent, nullus *hispalensem*. 3. Denique quod nonnullae eius farraginis partes ex monumentis Isidoro hispalensi integro saeculo recentioribus decerptae sunt.

2. Nec gente fuisse hispanum verisimile est: etenim 1. Hispania saracenorum iugo tunc temporis pressa ferme penitus exularunt meliores litterae. Nec 2. credere par est hispanum in comminiscendis tam venerandae

(1) Tom. III. Conc. Gall. — (2) Ibid. lib. 2. cap. 22.

antiquitatis monumentis non majori patriae celebrandae studio flagrasse, quam ut in tota epistolarum collectione ad hispanos datas nonnisi quinque protulisset.

3. Neque Isidoro Episcopo setubensi adscribenda. In chronico quidem sub nomine Iuliani toletani Parisiis edito legitur: *Isidorus mercator Episcopus setubensis compilationem canonum ope cujusdam monachi composuit, atque anno* 805.*decessit:* cum quo consonat etiam alterum chronicon Luitprando tributum. Verum huiusmodi chronicha, tum ob plura, tum vel maxime quod *αναχρονισμοις anachronismis*, ac fabellis scateant, communi eruditorum calculo, ut supposititia, reiiciuntur.

4. At vero similius, vel ipse Riculphus, vel Benedictus levita, vel alius quidam germano-francus epistolas illas aut confixit, aut ab aliis confictas collegit. Id evincitur 1. ex gallo francorum, et longobardorum idiotismis passim in ipsis occurrentibus 2. ex eo, quod ex Ecclesiae moguntinae scriniis, et quidem Riculphi cura, primum prodierint.

X. Quorsum autem pseudo-Isidorus tot epistolas, ac monumenta confixit? Sunt qui putant: ut sub fucatis primaevae antiquitatis testimoniis Romanae Sedis amplitudinem speciosius tueretur. Profecto haec videtur fuisse Christiani Lupi sententia, qui (1) in hanc rem sic scribit: *in Gallia tunc, ac Germania per francos, in Hispania per saracenos, in Italia, ac Illyrico per longobardos, et graecos admodum vexata, ac depressa erat Apostolicae Sedis majestas, et omnis ecclesiastica iurisdictio: ideoque ad ipsas sublevandas nescio quis pius fidelis finxit sub antiquorum Romanorum Pontificum nomine decretales istas epistolas, quas passim vocamus collectionem Isidori Mercatoris.*

At contra, praeter quam quod R. Pontifices nonnisi serius, uti modo vidimus, illarum auctoritate usi sunt profecto ex eodem Isidoro educi fas est, auctoris *σκοπον scopum* praecipue in eo fuisse, ut Episcoporum indemnitati consuleret Id ex pluribus earumdem falsarum decretalium capitibus fuse, ac erudite demonstrat in modo laudato opere(2) vir egregie doctus Carolus Blascus.

XI. Demum suppositio saeculo XIV. primum detegi coepit. Eteuim de aliquibus ante-siricianis primum dubitarunt Marsilius patavinus, et Gobellinus Persona. Tum nonnullas uti suspectas traduxerunt Nicolaus card. Cusanus, Caesar card. Baronius, et Georgius Cassander. Demum quum adversus catholicos, qui in controversiis religionem spectantibus illarum auctoritate utebantur, exciperent haeretici, illas purum putum esse mercatoris figmentum ad augendam R. Pontificum potentiam excogitatum, diligentius in illas ab Antonio Contio, aliisque eruditis inquisitum est, atque adeo earumdem impostura gravissimis argumentis firmata.

XII. Praecipua sunt. 1. Si genuinae essent, profecto earum meminissent Eusebius, Hieronymus Gennadius R. Pontifices per octo priora Ecclesiae saecula, concilia praesertim occidentalia per illud temporis quam frequentissime celebrata; neque enim occasio defuit, quin immo et *περιστασεις circumstantiae* fuerunt, in quibus omnino producendae fuissent.

2. Unde illas hausit Isidorus, quum Dionysius Exiguus Romanae Ec-

(1) Tom. III. schol. in notis ad can. III. dictatus vulgo Gregorii VII.
(2) Cap. S.

clesiae scriniis diligentia quanta maxima lustratis, excussisque nullam illarum invenerit?

3. Sermo rudis, barbarus, et nimium est a priorum saeculorum nitore alienus.

4. Idem scribendi character, idemque stylus in tot diversorum Pontificum epistolis eumdem recentioremque impostorem arguunt.

5. Tandem quamplurima in iis occurrunt tertio saeculo recentiora: uti sacrarum literarum sententiae secundum Vulgatam, leges ex utroque codice petitae, posteriorum conciliorum, et R. Pontificum canones, ac decreta aliaque his similia.

XIII. Statim ac in Gallias Isidori συλλογη *collectio* illata est, alia statim prodiit in 80. capitula tributa, bonam partem ex Isidoriana desumpta Huiusmodi antem Hadriani Papae falso tributa, ejusque nomine primum evulgata, eandem adhuc retinet επιγραφην *titulum*.

XIV. Plures exinde secutae sunt collectiones, et quidem diversis methodis pro uniuscuinsque iogenio. Ac. 1. eodem saeculo IX. prodiit collectio sub denominatione *canonum poenitentialium* incerto auctore ex monumentis collectionum Exigui, et Hispal. plerumque desumpta, quae licet eiusmodi exhibeat επιγραφην *titulum*, complectitur tamen omne canonum genus. Etenim in tres libros tribuitur, quorum prior *de poenitentibus et de poenitentiis*, alter de *iudiciis*, tertium demum de *ordinationibus, gradibus, et officiis clericorum*, atque *Episcoporum* disserit. Hunc codicem, quem manu exaratum viderat Ioannes Morinus, Lucas Dacherius (1) primus typis vulgavit.

XV. Sequenti saeculo Regino monachus benedictinus iubente Rathbodo trevirorum Archiepiscopo collectionem sub titulo *de ecclesiastica disciplina, et Religione Christiana* edidit. Ad bina haec capita explicanda, ac roboranda canonibus utitur conciliorum, Pontificum decretis, sanctorumque Patrum, plerumque orientalium, sententiis, nonnulla ex falsis Isidori mercibus interserit: denique haud raro leges profert ex codice theodosiano secundum Aniani interpretationem, necnon et ex capitularibus regum francorum.

XVI. *Capitularia regum francorum* dicuntur collectio earum legum, quas Carolus M, et Ludovicus Pius, in generalibus comitiis suffraganibus Episcopis, ac Regni proceribus sanxere, partim ad Ecclesiam, partim ad Rempubblicam rite gubernandam spectantes. Studio Ansegisi Abbatis in unum corpus redacta sunt, et in quatuor libros tributa, quorum I. et III. ad res ecclesiasticas pertinent, II et IV. ad civilem politiam. His Benedictus Levita tres alios adtexuit, tum ex capitibus, quae Ansegisus praeterierat, tum ex aliis post eius mortem perlatis. Capitularia probavit Leo IV. a Gratiano relatus *can. IX dist.*

XVII. Saeculo XI. primus occurrit Burchardus wormatiensis Episcopus, qui an. 1008. nova methodo *magnum decretorum volumen* exornavit, vulgo dictum *decretum* Multa ex Regione mutuatus est, cuius erroribus et suos addidit, praesertim ex αποκρυφοις *apogryhis* Isidori monumentis, sen-

(1) Spicil. Patrum tom. II.

tentias quoque e sacro codice petitas intermiscet, tum et nonnulla ex libris poenitentialibus.

XVIII. Variae quoque per eadem tempora in Occidente prodiere canonum poenitentialium συλλογαι *collectiones*, sive *libri poenitentiales*, vel *poenitentialia*, quibus scilicet agendae pubblicae poenitentiae canones exhibebantur. Huiusmodi plurimae identidem factitatae sunt, quos longum esset hic recensere. Praecipuae sunt I. illa Theodori Archiepiscopi cantuariensis inscripta *poenitentiale*, cujus summaria capita refert Henricus Spelmannus (1). II. illa Bedae, potius Egberti Archiepiscopi eboracensis in quatuor libros distincta, quae ms. extat in bibliotheca collegii S. Benedicti in Anglia. III. illa Halitgarli cameracensis Episcopi edita in Bibliotheca vet. Patr. (2) IV. demum illa Rabani Mauri Benedictini, quam simul cum aliis Rabani operibus evulgavit Georgius Colvenerius.

XIX. Ad eamdem Iuris Canonici epocham liceat quoque referre binas ex aeque Ivoni tributas collectiones, quarum prior ab auctore inscripta *excerptiones ecclesiasticarum regularum libris XVII* non secus ac illa Burchardi *decretum dici consuevit*: altera *panormia*, vel *pannormia* dicta, est veluti eiusdem decreti compendium ordine paullulum diverso digestum.

XX. Postremo quantum ad ius neapolitanum attinet, animadvertere iuvat ecclesiam neapolitanam circa an. 980 in Archiepiscopalem sedem fuisse erectam. Videsis eruditiss. Mazochium (3), et clariss. Iosephum Sparanum in suo recens evulgato opere (4). Atque hic Iuri Canonico *senescenti, et arido* finis esto.

PARS IV.

De iuris canonici statu restaurato, et reflorescente

I. Saeculo XI. nova scholastica methodo ex Aristotele, vel potius ex ejus interpretibus in Ecclesiam inducta, novam plane faciem inducere coepit primum res theologica, dein et Ius Canonicum. Utramque enim facultas ad philosophicum, et acroamaticum dicendi genus restricta, in plures diversasque quaestiones distincta, rationibus in utramque partem expensis, nimis quidem curiose, et aliquando etiam usque ad ineptiam, methodo nihilominus brevi, nec usquequaque inconcinna, et ad subtilem, argutamque disputandi rationem satis apte composita Primus huiusce methodi in re theologica veluti dux, ac pareus fertur fuisse Petrus Lombardus novariensis, *magister sententiarum* vulgo dictus. At in Re Canonica idem paene institutum imitatus est Gratianus, cuius opera canonum disciplina veluti *revixit*, atque *in ordinem redacta est*.

II. In IV. igitur hac Iuris Canonici epocha primus producendus est Gratianus, qui natione tuscus, patria clusinus, professione monachus primus omnium *concordantiam discordantium canonum confecit*, quae deinde *decretum* inscite diei coepit.

III. Hoc opus ex Dionysio Exiguo, Isidoro, Ivone, Burchardo, aliisque

(1) In collect. conc. Galliae. — (2) Tom. V. col. 590. et 592. — (3) De Eccles. cathedr. neap. anteloq. part. III. — (4) Memorie istoriche lib. II. cap. III.

decerptum constat 1. ex locis S. Scripturae. 2. ex prioribus 50. sic dictis canonibus apostolicis, 3. ex conciliis aeque oecumenicis, ac particularibus. 4. ex decretalibus R. Pontificum partim genuinis, partim dubiae fidei, partim etiam *ἀποκρύφοις apocryphis*. 5. ex operibus Patrum, et auctorum ecclesiasticorum. 6. ex libellis poenitentialibus 7. ex libris Iuris Civilis romanorum, capitularibus regum francorum imperatorumque rescriptis. 8. tandem ex historia ecclesiastica, gestisque R. Pontificum, ex libro diurno, et ex ordine romano plerumque desumptis.

IV. Dividitur autem in tres partes quarum prima de *personis* praecipuo agit, et in distinctiones CI. partita est. Secunda, quae de *iudiciis ecclesiasticis* inscribitur, eorumque forma habet caussas XXXVI., quarum singulae in quaestiones dividuntur, in quibus, *quum res poenitentialis* tractetur, titulo *de poenitentia* insignitur. Tertia tandem, quae de rebus sacris praecipit, unde *ἐπιγραφὴν titulum* de *consecratione* exhibet, in V. distinctiones dispescitur.

V. Iam vero Gratianus, licet in sua collectione adornanda plurimum studii, operaeque adhibuerit, attamen quamplurima peccavit, quippe qui ob nimiam temporum infelicitatem historiae, criticés omnisque litteraturae praesidio destitutus. Porro gratianaei codicis menda primum ex parte observata a S. Antonino, deinde plenius excussa, et notata sunt non modo studiis privatorum, ac praecipue a tribus Antoniis *Demochare*, *Contio*, *et Augustino*, sed etiam iussu trium R. Pontificum Pii IV., Pii V., et Gregorii XIII. a viris doctis ad hoc opus selectis: plura quoque emendarunt Petrus, et Franciscus Pithoei, Zegerus Van-Espenius, ac tandem nostris hisce temporibus Carolus Sebastianus Berardus in universitate Augustae Taurinorum sacrorum canonum antecessor.

VI. Quid sibi vult vox *palea* quibusdam canonibus apud Gratianum praefixa? num res levioris momenti, et antiquatas? haud sane. Plerique enim illorum, haud secus ac reliqui, res graves, nec antiquatas complectuntur. Verosimilius *palea* nomen est auctoris, qui canones utilitate, et auctoritate praestantes gratianeo codici adiecit. Et sane in quodam antiquo ms. codice ad marginem prostat, et Cremonae non ignobilis familia cognomine illo distinguitur (1).

VII. Gratiani collectio canonicam auctoritatem, quam principio non habuit, quippe quae privata auctoritate confecta, ne accedente quidem R. Pontificum correctione, adquisivit. Attamen ubi prodiit summo plausu recepta est; adeo ut, caeteris collectionibus neglectis, ipsa tantummodo in usu esset. Id quod duobus potissimum de caussis accidit: 1. quod Gratianus scholastica fere methodo uteretur, quae, uti modo observavimus, tunc primum disciplinis tradendis adcommodari coeperat: 2. quod in bononiensi academia traderetur, ad quam ex omnibus paene mundi partibus confluebatur.

VIII. Quid quod post Gratianum adornandis canonum collectionibus modus factus est? At vero colligendis decretalibus R. Pontificum epistolis manus admoveri coepit. Nec mirum; quum enim tum ob intermissam conciliorum frequentiam, tum ob admissas Isidori pseudo-decretales (quae maximam partem antiquam disciplinam immutarunt) omnia paene negotia ad

(1) Anton. August. emendat. Gratian. lib. I. dialogo 2.

R. Pontifices deferrentur, frequentissime eorumdem erant litterae decretales, ex quibus identidem collectiones confectae, uti mox videbimus.

IX. Prima igitur decretalium collectio est, quae a Bernardo Circa praeposito papiensi an. 1190. composita *breviarium extravagantium* dicta, sive collectio monumentorum extra Gratiani decretum vagantium. Et sane continet tum quasdam R. Pontificum decretales, quae Gratiani diligentiam effugerunt, tum vel maxime eorum, qui post Gratiani aetatem incidere, nonnullis etiam adiectis conciliorum canonibus, patrumque sententiis.

X. Annis ferme duodecim elapsis Ioannes Valleusis, sive Gallensis alteram collectionem edidit in quinque libros tributam, qua epistolas R. Pontificum collegit, tum eas scilicet,quae a Bernardo Circa relictae fuerant, tum nonnullas Gratiani aetatem praecedentes.

XI. Tum Bernardus Maior compostellanus archidiaconus ex decretalibus priorum annorum duodecim Innocenti III. aliam collectionem confecit, quae tamen usu recepta non est. Etenim ipse Innocentius opera usus Bernardi diaconi beneventani tertium decretalium librum evulgavit, cui plenissimum iuris robur est impertitus Atque haec innocentiana collectio omnium prima iuris vim nacta, compostellana reiecta, tertia decretalium collectio appellata est.

XII. Paucos post annos quarta prodiit, qua anonimus quidam auctor posteriores Innocentii III. decretales, necnon et capita lxxi. synodi lateranensis sub eodem Pontifice celebratae complexus est. His adiiciendus videtur Honorius III: qui illud summopere curavit, ut quam diligentissime omnes suae Decretales in unum volumen cogerentur. Hinc quinta habetur decretalium collectio. Utraque haec Innocentii, et Honorii Sedis Apostolicae auctoritate edita est. Atque hae sunt quinque veteres decretalium collectiones, quarum priores quatuor Antonius Augustinus, postremam quintam Innocentius Cironius adiectis adnotationibus edidere.

XIII. Demum quum ob ingentem collectionum copiam, atque elucubratos in eas commentarios maxima in ecclesiasticis iudiciis oborire tur confusio, Gregorius IX. opera usus S. Raymundi de Pennafort barcinonensis, viri pietate, ac multiplici eruditione clarissimi, συλλογὴν *collectionem* decretalium adornavit, quas ex quinque prioribus iam editis deduxit: iisque et quamplures a se conscriptas inseruit. At vero integras plerumque decretales Raymundus non refert, sed ipsarum tantum initia cum ea parte, qua propositae quaestionis definitio continetur. Quum igitur aliquando ea rescindat, quae ad pleniorem rei notitiam conferunt, hinc a priorum collectionum lectione, et studio minime segregandam existimo.

XIV. Ab an. 1230, quo gregoriana prodiit collectio, ad an. usque 1297 colligendis Decretalibus temperatum est, donec Bonifacius VIII. trium jurisperitorum opera novam decretalium collectionem suo nomine, suaque auctoritate, tanquam supplementum Gregorianae,addidit, quam *VI. decretalium librum* appellavit: eaque collectae sunt decretales tum ipsius Bonifacii, tum R. Pontificum, qui post Gregorium vixere, atque etiam canones utriusque lugdunensis generalis concilii, quorum alterum an. 1245. sub Innocentio IV., alterum an. 1274. sub Gregorio X. habitum fuerat.

XV. Accessit postea nova *clementinarum* collectio, qua continentur

constitutiones Clementis V. in concilio viennensi an 1311. editae, et a Ioanne XXII. an. 1317. evulgatae.

XVI Reliquae omnes decretales, quae Corpori Iuris deinceps adiectae sunt *extravagantes* adpellantur, quod veluti errarent, cederentque extra caeteras compilationes. Porro extravagantes sunt partim Ioannis XXII., partim communes non solum subsequentium R. Pontificum ad usque Xystum IV., sed etiam nonnullorum, qui ipsum Innocentium praecesserunt.

XVII. Atque hae sunt sex canonum, ac decretalium collectiones, quae *Corpus Iuris Canonici*, quo vulgo utimur, constituunt: nimirum *decretum Gratiani*, *collectio gregoriana*, *sextus decretalium*, *Clementinae.*, *extravagantes Ioannis XXII.*, *et communes*. Quae enim a Xysti IV. tempore pontificiae prodierunt constitutiones, eae in corpore iuris comprehensae non censentur, etsi ipsarum variae factae sunt collectiones, quae Bullaria dicuntur.

XVIII. Bullae igitur dictae sunt R. Pontificum constitutiones, nemque a sigillo vel plumbeo, vel aureo, quod exhibet hinc figuras ss. Apostolorum Petri, et Pauli, hinc nomen Pontificis, pendetque ex funiculo aut serico, si sint gratiosae, aut canapis, si sint institiae. Bullae aliae sunt *concistoriales*, nimirum quae in concistorio, advocato cardinalium consilio, ac eorundem, subscriptionibus munitae expediuntur. Hae alio novo ad Crucis formam insuper adnexo sigillo distingui solent. Aliae *non concistoriales*, nimirum, quae extra concistorium, non adhibito Cardinalium consilio, feruntur. Praeterea, quae a R. Pontifice ante consecrationem eduntur, *bullae dimidiae* dicuntur, scilicet, quod in sigillo impressio nominis Pontificis desit.

XIX. Bullae a brevibus differunt, 1. quod illae pro gravioribus, ista pro levioribus negotiis expediri solent. 2: pro brevibus in usu sunt membranae subtiles, et albae; pro bullis autem membranae subfuscae, et crassiores. 3: brevia scribuntur charactere latino nitido, et eleganti; bullae vero charactere longobardico, seu theutonico. 4: bullae sigillum exhibent aureum, vel plumbeum pro ratione personarum, ad quas diriguntur, contra vero brevia sigillum tantummodo in rubra cera impressum caelatam habens figuram S. Petri in actu piscationis: unde expediri dicuntur *sub annulo Piscatoris*. 5: demum bullae expediuntur in cancellaria apostolica, brevia per secretarium brevium.

XX. Postremo neque in corpore iuris comprehenduntur concilia provincialia ab Gregorii IX. aetate ad nostram hanc tempestatem, atque adeo nec ipsa concilia generalia post Viennense celebrata.

XXI. Huc quoque referri possunt Regulae Cancellariae Apostolicae, quarum primus auctor proclamatur Ioannes XXII. At cl. Muratorius (1) testatur se vidisse quemdam codicem mscriptum ejusmodi regularum, quibus επιγραφη *inscriptio* Honorii III, inerat. Quare rectius adserendum videtur, ipsas cum eadem Cancellaria communem habuisse ortum, quae deinceps a R. Pontificibus κατα ποδα *pedetentim* incrementa accipientes, denique Innocentii X. cura collectae in titulos 71. divisae fuerunt Porro R. praetorum edictis comparari posse videntur, quippe quae vim iuris, nisi vi-

(1) Antiq. ital. med. aevi lib. 1. diss. 12.

vente R. Pontifice, non habent, quo mortuo omne prorsus robur amittunt, nisi a Successore receptae confirmentur.

XXII. Postremo qui sine piaculo hic omittam, plures Neapoli per illius aetatis Archiepiscopos fuisse ecclesiasticas synodos celebratas, quarum Constitutiones in unum volumen collegit, firmavitque Ioannes Ursinus Archiepiscopus neap. in synodo a se habita circiter anno 1330? Easdem exeunte saeculo xv. vel ineunte xvi. Alexander Carafa Archiep. neap. in altera a se convocata synodo iterum firmavit, typisque excusas evulgandas curavit.

XXIII. Ad eamdem iuris canonici epocham pro regno neapolitano pertinent sex priora *concordata* inter R. Pontifices, et Reges neap. diversis temporibus inita.

1. Occurrunt articuli pacis, quos an. 1156. inter Regem Willelmum, et Hadrianum IV. Beneventi obsessum pactos refert Baronius (1). In his pro temporum ratione cautum est de caussis ecclesiasticis in gradu adpellationis ab Ecclesia Romana iudicandis, de consecrationibus, et visitationibus apostolicis Ecclesiarum regni, legationibus pontificiis, electionibus ecclesiasticis, et investitura regni.

2. Capitula xxiv. a Clemente IV. praescripta in bulla investiturae regni utriusque Siciliae ad Carolum andegavensem data an 1265, quae ea se observaturum iuravit. Attinent potissimum ad Investiturae leges, privilegia, finesque status Beneventi, libertatem electionum Ecclesiasticarum, salvo iure patronatus, immunitatem realem Ecclesiarum, et personalem clericorum (2). Eadem deinde Ferdinandus I. aragonensis innovavit, inseruitque ann. 1649. in pragm. 2. de clericisselvaticis.

3. Capitula xvii. Caroli I. andegavensis in plano S. Martini apud brutios convocato Episcoporum, baronum, et procerum coetu condita, et promulgata an. 1283., quae quum Honorius IV. an. 1285. quod attinet ad immunitates, et privilegia clericorum, confirmasset, concordata Honorii passim dicta sunt. Ex his, quae ad rem ecclesiasticam spectant infra recensebimus: Summont. (3), Greg. Grimald. (4)

4. Alia eodem an. 1285. capitula edidit ipse Honorius de forma exigendi collectas, et vectigalia pro baronibus, aliisque Regni utilitatibus a Card. de Parma legato Pontificio pubblicata. At num vim legis aliquando in Regno habuerint, adhuc lis est inter Raiualdum, et auctorem *hist. civ. neap.* Greg. Grimald (5).

Eadem fere andegavensium pacta conventa sunt in sequentibus investiturarum litteris; quas deinceps a R. Pontificibus Reges neap. accepere; praesertim Carolus duracensis ab Urbano IV. an. 1380. Alphonsus Aragonensis ab Eugenio IV. an. 1445. Ferdinandus Catholicus ab Innocentio VIII. an. 1486. aliique.

5. Sequenti an. 1487. idem Innocentius VIII. cum Ferdinando Rege pactus est, ut episcopatus omnes, et beneficia huius Regni Papa conferret ad sui libitum. (6)

6. Tum vero Clemens VII. percusso foedere cum Carolo V. Imper. die

(1) Tom. II. annal. ad ann. 1156. — (2) Rainal. annal. eccles. ad ann. 1265. — (3) Tom. II. hist. neap. — (4) Lib. XII. hist. leg.; et magistr. n. 5, et seq. — (5) Ibidem. — (6) Raineld. ad an. 1487. n. 11.

29. iulii 1532. regi neap nominationem indulsit praelatorum ad xxv. cathedrales Ecclesias, viii. scilicet archiepiscopales, et xvii. episcopales: reliquae omnes liberae Sedis Apostolicae collationi permissae sunt. Videsis Carolum Gagliardum (1).

PARS V.

De iuris canonici statu expolito, et ad primaevum candorem qua fieri potuit restituto

I. Ad caeteras calamitates, quibus Ecclesia adfligebatur ob curruptos, depravatosque clericorum, ac laicorum mores, saeculo xvi. fere ineunte accessit Luthero, eiusque adseclis intestina pestis, qui obtentu repurgandae Ecclesiae eam miseris modis dilaniarunt. Verum ab his novis secessionibus id utilitatis in Ecclesiam redundavit, quod omnium animi, licet sero, serio tamen conversi sunt non ad fidei quidem, quae variari nequit, sed morum, et disciplinae ecclesiasticae emendationem. Resumptum est studium antiquitatum ecclesiasticarum, veteresque canones longa oblivione sepulti nocturna, diurnaque manu versati sunt a viris ecclesiasticis, atque adeo penitioris sapientiae studium longe lateque per Europam vigere, litterarumque felicitas solium occupare coepit.

II. Ex tridentino igitur concilio, quod a Paulo III. indictum, sub Iulio III. continuatum, demum sub Pio IV. absolutum est, tum novarum haereseon damnatio, tum sancta illa, ac saluberrima abusuum sequioris aevi reformatio manavit, qua plerique antiquorum canonum redintegrati, dispensationes, et privilegia restricta, episcopalis auctoritas exaltata.

III. Tridentinorum ad disciplinam pertinentium decretorum interpretationi Pius IV. Cardinalium Congregationem praeposuit, cuius instar Xystus V., et Urbanus VIII. alias pro aliis negotiis destinarunt.

IV. Ad postremam igitur Iuris Canonici epocham pertinent 1. synodus ipsa tridentina, et quae post habita sunt concilia provincialia; inter quae eminent sex mediolanensia per S. Carolum Borromaeum, et bina neap. per Archiepiscopos Marium Carafam an. 1576. et Iacobum Card. Cantelmum an. 1699. Tum plures Neapoli identidem celebratae synodi dioecesanae, quarum pleraeque typis excusae evulgatae sunt: nonnullae vero, scilicet illae Hannibalis de Capua, Octavii Card. Aquaviva, Decii Gard. Carafae, et Francisci Card. Boncompagno huc illucque dispersae in Archiviis latebant; usque dum vir cl. Iosephus Sparanus diligentia quanta maxima conquisitas in unum collegerit, atque in tuto collocaverit: excepta dumtaxat I. Synodo Card. Boncompagno, cuius acta, vel omnino perierunt, vel in aliquo pluteo delitescunt. Earumdem specimina ipsemet vir cl. exhibet in suo recens evulgato egregio opere (2). Quarum syllabum dumtaxat chronologicum hic adferre non abs re me facturum puto. Sunt igitur.

I. Sub Alphonso Card. Carafa an. 1565., quam Marius Carafa eius successor Neap. typis an. 1568. excudi curavit: Chioccar. (3)

II. Sub eodem Mario Carafa an. 1567.

III. Sub Hannibale de Capua an. 1595.

(1) Inst. Can. lib. I. tit. X. — (2) Memorie istoriche della s. napolet. Chiesa. — (3) De Episcop. neap. in Alphons. Carafa.

IV. Sub Octavio card. Aquaviva an. 1607.
V. Sub eodem an. 1611.
VI. Sub eodem au. 1612.
VII. Sub Decio card. Carafa an. 1619.
VIII. Sub eodem an. 1622.
IX. Sub eodem an. 1623.
X. Sub Francisco card. Boncompagno an. 1627.
XI. Sub eodem an. 1628.
XII. Sub eodem au. 1632.
XIII. Sub Ascanio card. Philamarino an. 1642.
XIV. Sub eodem an. 1644.
XV. Sub eodem an. 1646.
XVI. Sub eodem an 1649.
XVII. Sub eodem an. 1652.
XVIII. Sub eodem an. 1658.
XIX. Sub eodem an. 1662.
XX. Sub Innico card. Caracciolo an. 1669.
XXI. Sub eodem an. 1672.
XXII. Sub eodem an. 1676.
XXIII. Sub eodem an. 1680.
XXIV. Sub Iacobo card. Cantelmo an. 1694.
XXV. Sub Francisco card. Pignatello an. 1725.

2. Subsecutae Romanorum Pontificum constitutiones ab Pio IV. ad nostram hanc aetatem; inter quas plurimi faciendae illae, quas Summus Pontifex post hominum memoriam sapientissimus Benedictus XIV. ad Ecclesiae disciplinam confirmandam, et instaurandam pertulit, quae in plura volumina collectae veluti novam decretalium collectionem exhibeut.

3. Demum pro regno neapolitano Concordatum inter Sedem Apostolicam, et Carolum Borbonium olim Regem nostrum, nunc Hispaniarum Monarcham Pium Felicem Augustum initum, quo varia ad Ecclesiasticam disciplinam spectantia pacto foedere constituta sunt novem capitulis 1. de immunitate reali, 2. de immunitate locali 3. de immunitate personali 4. de requisitis ordinandorum 5. de administratione extauritarum aliorumque locorum piorum 6. de caussis fori ecclesiastici 7. de librorum introductione: 8 de beneficiis, et pensionibus 9 de tribunali mixto. Praeterea sex articuli uno eodemque tempore secreto constituti sunt. 1. de privilegiis Beneventanorum 2. de regio placito 3. de recursu ad Principem 4. de pensionibus, 5, et 6. De unione, ac suppressione egenarum cathedralium, ecclesiarumque nullius dioecesis (1).

(1) Heic adnecti debent pacta inita anno 1818. inter Pium VII. Summum Pontificem, aeterna memoria dignum, et Ferdinandum I. olim Regem nostrum pientissimum, quibus pleraque ad Ecclesiae disciplinam spectantia, atque triginta quinque articulis absoluta, constituta fuerunt. In illis agitur de Episcoporum nominatione, de synodorum convocatione, de libertate Antistitum ad pastoralia munia juxta canonum sanctionem obeunda, de beneficiorum collatione, et Ecclesiae pensionibus, nec non ipsius Ecclesiae bonorum vacantium administratione, suppressis jam monto frumentario, ac regii delegati iurisdictione, aliisque id genus. Cum vero pacta isthaec Ius novissimum constituant, non abs re erit eadem suo loco sigillatim interserere.

INSTITUTIONUM

CANONICARUM

LIBER PRIMUS

Quoniam sacri Ecclesiae canones plerumque Ius Divinum aeque naturale, ac positivum vel involutum evolvunt, vel adversus ingruentes morum corruptelas in integrum restituunt, poenisque sepiunt gravioribus, vel denique ex alterutro, aut ambobus consectaria deducunt: hinc nemo sane non videt ad penitiorem Iuris Canonici cognitionem adsequendam conferre plurimum utriusque illius Divini Iuris, scilicet naturalis, ac positivi indolem, et proprietates propius rimari, ac veluti in nucleo exhibere. Facilius enim fluminum cursus diriget, qui fontes, unde fluviales aquae emanant, perspectos habebit.

TITULUS PRIMUS

DE IURE DIVINO NATURALI, AC POSITIVO

I. Vocabulum Ius a *δεου* originem habere sibi persuasit Menagius: (1) a *Iove* Scipio Gentilis: *Origin.*, et Grotius (2). Verum hi durius *ετυμολογειν* mihi videntur: nam prona est, et cuivis patens vocis huius originatio a *iubendo.* Veteres enim, ut apud Festum legitur, *iura* dicebant *iusa*, et *iussa;* quod ea nempe continerent, quae iussisset Populus.

II. *Ius* vocabulum est maxime *πολυσημου significatione varium* (3). Potest enim minus proprie pro eo accipi, quod aequum, ac bonum est, quodque rationi consonum, unde Terent. heaut. iv. 1. *quid cum illis agas, qui neque ius, neque bonum, neque aequum sciunt.* Similiter et intelligi solet pro legitima facultate, quae cuique a natura, a ratione, a lege datur ad aliquid agendum, vel omittendum, adsequendum, vel retinendum. Hinc idem Terent. adelph. I. 1. 27. *non necesse habeo omnia pro meo iure a-*

(1) Amoen. iuris. cap. 39. — (2) Prolegomen. iur. p. et p. §. XII.
(3) L. XI, et XII. C. de iustitia, et iure.

gere. At vero princeps huius vocis notio est, ut principium, seu regulam designet, quae aut actiones hominum vel ratione, vel lege poenam minante, proemiumve proponente ad id, quod bonum, aequum, ac iustum est dirigat, aut ab eo avertat, quod malum est, iniquum, atque iniustum.

III. Iam vero ius tertia hac notione acceptum recte definitur: ***complexio legum omnium unius,ejusdemque generis.*** Quamobrem videt quisque, quales sunt leges, tale inde ius, iurisprudentiam, iustitiam emergere. Quum igitur leges vel divinae sint, vel humanae, videlicet vel Deum ipsum humani generis Conditorem, vel hominem eieant auctorem; hinc ius vel ***divinum*** erit, vel ***humanum.***

IV. Porro Deus voluntatem suam aeternam aequi, et iusti regulam, vel per rectam rationem, vel per sacras litteras hominibus promulgavit. Ius igitur Divinum vel ***naturale***, et ***gentium*** est, vel ***positivum.*** Duplex quoque est et Ius humanum,nimirum ***civile***,quod populus, optimates, vel summus imperator constituit, et ***canonicum ecclesiasticum, pontificium***,quod Ecclesiarum Pastores, et Pastorum princeps, et caput pro recto commissi sibi gregis regimine sanxerunt. Adhaec utrumque tam civile, quam Canonicum ius in ***expressum*** εγγραφον ***scriptum***, et ***tacitum*** αγραφον ***non scriptum*** dispesci solet, quod iam viderat Aristoteles, qui ius vocat το κατα γραμματα, και το κατα ηθη: ***secundum scripta, et secundum mores,*** sive ***consuetudines.***

De iure divino naturali

V. Ius Naturae est ***legum complexio a Deo per rectam rationem universo generi humano promulgatarum circa ea, quae facienda, vel omittenda sunt.*** Recta igitur ratio medium illud est,quo leges nobis suas suprema ratio aperit. Unde quae iure naturae hominibus vel praecipiuntur, vel vetantur, sunt ad legem comparata per se bona, vel mala, scilicet vel ad hominis conservationem, perfectionemque suapte natura prosunt, vel eumdem destruunt, deterioremque reddunt. Ac proinde contingere nequaquam potest, ut quae bona sunt, mali, et quae mala snut, boni unquam induant naturam.

VI.Et sane 1. scriptae sunt in archetypis supremae rationis ideis, in immutabilibus divinae voluntatis regulis praeceptiones eae, quas proinde necessario summa voluntas iubet, ne sibi ipsi adversari videatur. Adhaec 2. ius naturae quum Deum habeat auctorem,et Deus sit sapientissimus aeque, ac sanctissimus, et in sua Sapientia, et sanctitate immutabilis, plane nequit, quae sapienter, et sancte iussit optima, justa, et aequa unquam in mala, iniusta, et iniqua commutare.

VII. Hinc elegantissime, et si unquam aliud egregie Cicero (1): ***est quidem vera lex, recta ratio noturae congruens, diffusa in omnes,constans, sempiterna, quae vocet ad officium iubendo, vetando a fraude deterreat. Huic legi nec abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus. Neque est quaerendus explanator, aut inter-***

(1) Lib. de rep. III. apud Lactant. inst. div lib. IV. cap. 8.

pres ejus alius. Nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed et omnes gentes, et omni tempore, una lex et sempiterna, et immutabilis continebit. Unusque erit communis quasi magister, et imperator omnium Deus. Ille legis hujus inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis adspernabitur. Hoc ipso luet maximas poenas etiamsi caetera supplicia, quae putantur, effugerit. Post haec divina poene hominis verba, ut Lactantius subdit, a veritatis notitia remoti videntur ii, qui cum Leibnitio (1) mutabile ius naturae fingunt.

VIII. Forte id innuere voluerunt, scilicet quaedam iure naturae ita esse constituta, ut mutationem aliquam subire videantur. At in his non ius naturae mutatur, sed ea ipsa, de quibus jus illud constituit, quaeque mutationi sunt obnoxia, commutantur. Ita homini vitam adimere homicidium est, ut est furtum res alienas surripere, quae voces vitium involvunt; actum nempe privata auctoritate contra alterius vitam, aut bona. Verum si Deo jubente, et vita impio, et avaro bona auferantur, neque homicidium, neque furtum erit, quia haec Dei consilio fiunt, qui vitae auctor, et rerum supremus Dominus est. Hinc uti Scholastici loqui amant, quidam actus ita jure naturae sunt vetiti, ut nulla unquam circumstantia cohonestari possint, secus vero alii. Prioris generis sunt mendacium, perjurium, prava in Deum, aut proximum voluntas etc. posterioris homicidium, furtum etc. Id quod non intelligendum, quasi vitia permittantur, sed potius, quae alias essent vitia, omnem prorsus malitiam exuere; mutatur enim materia legis, non lex, iuris obiectum, non forma.

IX. Iam vero quum omnia propter semetipsum operatus sit Deus, et Deus ipse infinita, qua praeditus est, bonitate, omnes homines, quos condidit, velit esse quam felicissimos: adhaec felicitatem ipsam humanam sine ordinata charitate constare haud posse tam perspicuum sit, quam quod maxime; hinc *ordinata charitas erga Deum, nos ipsos, aliosque homines* principium erit verum, evidens, et adaequatum, quo et divinae voluntati per rectam rationem praecipienti, aut vetanti obtemperabimus, et ipsam felicitatem adsequemur.

X. Porro per ordinatam charitatem nos vel *perfecte*, vel *hypothetice*, vel *imperfecte* ad quaedam agenda, aut omittenda obligamur. Hinc quisque videt officia promanare vel *perfecta*, sive absoluta, vel *hypothetica*, vel *imperfecta*. Priora vulgo dicuntur iustitiae, ultima humanitatis, et beneficentiae, media nunc iustitiae, nunc beneficentiae, prout res ipsa sese offeret.

1. Iustitiae officia sunt, e. g. Deum interno, externoque cultu, ut creaturas decet, venerari, seipsum servare, alios non laedere, sive suum cuique tribuere.

2. Hypothetica sunt non praetermittere quaedam divini cultus indicia alias non praecepta, si grave scandalum inde capiant fratres: sic Daniel non omisit statis horis versus Hierusalem preces fundere, licet contra urgeret regis praeceptum. Tum vitae iactura subeunda est, ubi aliter peccatum adversus Deum declinari nequeat: hoc praestito officio infiniti ho-

(1) Diss. de principiis Iur. Nat. adversus Coccejum.

mines martyrii palmam promeruerunt. Demum iusto bello hostes interficere, urgente necessitate ad vitam sustinendam furari, officia sunt hypothetica, non absoluta iuris naturae. Quod discrimen si non neglexisset Salmasius, erroris utique romanos iurisconsultos non arguisset, ut qui furtum admittere naturali iure prohibitum autumarent, quamquam nec ratio furti in necessitate extrema locum habet, ubi iuxta primaevum iuris principium omnia evadunt communia.

3. Sunt postremo officia humanitatis, vel beneficentiae, quae nobis supersunt indigis earum communicare, peritura apud nos in aliorum convertere utilitatem, alterum, quum possumus, ope, et consilio iuvare, errantem in viam revocare, sitienti aquam, algenti ignem, aestu languenti umbram, fame laboranti panem non negare, et his similia.

De iure gentium

XI. Ex hactenus dictis facile est Ius Gentium definire, quod sit ipsissimum *ius Naturae vitae hominis sociali, et negotiis tam publicis, quam privatis societatum, integrarumque gentium ordinati amoris vinculo coniunctarum adplicatum*. Quum enim status moralis, scilicet quo actiones hominum liberae ab amore ordinato per rectam rationem reguntur, vel hominibus sit connatus, vel ab aliquo hominum facto pendeat, hinc ab uno, eodemque principio duplex ius oriri videtur, *Naturae* scilicet, et *Gentium*. Igitur quisque iam videt statum moralem, qui ab hominum facto pendent, scilicet *ius gentium*, esse homini veluti adventitium. Qualitas enim est, quam singuli homines facto suo sibi eligunt.

XII. Verum quum ius gentium sit ipsum ius Naturae vitae hominum sociali adplicatum, hinc priusquam ad reliqua deveniamus, advertere iuvat, quibusnam de caussis, quibusque gradibus ad societates ineundas animum adpulerint homines. Licet inter homines alter prae altero perfectior sit, vel imperfectior, natura tamen inter se aequales sunt, quum iisdem partibus essentialibus, scilicet mente, et corpore, constent. Status ergo naturalis status est aequalitatis: et quia aequalis in aequalem ius non habet, hinc status naturalis erit quoque status libertatis: *Natura in humanis omnia sunt paria* (1).

XIII. Quid igitur homines ab aequalitatis libertatisque statu ad illum inaequalitatis, ad societatem scilicet impulit? dicam quod sentio. Societas quum 1. sit consensus plurium in eumdem finem, et media eadem ad propositum finem obtinendum necessaria, tum 2. societas sine rectoribus, et subditis fingi non possit; adhaec 3. societas ipsa vel *simplex* sit, vel ex pluribus simplicibus *composita*, hinc quamvis Grotius, Puffendorfius, Hobbesius, Leibnitius, aliique inter se dilitigent; ex sacra tamen historia satis liquet in simplices societates Deum homines coniunxisse, *ut se invicem iuvarent*: in compositas vero homines ipsos coaluisse, *ut se invicem tuerentur*, deo tamen auctore, ratione duce, necessitate suadente. Nam quum vidisset Deus non esse bonum hominem esse solum, fecit Evam adiutorium illi simile (2): ac proinde filiorum, qui ex coniugio procreantur, cum pa-

(1) Varro in fragmen: apud Non. II. 98.—(2) Gen. II. 18.

rentibus societatem Deus ipse instituit, ut filii ipsi inde educationem acciperent; unde vitam habuissent. At compositam civitatis societatem subinde Adae filii constituere, Deo probante, natura ducente, ratione dictante, denique necessitate cogente, qua Cain primus civitatem instituisse videtur, qui ob datam Abelo mortem (1) profugus a Deo sibi ab hominibus timebat.

XIV. Igitur ut se invicem tuerentur, quod rationi consentaneum est, ad compositam societatem impulsi sunt homines. Atque adeo id verum est, ut ipsa Romanae Urbis exordia non aliunde ortum habuerint, quam ex iis, qui vel novarum rerum cupidi, vel scelere aliquo admisso, ex finitimis populis tutandae suae vitae caussa ad apertum a Romulo asylum confugerunt. Verum quia ex ipsa quotidiana consuetudine, et diuturna cohabitatione amicitia oritur, et amicitia, uti Cicero observat, (2) ex pluribus fiat unum, unum idemque sentiendo, et vicissim se iuvando; hac de caussa, ut in simplicioribus sit societatibus, cives nonnulla sibi adiumenta, et humanitatis, beneficentiaeque officia praestant. Quare egregie Apuleius (3) scribit: *civitatem esse coniunctionem inter se hominum plurimorum, in quibus sint regentes alii, alii deteriores coniuncti inter se concordia, atque inde sibi opem, atque auxilium deferentes, iisdem legibus, rectis tamen officia sua temperantes.*

XV. Quare societatum omnium tam simplicium, quam compositarum ea suprema lex est, et institutum ex ipso naturali iure derivatum, nempe ad ea omnia, vel dicenda, vel agenda obstrictos esse socios, quibus positis, veluti mediis, finis, quem vel natura, vel sibi societas ratione dictante proposuit, facile obtinetur, et ad ea omnia vel tacenda, vel omittenda, quae societatis fini adversantur.

XVI. Hinc 1. cunsectarii loco observandum, quod quum sine consensu ad rationis normam nulla stare societas possit, et quum consensus possit esse, vel *expressus*, vel *praesumptus*, hinc sponte sua fluit triplici modo coalescere societates posse. Sic *expresse* in societatem convenerunt qui primum urbes, vel oppida fundarunt, tacite, qui in urbibus, oppidisque jam fundatis nascuntur, vel qui ex una in aliam urbem domicilium, res, fortunasque suas transferunt. *Praesumptive* demum filii cum parentibus societatem ineunt; praesumitur enim nolle non posse liberos cum parentibus in societate vivere, sine qua ipsi ad omnia impares, nec conservari, nec commode educari possent.

XVII. Hinc 2. quum quaelibet societas sociorum consensu, vel expresso, vel tacito, vel praesumpto ad certum finem tendere debeat, ne brutorum vitam vivant, quumque fines alii, atque alii esse possint: alia quoque, atque alia erunt societatum genera. Quare si iustus, licitusque erit finis, iusta et licita erit Societas, iniusta vero et illicita, si illicitus, et iniustus, erit finis, ideoque segreganda.

XVIII. Hinc 3. consequitur, quod quum quandoque non singuli homines tantum, sed integrae iam constitutae societates eumdem finem, et media ad eumdem finem consequendum necessaria intendant, quumque consensu oriatur societas: possunt quoque ex pluribus societatibus iam constitutis, tanquam ex moralibus personis sive individuis, maiores, et maxime

(1) Gen. IV. 17. — (2) De Offic. I. 17. — (3) De hab. dot. Plat. II.

compositae roalescere.Sic ex multis inter se consociatis familiis *pagi*, et ex pluribus pagis *urbes*, et ex urbibus *res publicae*, et *regna* existunt. Sic quoque ex pluribus per totum orbem constitutis christianis Ecclesiis una coalescit catholicae Ecclesiae Christiana Respublica: Christo tamen instituente, sanciente, muniente unitatem uno Capite constituto, ut schismatis tolleretur occasio.

De iure divino positivo

XIX. Breviter huc usque exposito *Iure Divino Naturali*, modo de *Iure Divino Positivo*, sive *Revelato* pauca dicamus. Satis constat ex recta ratione sola hoc ius non innotescere, sed a Deo per sacras litteras fuisse promulgatum. Constat quoque adversus Gudlingium *de Iure Naturae*, aliosque idem ius recte in *universale et peculiare* distingui, illud universum humanum genus obstringit, hoc vero genti iudaicae proprium est. Ius enim, quod hebraeis per Moysen praecepit Deus ex vulgata omnium sententia tres in partes dividitur, in praecepta scilicet *iudicialia*, *caeremonialia, et moralia. Loquar tibi omnia mandata mea, et caeremonias, atque iudicia* (1).

XX. Iudicialia praecepta civilem hebraeorum politiam constituebant. Deus enim ex cunctis gentibus Abrahami posteros sibi segregavit, dicens: *eritis mihi in peculium de cunctis populis, et vos eritis mihi in regnum* (2). Tum Samueli aegre ferenti, quod hebraei sibi regem dari peterent, respondit: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos* (3). Hinc profecto videt quisque, hebraeorum regnum Θεοκρατίαν potius repraesentasse. Deus enim ipse, perinde ac si dux esset, ac rector illius populi, leges tulit moribus, atque indoli hebraicae gentis conformes.

XXI. Caeremonialia deinde praecepta divinum cultum, sacrificia, sacrosque ritus spectabant, eo tamen modo, ut omnia Iesum Christum ea ex gente proditurum non omnino obscuris signis indicarent, quare Apostolus (4) *umbram*, ait, *habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quae offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere*.

XXII. Praecepta demum moralia sunt ipsa iuris naturae mandata: nam quum ipsum ius naturae hominum cordibus a Deo inscriptum pravis gentium moribus fuisset poene deletum, nova sollemniorique promulgatione per Moysen hebraeis in lapideis tabulis exaratum Deus ipse restituit. Si enim certos dies festos excipias quolibet in anno Dei cultui praecipue dicandos, qui ad sabbata lege mosaica reducuntur, quique apud nos ad Dominicos dies sunt redacti, caetera moralia hebraeorum praecepta ne latum quidem unguem a naturalibus mandatis discriminantur.

XXIII. Hinc facile est intelligere ex hisce triplicis generis praeceptis *iudicialia* non omnibus gentibus fuisse imposita. Quisque enim populus peculiares habet mores, et disciplinam, ac proinde peculiares habere debet civiles leges, et iudiciorum formulas. Caeremonialia porro tanquam noctis umbrae, orta iam clarissima Evangelii luce ex iustitiae sole quaquaversus

(1) Deuter v. 31. — (2) Exod. XVIII. 5. — (3) Lib. I. Reg. VIII. 7.
(4) Epist. ad hebr. x. 1.

diffusa, evanuerunt penitus: *lex enim*, ait Apostolus (1), *paedagogus noster fuit in Christo* (2): *qui aufert primum, ut sequens statuat.* Quinimmo sufficienti legis christianae per Apostolos promulgatione, non solum abolita, verum mortifera evasisse concors theologorum sententia est. At non idem de moralibus dicendum. Quum enim nihil a iure naturali differant, quemadmodum ius naturale immutabile est, et universo humano generi fuit a Deo per rectam rationem promulgatum, ut superius diximus, ita et ipsa immutabilia sunt, et obligant omnes.

XXIV. Verum haec eadem βραχέως *breviter* quidem, at aliqua sunt luce perfundenda. Non inficias ihimus 1. nonnulla sive coeremonialia, sive iudicialia hebraeorum praecepta nostris legibus, tum ecclesiasticis, cum civilibus comprehendi, id quod plurimi egregii viri, et prae caeteris Petrus Pithoeus libello, cui titulus: *collatio legum mosaicarum cum romanis*, demonstrarunt. At haec legum, rituumque concordia, partim ex eo oritur, quod non semel homines, quamvis longe temporum, locorumque intervallis dissiti, nec una litterarum saltem communione coniuncti, idem tamen quandoque velint, vel iubeant, eosdemque ex parte ritus in sacris, easdem in iudiciis formulas servent; partim vero, quod nonnulla ex hebraeorum legibus in civili, vel canonico iure idcirco obtinent, quod vel ab Episcopis, vel a saeculi Principibus in ecclesiastico, vel civili christianorum regimine adoptata sunt, vel potius, ut ita dicam, in novum ius translata. Quare Apostoli in altera hierosolymitana synodo (3), quum post Petrum decrevissent fratribus ex gentibus ad Christi fidem conversis,*nihil ultra imponere oneris* quantum ad caeremonias mosaicas, iis scripserunt: *visum est Spiritui Sancto, et nobis. . . ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, a quibus custodientes vos bene agetis.* Et hoc quidem 1: ut synagoga honorifice ad sepulcrum deferretur. 2: ut ex hebraeis ad fidem conversi firmius in fide starent, se non omnino in diversa omnia translatos existimantes. 3: ut periculum omne arceretur, ne nova Ecclesiae germina in idololatriam, et imbecillium offensionem relaberentur.

XXV. Adhaec et Ecclesiae Apostolorum vestigiis insistens haud pauca, quae ad cultus divini reverentiam, sacrorumque ministrorum munia rectius dirigenda conducere videbantur, adoptavit (4). At haec non tanquam mosaicae legis adhuc vigentis fragmenta, sed tanquam nova Apostolorum, Ecclesiaeque mandata sunt observanda.

XXVI. Verum moralia mosaicae legis praecepta, utpote ipsissima immutabilia naturalis iuris mandata, tantum abest, ut vel minimum nutarint, ut potius firmius constabilita, et penitius a Christo Domino fuerint explicata. Hinc Iesus ipse primigeniam eorumdem praeceptorum intelligentiam explanaturus, clarissime testatus est (5): *nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere . . . . iota unum, aut unus apex non praeteribit a lege.*

XXVII. Et profecto praecipua christianae legis praecepta nova non sunt novi iuris vincula, sed 1: ipsius iuris naturae explanationes, cuiusmodi est charitatis praeceptum erga Deum, et homines, quod vanis, et quandoque

(1) Epist. ad galat. III. — (2) Epist. ad hebr. X. — (3) Act. XV.
(4) Cap. 1. et 2. de adulteriis, cap. 1. de furtis. — (5) Matth. V. 17.

erroneis hebraeorum traditionibus involutum ad directum finem direxit Christus. Huc etiam spectant pleraeque evangelicae parabolae, quibus Redemptor noster ad plenius explanandam, atque adeo insinuandam divinae legis indolem uti consuevit. Vel 2: solida, et divina adiumenta, quibus illorum exercitium facilius redderetur: uti sunt Sacramenta a Christo instituta ad virtutes omnes, et praesertim Fidem, Spem Charitatem non philosophico supercilio, et fastu, sed christiana humilitate excitandas, firmandas, fovendasque, quibus veluti alis ad invisibilia futura aeterna serio animum intendamus. Vel 3: fines statuti, quibus praecepta ipsa regantur, ne mutuo se destruant, aut laxata adpareant: rursus, quae pravis interpretationibus labefactata sunt, in pristinam amplitudinem redigantur. Sic illa de diligendis parentibus, de non occidendo, de non moechando, de non furando, in quibus observandis mirum quantum hebraei frena laxaverint, eadem pristinae integritati restituit. Vel demum 4: eorum abrogationes, quae Moyses, ut pervicaces retineret hebraeos, permiserat, ut in libello repudii factum est, quod revocans Christus, ad duritiem cordis hebraeorum permisisse Moysen edixit. Quare ad rem Tertullianus(1): *Christus*, ait, *Dei Creatoris praecepta supplendo et conservavit, et auxit.* Et Catechismus romanus (2) haec habet: *certissimum est non propterea his praeceptis parendum esse, quod per Moysen data sint, sed quod omnium animis ingenita, et per Christum Dominum explicata sunt, et confirmata.*

XXVIII. Ex hucusque dictis quaedam sunt consectaria deducenda 1. quum ex divino positivo hebraeorum iure Christus Dominus nonnisi *morale*, et restituerit firmius, et plenius explicaverit, proculdubio tum ex veteri, tum ex novo Testamento *moralia documenta* sunt elicienda, iisdemque omnes ex aequo homines obstringuntur.

2. Ius *caeremoniale* futurorum umbra, atque imago, orto iam Iustitiae sole, evanuit quidem: Christus tamen ipse licet minutos, singularesque ritus non instituerit, (hos enim Ecclesiae sponsae suae decernendos reliquit) praecipuos tamen, et essentiales mandavit, qui adumbrata exprimerent, et explicarent. Sic ut aqua, et certa verborum formula in baptismate ablutio fieret, ut manuum impositione Ecclesiae ministri initiarentur, ut panis et vinum secundum Melchisedech sacerdotium in Eucharistico Sacrificio adhiberentur, aliaque pauca Christus ipse constituit.

3. Demum quum cuiusque populi moribus vel maxime ius civile sit adcommodandum, Christiana vero Ecclesia, non unam tantum gentem, ut synagoga hebraicum populum, sed universas prorsus nationes suo ambitu erat comprehensura; tum Christus non terrenum, et periturum, sed ex terrenis, et perituris, unum spirituale, ac aeternum fundaturus regnum venerat, qui Pilato respondit, *regnum meum non est de hoc mundo* (3): hinc iudicialia praecepta quantum ad res civiles non dedit, sed ea pro cuiusque gentis indole, et moribus, at ab ipsis divinis moralibus praeceptis haud remota, saeculi principibus ferenda reliquit.

XXIX. Si eae tantum leges alicuius regis propriae sunt censendae, quae ab ipsomet rege sunt propria manu conscriptae, profecto nec Christi, nec

(1) Lib. de Paten. — (2) Part. III. de Dei praeceptis cap. 1. n. 3. —(3) Ioann. XVIII. 36.

Regis alicuius leges haberemus. At quum contra eae leges saeculi Principibus peculiariter adscribantur, quae eorum voluntate ab regnorum administris sunt conditae, eorumque nutu promulgatae, quis quaeso non intelligit, quod quamvis Christus unquam scripsisse non legatur (quidquid sit de Epistola Abgaro Edessae regi scripta a S. Ephraem syro diacono, et Eusebio caesareensi relata de cuius γνησιωτητι *legitima origine* apud eruditos adhuc sub iudice lis est), attamen quum ipse palam loquens legem suam promulgarit, et in occulto locutus sit nihil (1), quum Evangelium praedicandum mandaverit in universo mundo (2), quum ad Patrem adscensurus Apostolis praeceperit: *euntes docete omnes gentes . . . docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis* (3), demum quum post aliquot ab ipsius αναβασει *adscensione* annos ad γνησιαν *legitimam* dictorum, factorumque eius narrationem perpetuo servandam, et ad exorientes confutandas haereses quatuor *evangelia* scribenda inspiraverit, inque *apostolorum actibus, Petri, Pauli, Ioannis, Iacobi, et Iudae epistolis*, ut et in *apocalypsi Ioannis*, quae ad fidelium aedificationem necessaria existimavit, comprehensa voluerit, Ecclesiam denique divinarum traditionum custodem, et vindicem dederit, hac de caussa satis superque Christi lex et conscripta, et promulgata dicenda est.

XXX. Idcirco tenendum est praeter τας γραφας *scripturas* alia multa esse, quae Christus docuit, quaeque Apostoli solo verbo fidelibus tradiderunt: quamobrem Paulus scribit (4): *tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam:* unde facile quisque colliget divinas, apostolicasque traditiones eadem prorsus auctoritate apud fideles pollere, qua divinum, et apostolicum ius, quod sacro novi foederis codice continetur. Si qui plura hac de re noscere aveant, consulant theologos.

De iure humano canonico, et civili

XXXI. Ius divinum vel naturale, vel revelatum pone sequitur *Ius humanum*, quod recte in *civile*, et *canonicum* dividitur. Ius civile egregie et philosophice quidem Caius J. C. definit (5): *Ius quod quisque populus sibi constituit, et cuiusque civitatis proprium est.* Clarissime enim ipsimet romani pernoscebant non unum, sed tot esse civilia iura, quot civitates. Verum quum Roma κατ' ἐξοχην *per excellentiam* dicatur *urbs*, hinc Ius a romanis sibi constitutum κατ' ἐξοχην *per excellentiam, ius civile* vocari solet. Adhaec quum romanus populus innumeras orbis gentes suo subegerit imperio, iisque ius romanum civitatis communicaverit, hac de caussa, quemadmodum ex pluribus populis, et civitatibus unus veluti populus, et civitas prodiit, et inde aliorum regnorum, vel rerum publicarum adpellatione sublata, unicum conflatum est romanum imperium, ita quoque civitatum, regnorumque peculiaribus iuribus abrogatis, unicum ius romanum apud subiectas gentes diu invaluit, adeoque unicum romanum ius *romani orbis civile* fuit.

XXXII. Verum quum idem prorsus ius sit sive expresso, sive tacito suf-

(1) Ioann. XVIII. 2. — (2) Matth. XXVI. 13. — (3) Matth. XXVIII. 19, 20.
(4) Epist. ad thessal. II. 2. — (5) L. IX. D. de iust, et iure.

fragio constituatur (1): hinc profecto liquet ius civile, sive *scriptum* ἐγγραφον sit, sive *non scriptum* ἀγραφον eamdem obtinere auctoritatem (2). Nam utrumque obligandi vim ab eo habet, penes quem est legislatoria potestas. Verum haec luculentius explanare non est hic locus, dum canonici iuris provincia, quam late patet, sollicito est nobis gradu peragranda.

TITULUS II.

DE IURE CANONICO EIUSQUE DEFINITIONE.

I. Ius *Canonicum* dicitur a graeca voce Κανων, quae quidem generali notione accepta normam, sive regulam denotat, ad quam tum in liberalibus, tum in mechanicis artibus opus quodque exigendum est. Hinc hujusce vocabuli latissimus est usus in omnibus paene scientiis, et artibus. Verum peculiari quadam ratione aeque apud graecos, ac apud latinos auctores *morum regulam*, sive normam significat. Hinc Chrysyppo lex generatim dicitur: *Κανων δικαιων, και αδικων regula iusti, et iniusti* (3).

II. Ius igitur Canonicum recte dicitur a canonibus, quo nomine *κατ αντονομασιαν per antonomasiam* ecclesiasticae constitutiones donatae sunt, quae non secus ac ius divinum, a quo descendunt, ita regunt hominum actiones, ut ultimum finem consequantur. Fugit enim Ecclesia imperiosum *legis* nomen, quod vim civilem, et violentam corporis coercitionem continet, ac potius *canonum* graeca, et leniori voce usa est, nempe regularum, quibus animus regitur, non corpus stringitur. Tum hac voce usi sunt veteres Ecclesiae Patres Apostolum imitati, qui non semel canonis nomen in eadem significatione usurpavit (4).

III. Praeterea a rebus, de quibus tractat, et a personis, quae eo potissimum utuntur, dici etiam consuevit *ius sacrum*, et *ecclesiasticum*: uti quoque ius *pontificium* a potiori ipsius fonte, nimirum auctoritate Romanorum Pontificum, quorum potestate praecipue nititur.

IV. Definitur: *est illud, quod ab Ecclesia per Episcopos, maxime vero per Summum Pontificem ad christianos in Fidei, morum, disciplinae regulis informandos constitutum, adprobatumve est.*

V. *Ab Ecclesia per Episcopos.* Ecclesia quidem non aliis, quam sponsi sui legibus regitur. Iam vero sponsus ille vices suas constitutis Pastoribus, veluti suis vicariis, concredidit: scilicet Apostolis, quibus non docendi modo, praedicandi, et baptizandi, verum et Ecclesias regendi honorem, atque onus est impertitus. Porro in Ecclesiae administratione Apostolis succedunt Pastores, quos posuit Spiritus S., ut loquitur Paulus (5): *επισκοπους Episcopos inspectores speculatores ποιμαινειν pascere,regere* Ecclesiam Dei.

VI. *Maxime vero per Summum R. Pontificem.* Sicut enim Christus, licet super omnes Apostolos, veluti firmissimum fundamentum, Ecclesiam construxerit; tamen bono unitatis Petrum caeteris praeferri voluit, et claves regni coelorum ipsi peculiari quodam iure commisit adservandas, ita qui in locum Petri succedit R. Pontifex iure divino universae Ecclesiae ae-

(1) L. XXXII. §. 1. D. de legibus.—(2) L. XXXIV. D. de leg.—(3) Leg. I. Dig. de leg.—(4) Epist. II. ad cor. X: ad galat. VI., et ad philipp. III. — (5) Act. xx.

que primatum, ac sollicitudinem gerit: quare iure suo constitutiones emittit, quibus universa instituitur simul, et adstringitur Ecclesia.

VII. *Ad christianos*, scilicet ii tantummodo Iuris Ecclesiastici vinculis obstringuntur, qui christianae militiae per baptismum nomen aliquando dederunt. *Quid mihi de his*, inquit Apostolus (1), *qui foris sunt iudicare?* Qua de re iudaeos, gentiles, turcas, ius ecclesiasticum non obligat; cui tamen haeretici, schismatici, apostatae, excommunicati subiiciuntur, quippe qui Ecclesiam aliquando ingressi Sacramentorum *την σφραγιδα characterem* retinent, et ad Ecclesiam sine novo Baptismate redire possunt.

VIII. *In fidei, morum, disciplinaeque regulis informandos*. Profecto ecclesiasticae constitutiones, sive in conciliis sancitae, sive a R. Pontificibus emissae, vel Fidei dogmata, vel morum canones, vel disciplinae ecclesiasticae constitutionem spectant. Atque ex hisce omnibus ex aequo per decem priora Ecclesiae saecula ius canonicum coalescebat. Nullum enim tunc temporis theologos inter, et canonistas discrimen. At saeculo XII. canonum facultas in duas abiit disciplinas, quarum altera theologiae, altera iuris canonici nomen sortita est. Illi Fidei, morumque tractatio, ceu proprium peculium datum, isti disciplinae, iudiciorumque ecclesiasticorum materia reservata est. Id quod haud ita intelligas, quasi utrique facultati limites sint constituti, quos praetergredi omnino nefas, sed tantummodo quid potissimum in sua facultate theologi, et quid in sua canonistae spectare debeant.

IX. Quum vero canones, recte observante Gersonio (2), si bene inspiciamus, non sint, nisi conclusiones elicitae, vel illatae ex principiis theologicis, idest ex Evangelio, et aliis libris canonicis per illos, quibus dixit Christus: *qui vos audit, me audit*, vel etiam determinationes loci, temporis, vel modi, quo ius divinum observandum praescribitur, vel denique faciliores eius exequendi rationes, ac ritus, quibus regitur: hinc neutiquam dubitandum, theologiam tanta cum iure canonico affinitate connecti, ut nisi utraque coniugantur, mutuoque sibi lumen praestent, haud magnae fieri possint in alterutra facultate progressiones.

X. *Constitutum, adprobatumve est*. Vox *constitutum* illas spectat ecclesiasticas constitutiones, quae vel ab Episcopis in synodos convenientibus editae sunt, vel a R. Pontificibus evulgatae, quibus vel fides explicata est, vel morum regulae constitutae, vel ecclesiastica politia disposita. Atque hae ius ecclesiasticum *εγγραφον scriptum* componunt, de quibus mox distinctius agemus. At vocula *adprobatum* eas spectat ecclesiasticas regulas, quae usu potius, moribusque receptae tacita praesulum Ecclesiae auctoritate firmantur, quaeque consuetudines dicuntur, de quibus mox redibit sermo. Adprobari etiam dicuntur, illae ecclesiasticae constitutiones, quae in synodis provincialibus conditae per alias deinceps provincias paullatim vim legis nanciscuntur, praesertim quum R. Pontificis accedat auctoritas. Istud prioribus Ecclesiae saeculis frequenter accidit. In particularibus namque synodis per ea tempora habitis tum pleraeque haereses damnatae sunt, tum morum, ac disciplinae canones constituti, quos caeterae dein Ecclesiae receperunt. Quamobrem Augustinus de haeresi pelagiana: *iam duo con-*

(1) Epist. I. ad cor. V. 12. — (2) Lib. in recomm. licent. in decreto.

cilia, inquit, *ad Romanam Sedem missa sunt: inde rescripta venerunt : caussa finita est.* Tum canones conciliorum orientalium, quos vetus graecae Ecclesiae codex complectebatur, successu temporis per universam Ecclesiam viguerunt.

XI. Atque hinc patet quidnam Ius Canonicum inter, et Civile discriminis intersit. Scilicet illud aeternam hominum beatitudinem, ceu scopum spectat: istud temporaneam tantummodo civium felicitatem. Illud spiritualia, et sacra moderatur: istud politica, et temporalia. Illud Episcopos, ac praecipue R. Pontifices: istud saeculi Principes auctores habet. Ast non negaverim alterum alteri sibi invicem auxilium praestare, namque haud raro et sacri canones ius civile confirmant, vel moderantur, et leges imperatoriae Ius Canonicum sequuntur, vel adjectis poenis exequi praecipiunt. Adhaec aliquando alterum ab altero suppletur, atque adeo in ambiguis interpretationem accipit (1).

TITULUS III.

DE IURIS CANONICI PARTITIONIBUS

I. Ex hactenus dictis profecto patet Ius Canonicum multifariam dividi: et quidem 1: ab ejus origine in *divinum,* et *humanum.* 2: ex diversa, qua viget ratione in ἐγγραφον, et ἀγραφον *scriptum,* et *non scriptum.* 3: ex potestatis, a qua conditum est, auctoritate in *generale,* et *particulare.* 4: tandem ex locis, ubi viget, in *orientale,* sive *graecum,* et *occidentale,* sive *latinum.* De priore Iuris Canonici divisione satis actum est titulo superiori: postremam in diatriba isagogica fusius explanavimus: alteram dumtaxat, ac tertiam hic explicandam adgredimur.

II. Ius igitur scriptum, quod etiam *constitutionis* nomine venit, illud est, quod expressa Legislatoris voluntate sancitur, licet non scribatur; uti ex adverso *non scriptum,* quod etiam *consuetudo* plerumque dicitur, illud est, quod moribus christianorum inductum vim legis habet, licet post scriptis demandetur. Igitur iuris scripti, et non scripti discrimen haud inde eruas, quod litteris fuerit consignatum, vel non, sed potius quod expressa legislatoris voluntate fuerit sancitum, vel tacita duntaxat adprobatum Huius rei evidentissimum est argumentum, quod nec consuetudo in scripturam redacta lex sit, nec lex non scripta consuetudo. Et sane lacedaemonii scriptis legibus usi non sunt, legibus tamen usi sunt (2). Et apud romanos revera lex ferebatur, ubi magistratu rogante: *velitis iubeatis Quirites* etc. populus respondebat: *uti rogas.* Quum igitur legi e accidenti superveniat scriptura, dubio procul ipsi συσιωδης *substantialis* non est.

III. Non negaverim tamen leges scripto tradi, quo innotescant populo a principio, consuetudines vero uso invalescere, nec scripto tradi, nisi sero, quum iam longo usu receptae sunt: hinc *scripta* lex dicitur, *non scripta* consuetudo. Hoc canone constituto profecto liquet, traditiones sive divinas, sive apostolicas, sive ecclesiasticas ad *ius scriptum* omnino referendas, iis exceptis, quae ex usu potius, quam ex lege originem ducunt.

(1) Cap. III. Extr. de novi operis nunciat. — (2) Plutar. in Lycur.

De iure canonico scripto.

IV. Igitur Ius Canonicum scriptum praeter utrumque divinum veteris, ac novi Foederis codicem praecipue constituunt *canones conciliorum*, *constitutiones pontificiae*, et *dicta ss. Patrum*: ita Leo IV relatus a Gratiano (1). De conciliorum canonibus, et constitutionibus pontificiis nonnulla dedimus in diatriba isagogica, at plura hic supersunt animadvertenda.

V. Primum: conciliorum generalium canones, quibus vel Fidei dogmata, vel morum regulae explicantur, et constituuntur, prorsus indubiae sunt auctoritatis, quippe qui in synodis conditi, ad quas totius christiani orbis Praesules conveniunt, ac ipse R. Pontifex Ecclesiae caput vel *αμεσως immediate* per se, vel *μεσως mediate* per suos legatos praeest. Qua de re Ecclesiam universam repraesentant, quam in fidei veritate, et morum disciplina custodienda perpetuo duraturam Christus ipse haud semel pollicitus est.

VI. Secundum: canones disciplinam spectantes quam maximae quoque esse auctoritatis tum ex eo patet, quod aliquando *spiritu Dei conditi* dicti sint, tum vel maxime ex eo, quod ecclesiasticam disciplinam moderari nonnisi Episcoporum praecipuum, ac proprium munus sit. Verum negandum haud est eiusmodi canones pro temporum ratione mutationi subiacere: quo sensu intelligendum illud Augustini (2): nimirum *concilia plenaria priora posterioribus emendari.*

VII. Tertium: concilia provincialia iure suo canones condunt: hanc enim potestatem Episcopi a Christo Domino *αμεσως immediate* accepisse videntur, dum ex Apostoli doctrina ipse *Christus dedit Pastores*, *et doctores in opus ministerii*, *in aedificationem corporis Christi*, *ut iam non simus parvuli fluctuantes*, *et circumferamur omni vento doctrinae* (3). Quinimmo antiquitus concilia non modo provincialia, verum et episcopalia canones edidisse, pluribus demonstrat Petrus de Marca (4). Secutis quidem temporibus occasione falsarum decretalium pedetentim invaluit, ut in conciliis provincialibus, nisi de adsensu R. Pontificis, canones condi nequirent, atque adeo neque ipsa concilia celebrari, verum per Patres tridentinos antiqua libertas revocata est, datumque Metropolitis singulis triennis synodos provinciae pleno iure celebrare: quas tamen ne evulgarent, nisi prius per Sedem Apostolicam probarentur, mandato Xysti V. sacra congregatio concilii sancivit. Et sane fuit prisci moris conciliorum, etiam particularium canones apostolicis Ecclesiis communicare, maxime vero Romanae, quae centrum est ecclesiasticae communionis.

V. Quartum: apostolicae constitutiones, sive decretales R. Pontificum epistolae ubique vulgatae, ubique, ut par est, receptae, eiusdem sunt auctoritatis, ac ipsi canones. Potestas enim Petro collata pascendi oves, et agnos, fratresque confirmandi ius legum condendarum profecto includit: quam potestatem iam inde a primis Ecclesiae saeculis Romani Pontifices exercuisse historica produnt monumenta. Iam vero fuit in more positum, institutoque Pontificum, nonnisi in synodo saltem dioecesana Romae coacta, graviora expedire negotia, publicasque edere decretales epistolas.

(1) Can. 1. dist. 20. — (2) Lib. II. de Baptis. cap. 3.
(3) Epist. ad ephes. IV. 12. — (4) Lib. VI. cap. XIV. n. 12.

Et sano Pius I. Clerum romanum Christi senatum adpellat: *salutat te senatus pauper Christi apud Romam constitutus* (1). Atqui prioribus seculis Clerus ea ratione *senatus Ecclesiae* dictus est, quod presbyteri *consiliarii* essent *Episcopi* in gravioribus expediendis suae Ecclesiae negotiis (2): *Praesbyteri Apostolorum Christi locum tenent, tanquam consiliarii Episcopi, et Ecclesiae corona.* Cyprianus (3) suum Clerum vocat *sacrum, venerandumque consessum*; tum *epist. VII.* fatetur, *se nihil sine Presbyterorum suorum consilio sua privata sententia unquam gessisse.* Demum Hieronymus (4): *et nos*, inquit, *habemus in Ecclesia senatum nostrum, coetum presbyterorum.*

2. Cornelius (5) scribit se noluisse Maximum, ac reliquos confessores, qui a Novatiani parte steterant, in Ecclesiae communionem recipere, nisi prius presbyterio convocato: *firmato consilio, quid circa personam eorum observari deberet, consensu omnium statueretur.*

3. Iulius I. (6) diserte scribit se coacto Romae Episcoporum Italiae concilio sententiam pro Athanasio tulisse: *ad praefinitum tempus Episcopi convenere et ejusdem sententiae fuerunt.*

4. Ex S. Leonis *epist. XVI. n. 7.* perspicue constat Romanos Pontifices per singulos annos Episcoporum coetus celebrare consuevisse ad graviora *in commune* tractanda negotia, ut hoc pacto Romanae Sedis constituta ab omnibus custodirentur: verba S. Leonis infra dabimus, ubi de synodis provincialibus agemus

5. Decreta R. Pontificum in maioribus negotiis ex eo potissimum agnoscebantur, quod essent synodaliter probata, et edita. Id evincitur ex Fidei professione, quam novus electus Pontifex ante suam ordinationem emittebat, extatque in lib. diur. R. Pontificum (7). In hac enim duo constituta, et decreta a Romanis Pontificibus praedecessoribus suis se observari profitebatur, eam adhibebat clausulam: *quae synodaliter statuerunt.*

IX. Neque negotium facessat, quod in pontificibus constitutionibus nulla synodi iniiciatur mentio. Id enim probabili, et iusta caussa factum est, fortasse ob Sedis Romanae amplitudinem. Ad rem Iulius I. (8): *quod si illud vos commovit, quod solus scripserim . . . . . . in hoc quoque adest probabilis, et iusta caussa dilectissimi. Attamen necessum est vobis significare, quod etiamsi solus scripserim, non ideo mei solius esse illam sententiam, sed et omnium, qui in Italia sunt, et qui in his partibus degunt Episcoporum. . . . ad praefinitum tempus Episcopi convenere, et eiusdem sententiae fuerunt.*

X. Quod vero vel ipsi Romani Pontifices in synodo graviora non expedierint negotia, congruentes dant rationes Patres synodi constantinopolitanae II. coll. VIII. *licet Spiritus S. gratia*, inquiunt, *circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea, quae agenda erant: non tamen aliter voluerunt de ea, quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque dicta sua confirmarent . . . . In commu-*

(1) Epist. II. ad Iustum vienn. — (2) Lib. II. cap. 28. — (3) Epist. LV. — (4) In Isai. III. — (5) Ep. ad Cyprian. XLVI. — (6) Epist. ad orient. apud Athan. apol. II. — (7) Cap. II. tit. VIII. — (8) Epist. ad orient.

nibus disceptationibus, quum proponuntur, quae ex utraque parte discutienda sunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacii. Nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari, quum unusquisque proximi adjutorio indigent. . . . . ipse Dominus dicit: Si duo ex vobis convenerint super terram de omni re . quamcumque petierint, continget illis a Patre meo, qui in coelis est. Ubicumque enim fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum in medio ipsorum.

XI. Quintum, qui sacros canones, vel apostolicas constitutiones infringit, cum peccati labe se inquinat, tum poenis se subdit, si quae illis adiectae sunt. Et sane ipsemet Christus tum (1) Apostolos sic adloquitur: *qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit* (2): tum mandatorum Ecclesiae contemptorem ab Ecclesia arcendum praecipit, id quod etiam Apostolus iubet (3): *si quis non obedit verbo nostro per epistolam , hunc notate, et ne commisceamini cum illo*. Qua de re Coelestinus Papa epistola ad Episcopos per Apuliam, et Calabriam constitutos in hunc modum decernit: *Nulli Sacerdotum liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare:* et concilium chalcedonense (4): *regulas, sanctorum Patrum per singula nunc usque concilia constitutas proprium robur obtinere decrevimus.* Tum synodus Nicena II. (5): *regulas, quae sanctae catholicae, ac apostolicae Ecclesiae, tam a SS. Apostolis, quam ab orthodoxorum universalibus, ac localibus conciliis traditasunt, servare, ac custodire profitemur..... Omnes, qui christiano censentur vocabulo, poenis, et damnationibus, et e diverso receptionibus, et iustificationibus, quae per illas prolatae sunt, et definitae, subiici canonice decernentes.* Idem quoque imperatores fassi sunt. Unus audiendus Iustinianus (6): *sancimus vicem legum obtinere sanctas ecclesiasticas regulas, quae a sanctis quatuor conciliis expositae sunt , aut firmatae.... praedictarum quatuor synodorum dogmata, tamquam sanctas Scripturas accipimus, et regulas, sicut leges, observamus.*

XII. Quod tandem spectat ad ss. Patrum sententias: profecto ad eas in negotiis per canones, et decretales non definitis recurrendum esse decrevit Leo IV (7). Id quod non sine delecto intelligas: neque enim omnes ss. Patrum sententiae eiusdem sunt auctoritatis, et momenti. Quamobrem operae pretium est aliquot canones constituere.

1. Canon: ubi Patres ad obscura Sacrae scripturae loca, tanquam interpretes accedunt, eorum sententiae permagni faciendae sunt: adeo nempe ut adversus unanimem Patrum sensum sacras literas interpetrari qui audeat, maxime temeritatis merito accusetur (8).

2. Canon: ubi vero sententiam ex divina, atque apostolica traditione non interrupta serie venientem proferunt: tunc quo maior erit eorumdem in idem dogma consensio, eo potioris erit auctoritatis, immo etiam infallibilis accedente Ecclesiae consensu. Etenim potissimum per Patres, qui singulis saeculis scripta ediderunt apostolicas traditiones Ecclesia dignoscit..

3. Canon: dicta SS. Patrum, auctorumque ecclesiasticorum , qui singu-

(1) Luc. cap. X.—(2) Matth. cap. X.—(3) Epist. II. ad thes. III.—(4) Can. I. —(5) Can. I.— (6) Nov. CXXXI. cap. I.—(7) Can. 1. dist. 20.—(8) trid. sess. IV.

lari doctrina, ac pietate olim floruere, origine sua vim legis non habent. Ad legem enim condendam non solum scientia, verum et potestas requiritur, uti ad rem Gratianus (1). Ea tamen maximi aestimanda sunt, quippe quae antiquis explicandis canonibus, ac veteri ecclesiasticae disciplinae adsequendae non parum praestant adjumenti. De senteutiis ex libris poenitentialibus, gestis Romanorum Pontificum, et ecclesiastica historia depromptis idem esto iudicium.

De iure canonico non scripto.

XIII. Ius Canonicum non scriptum *αγραφον* proprie dicitur *consuetudo* cuius tanta vis est, ut quum fuerit rationabilis, et legitime inducta *scriptae constitutionis* loco habenda sit (2). Atqui plura ad legitimam consuetudinis firmitatem requiruntur. 1: Iuri divino, ac ethicae christianae non adversetur (3). Quidquid enim contra ius naturae, vel divinum inducitur, id non consuetudo, sed detestabilis abusio dicenda est.

2. Temporis diuturnitas, nimirum spatium decem annorum, ubi sit praeter canonem; at vero spatium saltem quadraginta annorum, ubi sit contra canonem. Ita receptior canonistarum seutentia (4). Tum consuetudinem adversus canonem nunquam receptum spatio decem annorum praescribi, ac etiam minori, docent Fagnanus (5), aliique.

3. Frequentia actuum canoni abrogando adversantium: qui sane Antonii Fabri sententia (6) *δικαστικως iudicialiter* probandi sunt per unam, duas, vel tres ad summum turmas, quarum singulae decem testibus constent.

4. Tacitus populi consensus, qui moribus ius novum, quo obstringatur, inducere velit. Quamobrem ab Hermogeniano consuetudo adpellata est *tacita civium conventio* (7). Unde piae, diuturnaeque fidelium ieiunandi, vel orandi observationes consuetudinem non pariunt, quippe quod populo animus non sit iis sese obligandi.

5. Tandem requiritur legislatoris scientia, et tolerantia (8): neque enim consuetudo praescribitur, ubi legislator reclamet.

XIV. Tria hic omnino animadvertenda. Primum: tridentinae synodi decreta non posse contraria consuetudine abrogari, et quidem praevias consuetudines, etiam immemorabiles, saepissime ipsamet synodus abolevit. Tum aeque antea inductas, ac in posterum inducendas simul reiiciendas decrevit Pius VI. binis constitutionibus: altera scilicet, qua confirmavit eiusdem concilii acta, altera evulgata die 13. kal. mart. an. 1565.

XV. Secundum consuetudini legitime inductae minime derogari per legem posteriorem, nisi id expresse caveatur. S. Basilius (9) agens de poenis canonicis, consuetudinem aliquando ipsis canonibus praeferendam docet: *utrumque igitur*, inquit, *scire nos oportet, et ius scriptum, et consuetudinem, et iis insistere, quae non amplectantur rigorem traditionum*

(1) Princ. dist. XX.—(2) Can. VI., et VII. dist. 12.—(3) Can. III. et VII. dist. 8; et cap. ult. de consuet.—(4) Cap. XXV de verb. signif. cap. 5. de offic. Ordin. in VI., et L. II. et III. cod. quae sit longa consuet.—(5) Cap. I. de tregua, et pace n. 31.—(6) In cod. lib. IV. tit. XV. defin. 14.—(7) L. XXXV. Dig. de leg.—(8) Cap. XVIII. de praebendis. — (9) Epist. ad Amphiloch. cap. 1.

canonicum. Id quod in caussa fuisse videtur, cur tridentini Patres in decretis *de reformat*. consuetudines immemorabiles diserte abrogarint.

XVI. Tertium: laicorum consuetudinibus, quibus ecclesiastici non adhaeserint, clericos haud obstringi (1). Si tamen velint, in favorabilibus uti posse, nonnulli docent canonistae, nec desunt, qui laicalibus locorum consuetudinibus clericos aeque, ac laicos teneri sentiunt (2).

De Iure Canonico generali, et particulari

XVII. Ius Canonicum sive *ἔγγραφον scriptum*, sive *ἄγραφον non scriptum*, et generalis, et particularis speciem induere potest. Ius *ἄγραφον*, sive *consuetudo* generalis habebitur, si omnes christiani orbis gentes ex aeque eam observaverint. At si in quibusdam tantum provinciis ea fuerit adoptata, tunc particularis omnino erit. Sic antiquissimus Ecclesiae mos, ut christiani die dominica stantes orarent, et ieiuniis abstinerent, generalis erat consuetudo (3). At ex adverso ieiunium sabbatarium particularis erat Ecclesiae Romanae consuetudo.

XVIII. Consuetudines generales semper in Ecclesia servatae apostolicae institutioni merito adscribuntur. Qui enim tot, tantae, tamque dissitae Ecclesiae in idem solis moribus consensissent placitum, ea praesertim aetate, quando in christianos gentium furor saeviebat, nisi apostolica praeivisset institutio? Ad rem Augustinus (4): *quod universa tenet Ecclesia, nec in conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi apostolica auctoritate institutum, rectissime creditur*. Igitur generales illae, et antiquissimae Ecclesiae consuetudines ad ius scriptum referendae. Quod vero a Patribus interdum consuetudines adpellatae fuerint, ea ratione factum est, quod assiduo Ecclesiarum usu ad posteros dimanarint.

XIX. Ius canonicum *ἔγγραφον scriptum* generale complectitur quidquid legis vim habet in universa Ecclesia. Hinc quae Apostoli ad fideles instruendos scriptis mandarunt, canones conciliorum generalium, ac demum R. Pontificum decretales Fidei *δόγματα dogmata* adferentes, aut morum, disciplinaeque regulas praescribentes Ius Canonicum generale constituere nemo non videt.

XX. Contra vero canones conciliorum, sive nationalium, sive provincialium, epistolae canonicae veterum Patriarcharum, aut Metropolitanorum, Episcoporum statuta, necnon epistolae decretales R. Pontificum ad peculiares Ecclesias, provinciasque datae ius particularae constituunt, quippe quae vim legis non obtinent, nisi apud eas provincias, in quibus concilia celebrata, aut ad quas epistolae illae datae sunt.

XXI. Hic autem pauca sunt observatu digna. 1: ius generale potest in particulare converti, si scilicet apud plures Ecclesias in desuetudinem abeat, perduret tamen in una, aut altera Ecclesia. Quemadmodum 2: ius particulare potest generale effici, si nimirum ab Ecclesia universa receptum fuerit, aut oecumenicae synodi statuto, aut R. Pontificis constitutione, aut

(1) Cap. IX. de foro compet. — (2) Cap. III. de eo, qui mittitur in poss. — (3) Tertul. de corona cap. III. August. Ep. 86 ad Casulanum. — (4) Lib. IV de Bapt. cap. IV.

denique ex ubique probata, ac obtinente consuetudine. Hoc autem 3: non ulterius, quam ad disciplinae regulas produci potest, quippe quae ob diversas locorum, personarum, ac temporum vicissitudines mutationi sunt obnoxiae. Quod de regulis Fidei nemo audet pronuntiare, quae ut ait Tertullianus, *immobilis est, et irreformabilis*.

XXII. At enim 4: si ultima ecclesiasticae historiae monumenta excutias, invenies profecto concilia particularia haud raro fidei dogmata, morumque canones sanxisse: quae tamen ad Ecclesiam universam omnino spectare videntur: quare iuris generalis potius, quam particularis nomen obtineant par est. Verum advertendum puto huiusmodi concilia, aut dogmata iam tradita, et catholicae Ecclesiae fide firmata iterum promulgasse, ex quo nihil aut incrementi, aut detrimenti Ecclesiae immutabilis fides passa est, aut nova dogmata, novosque morum canones edidisse; atque haec ius *καθολικου generale* constituere nequivere, nisi aperto, tacitove aliarum Ecclesiarum consensu roborata. Hinc certe est, quod haereses trium priorum saeculorum, licet a particularibus conciliis proscriptae, tamen ab universa Ecclesia damnatae censentur.

De Rescriptis

XXIII. Iuvat hic pauca de rescriptis subnectere, quae veluti tertium Iuris Canonici genus constituunt, scilicet *speciale*, sive *singulare*: et sane inter partes, a quibus, et contra quos impetrantur, veluti pro legibus habentur, et vim paene legum obtinent. Rem nostram quod spectat, rescripta apostolica dicuntur R. Pontificum epistolae ad lites ordinandas, vel ad largienda beneficia editae. Illa *iustitiae*, haec *gratiae* rescripta dicuntur.

XXIV. Ut rescriptum plenam vim habeat plura requiruntur, quae videri possunt apud Fagnanum (1): praecipue vero, ut non sit per obreptionem, vel subreptionem, impetratum. Per obreptionem, impetrari dicitur, quum veritas in supplici libello secundum iuris regulas exponenda reticeatur, uti ex adverso dicitur impetrari per subreptionem, ubi falsum fuerit expressum. Profecto rescripta ita impetrata nullius sunt roboris (2).

XXV. At inquies: quid ubi vel falsum expositum, vel verum silentio praetermissum in caussa non sit, cur R. Pontifex rescriptum elargiatur? Hac in re distinctione opus est. Qui enim dolo, ac fraude verum tacet, aut falsum exponit, is profecto caret prorsus impetratis. At rescripto legitime utetur, ubi illa falsi suggestio, aut veri suppressio, nonnisi ab ignorantia, aut ab simplicitate acciderit (3).

XXVI. Adhaec quid iuris, ubi dolosa subreptio, aut obreptio partis duntaxat rescripti caussa fuerit? Atqui adhuc rescriptum est invalidum, et quidem in fraudis poenam. Unde ibidem: *in suae perversitatis poenam nullum ex illis litteris commodum consequatur.*

De Privilegiis

XXVII. Ad speciale, sive singulare ius canonicum videntur quoque re-

(1) Tit. de rescriptis. — (2) Cap. XX. de rescriptis. — (3) Cap. XX. ibid.

ducenda privilegia. Privilegium lex est privatis data, sive , ut loquitur Isidorus (1): *privilegia sunt leges privatorum , quasi privatae leges. Nam privilegium ita dictum est, quod in privatum feratur.* Id quod ex Gellio videtur sumpsisse Isidorus (2), qui leges a privilegiis in eo distinguit, quod illae generalia iussa sint ad universos cives pertinentia: haec vero sint privata privatos, singulosque homines spectantia. Et sane veteres *priva* dixerunt, quae nos singularia dicimus (3).

XXVIII. Haud vero inde deducas privilegia nonnisi singulis impartiri hominibus. Etenim possunt etiam, vel uni communitati tribui, aut collegio (4), vel certo generi personarum, veluti minoribus, clericis, religiosis, militibus, vel etiam peculari alicui loco, uti monasterio, Ecclesiae, hospitali. Unde dividi solent in personalia, et localia, sive realia.

XXIX. Illud hic animadvertendum, privilegia certae alicui personae collata ipsam duntaxat respicere, nec ad alias ulla ratione extendi posse, unde dicuntur etiam temporalia. Quae vero communitati tribuuntur, vel certo personarum generi, quaeque personalia indefinite dici consuevere, perpetua esse, atque illi hominum coetui, aut collegio perpetuo adnexa, id quod de localibus etiam intelligas.

XXX. Quo caute, ac rite privilegiis utamur, in iisdem exponendis, sive interpretandis nonnullae a canonistis servandae praescribuntur regulae, ex quibus praecipuas duntaxat hic paucis dare non pigeat. 1: privilegia iuri communi adversantia strictam requirunt interpretationem (5), ita tamen, ut aliquid conferant (6). Neque enim inane contulisse privilegium princeps censendus est.

2. Qua de re privilegia, quae tangunt ius concedentis, latissime interpretari licet: censentur enim esse beneficia,eiusmodi plerumque sunt principum concessiones: *beneficium imperatoris, quod a divina scilicet eius indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus* (7).

3. Privilegia, quae alterius ius laedunt, licet a Principe impartita, stricte tamen sunt interpretanda (8). Ad rem Ulpianus (9): *quoties aliquid in publico fieri permittitur, ita oportet permitti, ut sine iniuria cuiusquam fiat, et ita solet princeps permittere.*

4. Privilegia licet miserabilibus personis concessa, adhuc tamen ita sunt accipienda, ut inde alteri iniuria non irrogetur. Neque enim iura patiuntur, ut unius inopia alterius iniuria sublevetur, nec quod ex parte aliquibus miserabilibus personis conceditur, ad alterius iniuriam redundet. Fagnanus (10).

TITULUS IV.

DE CONCILIIS.

I. Concilia latine, graece *σύνοδοι synodi* dicta coetus sunt catholicorum episcoporum ad constituendum de caussis ecclesiasticis Fidem, mores,

(1) Etymolog. V. 18. — (2) Noct. X. 20. — (3) Gellius ibid. — (4) Cap. II. de privil.
(5) L. XXXV. Cod. de inoffic. test. — (6) Cap. XVI de verb. signif. — (7) L. III. de const. princ. — (8) Cap. XIX. de privil. — (9) L. II. § 10. D. ne quid in loco pub. — (10) In cap. XVIII. de rescriptis.

aut disciplinam spectantibus legitime coacti. Eadem notione apud veteres aeque graecos, ac latinos auctores coetus deliberandi, vel decernendi caussa instituti *συνοδοι* et concilia dicebantur. *Συμμαχοι απο των κοινων συνοδων βουλευοντες foederati in communibus conventibus deliberantes* (1). *Quae opiniones in senatu, et apud populum, et in omni coetu, concilioque proferri possunt:* Tullius *de finibus.*

II. Quatuor conciliorum, sive synodorum genera a christianis auctoribus passim recenseri, generalia scilicet, nationalia, provincialia, et dioecesana in diatriba isagogica iam diximus: tum quaenam ea sint ibidem satis explicavimus. Iam vero placet hic *ακριβοτερως* in eadem inquirere. Sit igitur primo.

De conciliis generalibus

III. Ad concilium generale graece *οικουμενικον* dictum omnes convocandi sunt totius christiani orbis Episcopi. Porro romani duntaxat pontificis, et quidem iure divino, ius est ex necessariis caussis, et ex voto totius Ecclesiae generale concilium indicere. Et sane quisnam praeter solum romanum pontificem, qui *caput* est, et *primas totius Ecclesiae* tantam sibi vindicare quiverit, aut unquam vindicavit auctoritatem, ut omnes catholicos Episcopos ad concilium venire iubeat? Id professi sunt patres concilii constantinopolitani I (2), Nicolaus I (3) ad gallicanos Antistites, et Hincmarus rhemensis (4): *sic igitur*, inquit, *universales synodi specialiter apostolicae sedis auctoritate convocantur.*

IV. At inquies: octo priora oecumenica concilia in Oriente habita imperatores indixisse vel ipsi ecclesiastici scriptores manifeste produnt. Verum in huiusmodi edictione potius Ecclesiae, quam imperii eluchat auctoritas. Romani namque pontificis erat de urgenti, ac necessaria convocationis caussa iudicium ferre, Ecclesiarum pericula, necessitates, ac vota tum excipere, tum expendere, et Episcoporum non corpora, sed animos obstringere, et ad accessum ad generale concilium obligare. Imperatorum vero iustam pontificis voluntatem terrore contra iniquos communire, Episcopos reluctantes adigere, volentes ac libentes commeatu iuvare, interdictum de conventiculis, principe iusciente, agendis in eiusmodi caussa tollere. Uno verbo interior convocandae synodi auctoritas ad pontificem pertinebat, exterior ad imperatorem: illa animos obligabat, haec vero executionem urgebat.

V. Atque hinc Rufinus (5) scribit nicaenam synodum ab Imperatore *ex sententia sacerdotum* convocatam. Et patres concilii constantinopolitani III (6). aperte fassi sunt Constantinum, et Sylvestrum P. magnam in Nicaea synodum convocasse. Unde Valentinianus Imperator ab Episcopis hellesponti, et bythiniae rogatus, ut cogendae synodi veniam daret, respondit: *sibi, qui unus ex laicorum numero erat, non licere se eiusmodi negotiis interponere, ideoque Episcopos seorsim per se ubicunque libitum esset, posse in unum convenire* (7).

(1) Thuc. Lib. I. — (2) Epist. ad Damasum apud Theodoretum lib. V. hist. cap. IX. — (3) Epist. XXXVIII. — (4) Op. LV. cap. XX. — (5) Lib. I. cap. I. (6) Act. XVIII. — (7) Sozomenus lib. VI.

VI. Igitur imperator custos est, et vindex exterior, pontifex primas, et caput interior, et utroque sic regebatur Ecclesia, ut et intus vim auctoritatis internae, et extra vim potestatis externae, ut vim, et fulcimentum suum aeque sentiret. Et sane imperatores, nonnisi petentibus, et suggerentibus R. Pontificibus concilia indixere: *si pietas vestra*, scribit Leo M. (1) *suggestioni ac supplicationi nostrae dignetur annuere, ut intra Italiam habere iubeatis episcopale concilium* etc: tum patres concilii constantinopolitani I. (2): *iam vero*, inquiunt, *quoniam nos, quo fraternam vestram erga nos charitatem declararetis, concilio, voluntate, ac nutu Dei romae coacto nos veluti membra propria per Deo amantissimi imperatoris litteras arcessivistis.*

VII. At quorsum petitio illa episcoporum, ac suggestio, qua imperatores rogabantur, ut synodi celebrandae darent facultatem? profecto pluribus ex caussis.

1. Quod vetitum esset publicos agere conventus inconsulto principe, ne quid detrimenti respublica pateretur (3).

2. Quod Ecclesia non adeo bonis abundaret, ut Episcopi ad concilia suis sumptibus coire potuerint. Ferebat igitur, ut imperatores concilia edicerent, ut simul Episcopis vehicula, et alimenta praeberent: *his omnibus* (Episcopis, eorumque comitibus presbyteris, diaconis etc.) *quotidie annonas praeberi imperator mandaverat* (4).

3. Quia imperatores synodos indicentes ad confirmanda, vel exequenda, etiam civilibus poenis, decreta sese obstringebant. Ceterum nullum ius ecclesiasticum sibi tribuebant. Unde Constantinus M. Patres nicaenos sic est adlocutus: *vos in iis, quae intra Ecclesiam, ego in iis, quae extra geruntur, Episcopus a Deo sum constitutus* (5) quod et professus est Marcianus Imperator in concilio chalcedonensi (6).

VIII. Generalibus conciliis praeesse R. Pontificum ius est. Et sane omnibus oecumenicis synodis, sive in oriente, sive in occidente celebratis praefuerunt vel per se, vel per suos legatos. Osium synodo nycaenae tamquam legatum Sedis Apostolicae praefuisse dubitat Tillemontius (7) quod Eusebius, Socrates, et Sozomenus, qui Vitum, et Vincentim Sylvestri papae vices implevisse testantur, de Osio tantummodo scribant, quod synodo interfuerit, nec ullus antiquus historicus ante Gelasium cyzigenum, qui V. exeunte saeculo scripsit, illam Osio tribuat praerogativam.

IX. Verum quod primus omnium, etiam ante Vitum, et Vincentium, synodi decretis subscripserit, inde probabili saltem coniectura efficitur synodo praefuisse, et quidem vice Sylvestri papae. Neque enim alio titulo synodo oecumenicae orientali praesederit, quippe qui simplex Episcopus hispanus, omnibusque, qui synodo intererant patriarchis, exarchisque inferior.

X. Tum vice Coelestini papae synodo ephesinae praefuit Cyrillus Alexandrinus (8), S. Leo (9), Coelestinus ipse (10), tum Cyrillus (11). Vice S.

(1) Epist. XII. ad Theodosium.—(2) Epist. ad Damasom.—(3) L. XV. cod. de Episcopis et clericis.—(4) Eusebius Lib. I. cap. IX.—(5) Eusebius in vita Constant. Lib. IV cap. XXIV.—(6) Act. VI.—(7) Lib. III. cap. 24.—(8) Nota IV. in syn. nicaen —(9) Act. I. —(10) Epist. 43. —(11) Epist. ad Cyrillum: —(12) Epist. ad Coelestinum.

Leonis praefuerunt concilio chalcedonensi. Paschasinus, et Lucentius Episcopi, Bonifacius, et Basilius praesbyteri (1). Idem de aliis conciliis intelligas, uti patet ex eorumdem actis, uno excepto constantinopolitano, cui nulli interfuere rom. Sedis legati, quia eadem de caussa contra macedonium Damasus P. synodum Romae habebat, uti patet ex mutuis Damasi, et patrum constantinopolitanorum epistolis.

XI. Synodis oecumenicis cum Episcopis praesbyteri quoque, diaconi, aliique inferiores clerici interesse consueverunt. Id de nicaena testatur Eusebius (2): *praesbyterorum, qui eos Episcopos comitati sunt, diaconorum, acolythorum, aliorumque complurium numerus iniri vix potest.* Tum ex eodem Eusebio (3) habemus in Constantini *tractoriis*, sive litteris invitatoriis aeque praesbyteros, ac Episcopos ad concilium convenire imperiali mandato fuisse iussos. At Episcopi sedebant, sedebant et praesbyteri, sed vel a tergo, vel in sellis dimissioribus, dictis quandoque *thronis*, vel *cathedris secundis*, vel *inferioribus* (4): diaconi, aliique inferiores clerici stabant (5).

XII. Presbyteri, et diaconi ad synodos conveniebant, vel cum haereticis disputaturi, ac iuridicum fidei communis testimonium contra ipsos laturi, uti in nicaena synodo Athanasius adhuc diaconus (6), vel ut procuratores absentium Episcoporum suffragium daturi, uti ex actis conciliorum nicaeni, constantinopolitani I., et arelatensi I. evincitur. Quinimmo in synodo constantinopolitana I. Cyclus lector subscribit nomine Atarbii provinciae ponti polemoniaci Episcopi.

XIII. Iam vero iudicium auctoritatis in synodis ferre iure divino Episcoporum tantummodo ius est, praesbyteris iudicium doctrinae permitti solet: auctoritativum nempe pastorum primi ordinis proprium, doctrinale vero caeteris etiam secundi ordinis commune. Etenim aiebat Theodosius I. iunior (7): *illicitum est ei, qui non sit in ordine ss. Episcoporum, ecclesiasticis immisceri tractatibus.* Et sane solis Episcopis iure divino omnium Ecclesiarum sollicitudo incumbit, quippe qui iure divino constituti sunt *pastores, et doctores in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi* (8).

XIV. In synodo quidem basileensi subscripserunt quoque praesbyteri, tum in conciliis florentino, et tridentino suffragium etiam tulere abbates, generales ordinum praepositi. At potuit ipsis ex privilegio Ecclesiae illud ius tribui, quo iure divino nonnisi Episcopi fruuntur, uti quoque speciali privilegio iisdem in regulares sibi subiectos iurisdictio quasi episcopalis concessa est.

XV. Canonica examinis forma in conciliis servanda haec est. 1: ut sit libertas in iudiciis. Acta enim per vim, et metum ipso iure sunt irrita, et fraus illata iudicibus obreptitium facit iudicium, atque adeo coactorum sententiae sunt potius sensa cogentium. Qua de re patres ariminenses sic loquentes inducit Hieronymus (9): *putavimus sensum congruere cum verbis,*

(1) S. Leo epist. ad eamdem synod. — (2) Lib. III. cap. 8. — (3) Lib. X. cap 5.
(4) Nazianz. de vita p. 6. — (5) Conc. elib. in praefat.
(6) Eusebius lib. VI. cap. 37, — (7) Epist. ad ephes. conc. — (8) Epist. ad ephes. IV. 12. — (9) Dial. adversus Lucifer.

nec aliud in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio.

2. Ut sit sufficieus examen ad normam Scripturae, et Traditionis. Hoc de synodo nicaena discrte testatur Athanasius (1), et Sozomenus (2), de Ephesina Vincentius Lirinensis (3), et ex eiusdem actis perquam perspicuum est. Tum constantinopolitana II. suas omnes definitiones sic concludit: *haec ita recte confessi sumus, quae tradita nobis sunt tam a divinis scripturis, quam a ss. Patrum doctrina, et ab his, quae definita sunt de una, eademque fide a praedictis sanctis quatuor conciliis.*

3. Ut sit moralis iudicantium unanimitas. Pius IV. epistola ad patres in synodo tridentina congregatos eos monuit, ut *illas tantum ederent definitiones, in quas patres unanimi consensu conspirarent.* Tum eadem semper fuit veterum conciliorum praxis, ut non prius sancirentur canones, quam omnes, vel fere omnes advocati Episcopi subscribere parati essent.

XVI. Iure igitur concilium, sive potius latrocinium ephesinum reiectum, ac reprobatum est In eo enim et vis illata, et examen neglectum, et ὀρθοδοξότεροι *maxime orthodoxi* Episcopi e synodo expulsi.

XVII. Ius autem canonicum in caussis conciliaribus ordinem dictat Et quidem 1. ut reus citetur, audiatur, excutiaturque. Patres ephesini Nestorium ter ad synodum vocari voluere: *quoniam nihil*, inquiebant, *ex iis omnibus, quae ad ecclesiasticum ordinem pertinent, praetermittere par est* (4).

2. Ut instrumenta accusationum expendantur, et cum norma doctrinae communis conferantur. Id in synodo carthaginensi sub Aurelio an. 412. in caussa Pelagii accurate servatum est, unde pelagiana ψευδογματα *falsa dogmata*, et detecta, et damnata sunt. Id quod quum Zosimus Romanus pontifex, ac patres diospolitani neglexissent, nil mirum, quod Pelagium ab haeresi, cuius nomine accusabatur, absolverint. Tum constat quanta diligentia in synodis Asiae Montanistarum doctrina expensa fuerit (5).

3. Demum, ut iudicium feratur conceptis verbis, et ad unum sensum determinatis. Athanasius (6) *contra arianam haeresim decretis*, et Theodoretus (7) pluribus exponunt, quanta animi contentione patres nicaeni in id incubuerint, ut fidem de verbi divinitate adversus arianorum vafritiem disertis verbis constituerent; ad quod vocem ὁμοούσιον *consubstantiale* selegerunt, qua simul et catholicum dogma adstruitur, et ariana haeresi destruitur.

XVIII. In subscriptionibus hic ordo servandus. Editis decretis primus omnium subscribit R. Pontifex, vel qui eius vices gerunt Apostolicae Sedis legati: tum Patriarchae, dein Metropolitae, aliique Episcopi. Unde in synodo nicaena, Osius, Vitus, et Vincentius Sedis Apostolicae legati primi omnium subscripsere: tum Alexander Alexandriae, Eustathius Antiochiae, Macarius hierosolymorum Patriarchae, demum Metropolitae, aliique Episcopi servata sedium dignitate.

(1) Ep. ad afros. — (2) Lib. I. cap. 12. — (3) Comm. cap 2.
(4) Acta concilii act. 1. — (5) Euseb. lib. V. cap. 7. — (6) Ep. de nicaen. syn.
(7) Lib. I. cap. 8.

XIX. Verum aliquot ab hinc saeculis cardinalibus omnibus, etiam episcopali charactere carentibus, praerogativa data est suffragii, subscriptionis, tum etiam sedis supra episcopos, quo iure in conciliis lugdunensibus I., et II. primo potiti sunt.

XX. Imperatores etiam, ac reges aliquando per semetipsos, saepius per legatos, oratoresque suos conciliis oecumenicis adfuere, atque adeo, quod ad loci honoratioris dignitatem, praefuere, iisdemque post Episcopos subscripsere, et quidem permagno ecclesiae, reique publicae bono, et plaudentibus Patribus, uti patet ex actis conciliorum, praesertim orientalium: *expedit* (inquit card. do alliaco de reform.) *quod reges, et principes mittantur ad generalia concilia, non ad onerandum, et confundendam, sed ad honorandam et confortandam ecclesiam, et ad ea, quae ibi decreta fuerunt, quantum in eis est, exequendum.*

XXI. Concilia generalia in iis, quae ad Fidem, et mores spectant, ex divina promissione nulli esse errori obnoxia late probant theologi. Verum quae disciplinam respiciunt eiusmodi sunt, ut obligent quidem omnes, ubi fuerint promulgata, at decursu temporis, immutatis regionum *περιςάσεσι circumstantiis,* corrigi, variarique possint, et in his quidem capitibus *concilia priora posterioribus* emendantur, quum experimento aperitur, quod latebat (1).

XXII. Quin et conciliorum non ea mens unquam fuit, ut salutaribus alicuius regionis, vel provinciae institutis, privilegiis, aut inveteratis consuetudinibus nova velint decreta opponere, sed contemperare. Atque hac forte de caussa accidit, ut tridentini concilii capita nonnulla, nonnisi contemperata recipiantur. Praeterea sciendum est Philippum II. Hispaniarum, et Neapolis regem iussisse quidem decreta synodi tridentinae in regno neapolitano evulgari, et exequi, ut patet ex eius maudato (2). At deinde data epistola duci Alcalà neapolis proregi (3), eidem significavit mentem Patrum tridentinorum non fuisse decretis conciliaribus de disciplina praeiudicium inferre regiis iuribus, idque episcopos hispanos e concilio redeuntes adseverasse.

XXIII. Quae vero alicubi executioni mandata non sunt, ipsa romana sede indulgente, actum id est salva maiestate concilii: quum decreta, quae disciplinam spectant, annuente pontifice, regni consuetudinibus aptari, et contemperari haud absonum videatur. Certe S. Leo M., salva maiestate concilii oecumenici chalcedonensis, reiecit Can. XXVIII. eiusdem synodi, quo aequalia privilegia concedebantur episcopo constantinopolitano in provincias Ponti, Asiae, et Traciae, ac Episcopo Romano in Ecclesias suburbicarias. Aiebat enim: *synodum convenisse ad Fidem vindicandam contra perfidiam eutychianam, non ad serviendum cupiditati analotii episcopi constantinopolitani* (4). Neque ad id adduci potuit precibus Patrum chalcedonensium, Iuliani Episcopi cohensis sui legati, ac ipsius imperatoris.

(1) August. lib. III. conf. cap. 7, et lib. II. de Baptismo cap. III.—(2) Die 17. Iulii. ann. 1564. — (3) Die 3 Iulii 1566. — (4) Epist. LXXX. ad Anatolium.

De conciliis provincialibus

XXIV. Annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno concilia celebrari praecepit synodus nicaena (1), ut communiter omnibus simul Episcopis congregatis graves Ecclesiarum provinciae discuterentur quaestiones. Hunc canonem renovarunt concilia antiochenum (2), et chalcedonense (3), eiusdemque meminit S. Leo m. (4) universis Episcopis per Siciliam constitutis: *quia saluberrime*, inquit, *a Sanctis Patribus constitutum est, binos in annis singulis episcoporum debere esse conventus, terni semper ex vobis ad diem III.* Kal. *octobris Romam fraterno concilio sociandos indissimulanter occurrant: quoniam adiuvante gratia Dei facilius poterit provideri, ut in Ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, quum coram beatissimo Apostolo Petro id semper in commune tractandum fuerit, ut omnia ipsius constituta, canonumque de creta apud omnes Domini sacerdotes inviolata permaneant.*

XXV. Ex hac S. Leonis auctoritate profecto liquet Romanos pontifices per singulos annos Episcoporum coetus celebrare consuevisse ad graviora in commune tractanda negotia, ut hoc pacto romanae sedis constituta ab omnibus custodirentur.

XXVI. Et sane recte observante card. Bellarmino (5): *primis sexcentis, vel octingentis annis Summi Pontifices ad graviora negotia diiudicanda cogebant concilia nationalia episcoporum Italiae.*

XXVII. Verum labeute tempore quum difficile videretur bis in anno concilia provincialia celebrari, hinc primo Iustinianus imperator (6), dein et synodus quinisexta (7) permiserunt, ut saltem semel in anno propter ecclesiasticas emergentes quaestiones Episcoporum synodus fieret in loco, quem metropolitanus Episcopus aptiorem indicaverit. Id quod postea ratum habuit synodus VII (8).

XXVIII. Eamdem moderationem Ecclesia quoque latina paullatim admisit, uti patet ex conciliis toletano III (9), et parisiensi VI (10), tum et ex S. Gregorio (11). Quod sensim adeo invaluit, ut innocentius III in synodo lateranensi IV. praecipiens, ut *metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis provincialia non omittant celebrare concilia,* adiiciat, *sicut olim a ss. Patribus noscitur constitutum* (12).

XXIX. Tandem synodus tridentina, cui summopere cordi erat veterem collapsam disciplinam, qua fieri posset, instaurare, cum ex una parte videret abusionum, ac vitiorum inundationem synodorum provincialium neglectui magna ex parte adscribendam, tum ex altera antiquum hac de re Ecclesiae morem de integro inducere quam difficillimum esse decrevit (13), ut metropolitanus quolibet saltem triennio synodum in provincia sua cogere non praetermitteret.

XXX. Caussae, de quibus in synodis provinciae antiquitus agebatur,

(1) Can. V. — (2) Can. XX. — (3) Can. XVIII. — (4) Ep. XVI. cap. 7. — (5) Lib. I. de clericis cap. XVI. — (6) Nov. CXXXVII. Cap. IV. — (7) Can. VIII. — (8) Can. VI. — (9) Can. XVIII. — (10) Can. XXVI. — (11) Lib. VII. ep. 3. — (12) Cap. XXV. de accusat. — (13) Sess. XXIV. de ref. cap. 2.

erant 1. si qua nova haeresis, si qui novus error erupisset, ut statim ubi natus, ibidem episcopali iudicio confossus emoreretur. Lucius II (1). 2. Num excommunicationes ab Episcopis recte, ac iuste inflictae fuerint (2), 3. *Ut qui se laesos ab Episcopis existimarent, synodi experirentur iudicium* (3). 4. Ut res, quae dubitationem haberent, absolverentur (4). 5. Ut concilii generalis statuta reciperentur, promulgarentur, et ad mores provinciae adcommodarentur. 6. Interdum etiam ut materiam in concilio generali definiendam aut discuterent, aut praepararent. 7. Denique ut vitia corrigerentur, moresque ad optimam, sacrisque canonibus conformem disciplinam componereutur (5).

XXXI. De synodorum provincialium auctoritate fusius theologis illud hic παρεργως *obiter* iuvat animadvertere, hasce synodos per octo priora Ecclesiae saecula ordinarium veluti fuisse tribunal ad diiudicandas caussas, non modo presbyterorum, monachorum, clericorum, et laicorum, si quid contra clericos haberent, verum etiam episcoporum, ac ipsius metropolitani, et quidem iudicio definitivo. 1. Quod putarent eo loci caussam terminandam, ubi et reus haberetur, et accusator, et testes. 2. Quod accusatoris, testium, ac rei ipsius anteacta vita nota Iudicibus indicium, vel exceptio obiecti criminis esse posset. 3. Quod iuxta leges, consuetudines, et canones in ea regione receptos, contra quos reus deliquerat, iudicium ferendum esset: videsis *epistolam Episcoporum Africae ad Zachariam Papam*.

XXXII. Ius convocandi concilium provinciale, Metropolita impedito, vel Ecclesia metropolitana vacante, ad episcopum suffraganeum seniorem devolvitur (6) Tum si quis suffraganeorum iusto detineatur impedimento, procuratorem mittat cum litteris excusatoriis, alias communione privetur (7): Episcopis vero exemptis eligendus est aliquis vicinus Metropolita; ad cuius provinciae concilium accedaut (8). Demum Archiepiscopi suffragancis carentes (uti in regno neap. lancianensis, et rossanensis) quod possint cum Abbatibus *nullius* suae dioecesis synodum provincialem celebrare, censuit aliquando sacra congregatio. At contrarium decisum fuit in synodo romana an. 1725. ex sententia Francisci Pitoni, quum sint Archiepiscopi mere honorarii (9).

XXXIII. Inter synodos provinciales post tridentinum habitas, eminent quinque mediolanenses a S. Carolo Borromaeo celebratae, neque postremum merentur locum binae neapolitanae, altera a Mario Carafa ann. 1579, altera a cardinali Cantelmo an. 1699. coactae. Verum concilia provincialia mediolanensia a Summis Pontificibus per litteras in forma brevis adprobari consueverunt, quum alia tantummodo recognoscantur, et emendentur a sacra congregatione concilii ad praescriptum Xysti V (10).

XXXIV. In Italia cogi vetitum concilia provincialia inconsulta Sede Apostolica, vel sacra Congregatione concilii, tum eorumdem confirmationem a

(1) Cap. IX. de haeret. — (2) Syn. nicaen. can. V.
(3) Syn. antioch. Can. XX. — (4) Eadem. syn. antioch. ibidem. — (5) Cap. XXV. de accusat. — (6) Fagnanus ad cap. XXV. de accusat. n. 17.
(7) Conc. carthag. V. apud Gratian: can. X. dist. 18 — (8) Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 2.—(9) Bened. XIV. de synodo dioeces. lib. II. cap. IV. — (10) Fagnanus ad cap. I. de summa Trin. cap. LXVIII.

Sede Apostolica petendam esse docet card. de Luca (1). Qua de re cardin. Cantelmus Archiep. neap. epistola nuncupatoria ad Innocentium XII. profitetur, synodum provincialem ipsomet papa auctore celebrasse: tum constitutiones synodales ad sacram Congregationem concilii transmisit, qua rescriptum est nihil correptione dignum iis contineri. At ex altera parte regiae quoque potestatis beneplacitum requiritur, ut totius alicuius provinciae episcopi simul congregentur.

XXXV. Synodis provincialibus presbyteros quoque antiquitus interfuisse, et cum Episcopis consedisse veterum conciliorum acta demonstrant, praesertim illiberitani, arelatensis I., etc., quinimmo ex quorundam romanorum conciliorum actis apud iustellum in bibliotheca iuris canonici (2) illud colligi videtur, presbyteros suffragium quoque sub episcopis tulisse, et quandoque iisdem paene formulis, ac Episcopos subscripsisse.

XXXVI. Ad concilium provinciale ex tridentino (3) non modo omnes provinciae Episcopos, verum et alios, qui de iure vel consuetudine interesse debent, convenire omnino oportet. Conciliis provincialibus neapolitanis non modo Episcopi interfuere nolanus, acerranus, isclanus, puteolanus, et aversanus exemptus, Canonici Ecclesiae cathedralis neapolitanae, ac procuratores capitulorum cathedralium provinciae, verum et *universus clerus tam civitatis, quam dioecesis ibidem ad synodum provincialem celebrandam per edictum respective vocatus, ac legitime congregatus est* (4).

De synodo dioecesana

XXXVII. Episcopi antiquitus veluti synodum dioecesanam habebant, ubi cum suis presbyteris de gravioribus dioeceseos negotiis tractabant. Presbyteri enim episcopi senatum constituebant. Hinc. conc. carthag. IV (5). decrevit: *ut Episcopus nullius caussam audiat absque praesentia clericorum suorum, alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi clericorum praesentia confirmetur*. Eiusmodi conventus antiquitus *presbyteria*, et *concilia civilia* dicti, saepius per annum ab Episcopis cogebantur, quum non deessent identidem graviora quaedam dioeceseos expedienda negotia. At labentibus saeculis primum bis quotannis, dein semel duntaxat cogi coeperunt; id quod probavit synodus lateran. IV. sub Innocentio III (6), et restituendum iussit tridentinum (7).

XXXVIII Synodum dioecesanam iure indicit Episcopus electus, et confirmatus, haud vero Archiepiscopus, antequam pallium recipiat (8), neque Episcopus titularis (9), 7. neque vicarius generalis, nisi speciali ab Episcopo commissione muniatur (10): 8. neque vicarius capitularis, nisi post annum ab proxime habita synodo (11), 9. neque vicarius apostolicus, nisi de licentia S. Sedis (12), 10 Porro Praelati inferiores tertiae speciei, nimirum qui iurisdictionem quasi episcopalem in locum, aliquem exer-

(1) Disc. III. ad concil. trid.—(2) Tom. I. pag. 250. — (3) Sess. XXIV. de ref. cap. 2. — (4) Syn. II. prov. an. 1699. — (5) Can. XXIII.
(6) In cap. XXV. de accusat. — (7) Sess. XXIV. de ref. cap. 2. — (8) Bened. XIV. De synod. dioec. lib. II. cap. 5 et 6. — (9) Ibid. cap. VII. (10) Ibid. cap. VIII. — (11) Ibid. cap. IX. — (12) Ibid. cap. X.

cent, aut plura loca a cuiuslibet Episcopi dioecesi omnino separata, recte possunt synodum dioecesanum celebrare, ubi alias illam legitime celebrasse constet. Hoc privilegio fruitur in nostro Regno Abbas Cassinensis (1), II. Qui vero huiusmodi iure carent, eligant Episcopum, ad cuius synodum accedant.

XXXIX. Synodo dioecesanae interesse oportet 1. archipresbyteros, vicarios foraneos, parochos, aliosque curam animarum habentes, atque etiam praelatos inferiores, licet *nullius*, qui territorium ab episcopali omnino avulsum non habent. 2. Regulares, qui curam animarum in suis Ecclesiis exercent. 3. Superiores Regularium, quorum monasteria Episcopis tanquam Sedis Apostolicae delegatis, subiiciuntur. 4. Canonicos cathedralis, et collegiatarum: uti quoque omnes alios Ecclesiae cathedralis beneficiarios. 5. Reliquos etiam dioeceseos beneficiarios, aliosque praesbyteros, et clericos, ubi in synodo de morum reformatione agendum sit, vel de capitibus clerum universum spectantibus, vel de decretis synodi provincialis evulgandis. 6. Tandem fratres capellanos sacrae religionis hierosolymitanae curam animarum habentes: id quod potiori iure de sacerdotibus illis saecularibus intelligendum, qui Ecclesiis parochialibus eidem religioni adnexis aliquando praeficiuntur.

De synodis regiis et mixtis

XL. Hactenus explicatis quatuor conciliorum generibus, duo alia adiici posse monet Benedictus XIV (2), *regia* nimirum, *et mixta*, scilicet ex *provincialibus*, *et dioecesanis*.

XLI Concilia regia, dicta interdum *comitia*, ea sunt, quae ex Episcopis aeque constant, ac ex optimatibus, et comitibus regni, ut omnium suffragiis leges condantur ad utramque politiam, ecclesiasticam scilicet, et civilem constituendam. Huius generis concilia frequentia fuisse constantinopoli observat Thomasinus (3) frequentissima vero in galliis satis constat. Namque pientissimi gallicorum reges, ac praecipue Carolus M. et Ludovicus Pius, recte observante Balutio (4) nihil grave decernebant sine Episcoporum, et magnatum consilio, quod ipsimet fatebantur in suis edictis, quorum vetustissima formula edita a Bignonio (5) haec erat: *nos una cum apostolicis viris Patribus nostris Episcopis*, *optimatibus*, *caeterisque palatii nostri ministris*, etc. Regiis hisce conciliis vel Princeps praeerat, vel vice regia comes palatii (6). Eiusmodi quoque fuisse videtur conventus praelatorum comitum, et baronum huius regni neap. habitus in planitie S. Martini Brutiorum ann. 1283., in quo Carolus II. andegavensis Caroli I. sui parentis vicem gerens capitula 46. evulgavit, de quibus iam satis in diatriba isagogica (7).

XLII. Illud hic omnino animadvertendum, in regiis hisce conciliis, li-

(1) Ibid. cap. XL — (2) De syn. dioec. lib. I. cap. 1. — (3) De vet., et nova Ecc. disc. par. II. lib. III. cap. 46. — (4) In notis ad capitul. regum franc. tom. II. col. 1028.—(5) In notis ad Marculphum. Lib. I. cap. 25. — (6) Bignonius ibid. —(7) Part. IV. n. XXIV.

cet ubi de civili politia ageretur, aeque Episcopi, ac comites conspiraverint, attamen in ecclesiasticis discutiendis, finiendisque negotiis praecipuas Episcoporum fuisse partes, id quod tum ex pluribus, tum vel maxime ex eorundem actis evincitur, in quibus plerumque decretorum Fidem, moresque spectantium auctoritas, nonnisi Episcopis tribuitur, tum regem, et optimates iisdem tantummodo cousensisse adiicitur. Qua de re canon X. synodi Suessionensis an. 744. a Pipino convocatae sic concipitur: *si quis hoc decretum, quod viginti tres Episcopi cum aliis sacerdotibus, vel servis Dei una cum consensu Principis Pipini, vel optimatum francorum consilio constituerunt, transgredi voluerit*, etc. Porro hic Principis, et optimatum consensus mirum sane quantum conferret, quum civilis potestatis auxilio, et Episcoporum sanctiones facilius executioni mandarentur, et collapsae disciplinae felicius, ac facilius mederi posset.

XLIII. Concilia mixta quod spectat, profecto in antiquis ecclesiasticis monumentis concilia quaedam occurrunt a romanis pontificibus habita, quibus praeter clerum urbis Romae, Episcopi aliquot interfuere, aliique viri Ecclesiastici, qui in Urbe fortuito versabantur. Eiusmodi fuisse videtur concilium romanum ann. 251, de quo Cornelius (1) haec scribit: *omni igitur actu ad me perlato placuit contrahi Presbyterium. Adfuerunt etiam Episcopi, qui et hodie praesentes fuerunt*, etc. Concilium quoque ab Agathone Papa in basilica constantiniana congregatum est ex sexdecim Episcopis, et universo Clero romano pro componendis rebus Ecclesiae Britannicae. Tum synodus occurrit a Gregorio M. habita, cui subscripsisse legimus Episcopos duos et viginti, et presbyteros tres supra triginta. Iam vero hi Episcoporum, presbyterorumque coetus provinciae romanae concilia recte dici posse videntur. Presbyteros enim una cum Episcopis synodis provincialibus aliquando interfuisse, atque adeo synodicis definitionibus subscripsisse iam supra observavimus. Porro concilia mixta omnino dicenda videntur, quae tum alibi, tum vel maxime in pluribus regni neapolitani civitatibus aliquando Romani pontifices celebrarunt, quam nulla Episcoporum totius vel provinciae, vel dioeceseos Romanae indictio, sive convocatio praecessisset, at duntaxat Clero romano, sive Cardinalibus, nonnullisque diversarum provinciarum Praesulibus, qui praesto erant, ex tempore congregatis. Eiusmodi sunt amalphitanum an. 1059 sub *Nicolao II.* bariense ann. 1094 sub *Urbano II*: decem beneventana, scilicet I. ann. 1059. sub *Nicolao II.*, tum alterum ann. 1061. sub *eodem*, III, ann. 1062 *Alexandro II.* IV. ann. 1075. sub *Gregorio VII.* V. ann. 1087. sub *Victore III.* VI. an. 1091. sub *Urbano II.* VII. an. 1108. sub *Paschale II.* VIII. an. 1112. sub *eodem*, IX. ao. 1117. sub *eodem*, ac postremo X. an. 1119. sub *Callixto II*: tria capuana I. an. 389. sub *Siricio*, II. an. 1087. sub *Victore III.*, III. an. 1118. sub *Gelasio II*, cyperanum an. 1114. sub *Paschale II.* melphitanum an. 1089. sub *Urbano II.*, sipontinum aun. 1050. sub *Leone IX*; tria troiana I. an. 1089 sub *Urbano II.* II. an. 1093. sub *eodem*, ac tandem III. an. 1115. sub *Pa-*

(1) Epist. ad Cyprianum 46.

schale II., et si quae sunt alia. Videsis Cabassutium (1), et cl. Gagliardum (2).

XLIV. Illud hic tantummodo cum Thomasino (3) libet animadvertere, Constantinopoli, quum satis magno numero Praesules ibi continenter versarentur, quandam veluti perpetuam fuisse synodum, cui regiae urbis Antistes praesidebat, ac difficiliores quasque Ecclesiae orientalis caussas cognoscebat, ac definiebat. In eiusmodi synodo Nectarius Constantinopolitanus Episcopus de caussa iudicavit Agabii, et Gabadii, qui de Bostrensi in Arabia episcopatu contendebant (4). Chrysostomus Gerontium nicomediensem in Bythinia Episcopum deposuit (5), aliaque graviora negotia identidem discussa, ac definita occurrunt.

TITULUS V.

DE PROMULGATIONE CONSTITUTIONUM ECCLESIASTICARUM

I. Ecclesiasticae constitutiones, ut vim legis adquirant, promulgentur necessum est. *Leges enim sacratissimae, quae constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, ut universi praescripto earum manifestius cognito, vel inhibita declinent, vel permissu sectentur* (6). Hinc S. Thomas sic ratiocinatur: *lex imponitur aliis per modum regulae, et mensurae. Regula autem, et mensura imponitur per hoc, quod adplicatur his, quae regulantur, et mensurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod adplicetur hominibus qui secundum eam regulari debent: talis autem adplicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione: unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem* (7). Unde Innocentius I. ignoscendum duxit clericis qui in diaconio, vel presbyterio incontinentes fuerant, ubi novam Siricii Papae constitutionem in eorum provinciae non commeasse constiterit (8) Patet igitur promulgationem omnino requiri, ut novae constitutiones roboris firmitatem consequantur.

II. Promulgandi formam quod spectat, Iustinianus imperator (9) constituit, ut novae sanctiones, non modo in urbe principe, verum et in provinciis indicerentur. Hinc (10) leges pro disciplina ecclesiastica per semetipsum latas a singulis Metropolitis, et Episcopis in propria cuiusque Ecclesia promulgandas iussit; id quod probavit Gregorius magnus (11).

III. Et quidem istiusmodi consuetudo semper in Ecclesia servata est, tum quod ad conciliorum decreta, tum quod ad R. pontificum constitutiones. Quare controversia de poenitentia, et reconciliatione lapsorum in synodo romana an. 253. definita litterae datae sunt ad Episcopos universos, ut totius orbis catholici Praesules observarent, quod a cathedra Petri etiam

(1) Dissert. de urban. et popular. syn. — (2) Instit. Iur. Can. Lib. I. tit. VI. cap. I. — (3) Par. II. lib. III. cap. 43. — (4) Sozomenus ius orient. part. I. pag. 247. — (5) Lib. VIII. cap. 8. — (6) L. IX. cod. de legibus. — (7) I. II. q. 90 art. 4. in corp. — (8) Can. II. dist. 82. — (9) Novel. LXVI. — (10) Nov. VI., et XLVIII. — (11) Ep. ad Mauritium imp. lib. II. ep. 62.

vacante praeceptum fuerat (1). Tum synodus nicaena litteras encyclicas dedit ad Episcopos, qui synodo non interfuerant, decreta, et gesta synodalia significantes (2). Eumdem morem in reliquis etiam conciliis, praesertim oecumenicis servatum produnt acta conciliorum in *collet. labbaeana*. Demum concilio toletano XVI. (3) decernitur: *unusquisque Episcopus universis suae dioecesis aeque laicis, ac clericis simul congregatis intra sex menses decreta concilii reserare non moretur*. Idem confirmasse videtur concilium lateranense IV., ubi praecepit, ut per locorum Praesules evulgaretur lex, quae continetur in *cap*. XIII. *de poenitentia*, *et remissione*.

IV. Hinc cardinalis Caietanus, Suaresius, Panormitanus, aliique apud Petrum de Marca (4) docent, constitutiones ecclesiasticas in singulis provinciis, locisque ita indicendas, ut earum notitia moraliter valeat ad universos populos, quibus feruntur, pervenire.

V. Iam vero licet in Ecclesia haec semper viguerit consuetudo, mos tamen paullatim Romae inolevit novas evulgandi constitutiones pontificias tantummodo per adfixionem transumptorum ad valvas basilicarum urbis, et cancellariae apostolicae, curiaeque generalis in monte citorio, et in acie campi flori, ea adiecta clausula, qua scilicet declaratur *omnes ubique fideles sola publicatione romana ad pontificias exequendas constitutiones perinde obstringi, ac si personaliter singulis significatae fuissent*. At clausulam istam in voluminibus Iuris Canonici omnino ignotam observant plures iureconsulti., qui iustinianaeam promulgationis formam ad legis valorem requirunt. Defendunt vero alii, maxime canonistae ex eo, quod ea clausula promulgationem in provinciis non excludat, apposita tamen de stylo ad adfectatos ignorantiae praetextus removendos.

VI. Denique facta legitima, ac sufficienti promulgatione lex generalis sive pontificia, sive regia obligare incipit post bimestre, nisi aliter legislator expresse edixerit (5). Idque iure etiam neapolitano obtinere plures tribunalis mixti sententiae, ac regis Caroli Borbonii sanctiones demonstrant. At statuta synodalia intra angustum unius dioecesis ambitum servanda obbligant *statim* a promulgatione (6): verum *τὸ statim* morale est, non physicum, prudentis arbitrio aestimandum pro locorum, hominumque circumstantiis.

VII. Promulgata lege expectanda non est arbitraria populi acceptatio: utraque enim sive ecclesiastica, sive civilis potestas a Deo est, nec pendet a populi arbitrio saepe in partes scisso, ne respublica labatur in anarchiam. Quod autem Gratianus ait (7), *moribus utentium leges confirmari*, id de quadam *facti* duntaxat confirmatione accipiendum est, haud vero *iuris*, scilicet exclusa contraria consuetudine, qua legi derogari posset. Huc facit thesis ab Alexandro VI. proscripta (8) : *populus non peccat, etiamsi absque ulla caussa non recipiat legem a principe promulgatam*.

(1) S. Cyprian Epist. LII. ad Antonianum. — (2) Socrat. lib. I. cap. 9. — (3) Can. VII.—(4) Lib. II. de conc. cap. XV. n. 2.
(5) Nov. LXVI. § I. cap. ult. ne clerici, cap. XXV. de sententia excommunicat.
(6) Bened. XIV. de syn. dioeces. lib. VIII. cap. 4. — (7) Ad calcem can. III. dist. IV. (8) Dec. an. 1665. n. 28.

De placito regio in executione legum ecclesiasticarum

VIII. Placitum regium, sive regium *exequatur*, est *decretum Regis, eiusque sanctioris consilii, quo vel sinit, vel iubet Sedis Apostolicae, vel romanae curiae decreta, decretales, rescripta in suis ditionibus publicari, ac exequi.*

IX. Et sane eo tendit regium placitum, ut ratione ad populi mores accommodata ea removeantur obstacula, quibus litterarum apostolicarum executio, vel impediri, vel retardari posset. Hinc Ecclesia ab incunabulis fere legum suarum executionem imperatoribus commendavit. Extat constantini M. constitutio, qua non modo petentibus, ac plaudentibus Episcopis, synodi nicaenae decreta sua auctoritate firmavit, verum et anathema adversus arium prolatum infamiae poena auxit, *porphyrianosqe* vocari, idest christiani nominis osores, et hostes, arianos iussit, eorumque libros publice concremari (1). Tum patres concilii constantinopolitani I. epist. ad Theodosium: *rogamus* inquiunt, *tuam clementiam, ut per litteras quoque tuae pietatis confirmetur concilii decretum.* Patres concilii ephesini (2) Theodosium ad confirmanda concilii decreta sic invitant: *iubeatis, ut ea, quae constituta sunt ab oecumenica, et sancta synodo ad pietatis confirmationem contra nestorium, et eius impium dogma suum robur obtineant adsensu vestrae pietatis stabilita.* Patres chalcedonenses datis epistolis ad Marcianum, et Pulcheriam synodalia acta referunt, ac decretorum petunt confirmationem: id quod Marcianus tribus evulgatis edictis praestitit, poenis in clericos, et in laicos adiectis, qui illis adversari auderent. Concilium constantinopolitanum II, Iustinianus (3) pluribus confirmat, tum concludit Mennae patriarchae praecipiens, ut ad metropolitas suae dioeceseos mittat, quae *sacerdotio visa sunt, et ab imperio confirmata. Τατε τη αρχιεροσυνη δοξαντα, τατε υπο της βασιλειας κεκυρωμενα.* Constantinus pogonatus (4) synodi VI. decreta more veterum principum suo edicto se confirmasse scribit, id quod adeo gratum fuit Leoni, ut in haec verba Constantino gratulabundus rescripserit: *synodi igitur sententia, et imperialis edicti censura, tamquam ancipiti spiritus gladio, cum priscis haeresibus etiam novae pravitatis error expunctus est.* At quid plura in re ecclesiasticis monumentis adeo testata? eo igitur primo tendit placitum regium, ut litterae apostolicae felicius, ac facilius exequi possint.

X. Huc accedit et alia ratio, ne scilicet falsae apostolicae litterae executioni mandentur non sine sedis apostolicae infamia, ac populi offendiculo. Cautum id in pluribus regnorum constitutionibus ad augmentum ecclesiasticae maiestatis, et securitatem populi christiani.

XI. Nec abludit et ea ratio, quod aliquando per obreptionem, vel subreptionem quaedam sive decreta, sive rescripta sollicitentur, quae deinde executioni mandari non possunt sine evidenti partium detrimento, ac notoria iustitiae offensione.

XII. Adhaec ipsi pontifices, ut rescribatur, permittunt, si quandoque in

(1) Socrates Lib. I. cap. 6. — (2) Act. V. — (3) Nov. XLII. — (4) Ep. ad Leonem II.

publica iura, et privilegia illa impingant, ut monuit Pius II. (1): *quod si in aliquo praeiudicatum tuis iuribus putas, parati sumus tuae celsitudini iustitiam cum omni benignitate administrare.* Eadem habet Alexander III. (2): *si quando aliqua tuae fraternitati dirigimus, quae animum tuum exasperare videntur, turbari non debes.* Et infra: *qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem caussam praetendas: quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.* Et idem R. Pontifex sic scribit (3): *si mandatum nostrum pro alicuius provisione receperis, aequanimiter sustinemus, si pro eo mandatum nostrum non duxeris exequendum.*

XIII Quid quod romani pontifices aliquando intercesserunt, ut perniciosae civilis potestatis leges rescinderentur? Hinc Zenonis imp. *henoticon* Felix papa, Heraclii *ectesim* Severinus, et Ioannes IV. Constantis *typum* Martinus I. damnarunt; et Gregorius M. Mauritii legem de arcendis ab monachismo militibus tum improbavit, tum apud imperatorem datis litteris egit pro obtinenda legis moderatione: scilicet, ut cum delecto milites ad vitae monasticae professionem admittantur. Eadem ferme ratione, ne scilicet, inveteratae locorum consuetudines, privilegia, instituta convellantur, neve in publica commoda offendatur, romanae curiae decretis aliquando principes intercedunt, non quidem, ut ipsi de caussa cognoscant, aut iura expendant, sed ut iterum sub rectissimis Sedis Romanae oculis res subiiciatur, ac novo adhibito examine, novisque expensis rationibus maturius de ea decernatur.

XIV. Haec forte animo volvens sapientissimus romanus Pontifex Benedictus XIV., ac precibus etiam flexus nostrorum Principum inter secretos novissimi concordati articulos *regii exequatur* consuetudinem recenseri passus est, id simul cavens, ut mandata apostolica quam citissime per regios ministros expedirentur (4).

(1) Ep. ad Carolum VII. Galliae regem. — (2) Cap. V. de rescriptis.
(3) Cap. IV. de praebendis.
(4) Illud heic animadvertendum est, *regium* nempe *exequatur* eas pontificis constitutiones duntaxat respicere, quae ad meram Ecclesiae disciplinam spectant. Porro illa omnia, quae vel universa Ecclesia in oecumenica synodo statuit, vel a Christi Vicario ex cathedra infallibiliter decernuntur quoad fidei, et morum inviolabile depositum, ipsa utique perscrutari nequit christianus princeps, cum Christi Sponsa iure divino leges istas constituat, quibus fideles omnes parere debent.

Praeterea novissima conventione an. 1818 art. XXIII. cautum ut *epistolae circulares, leges, et decreta circa liceat scribere*, priusquam in caussis ecclesiasticis ad Apostolicam Sedem appellatio provocetur, penitus *abrogentur*.

TITULUS VI.

DE INTERPRETATIONE DEROGATIONE ET ABROGATIONE CANONUM

I. Potestas a Christo Domino ad fidelium regimen Ecclesiae concredita tria haec potissimum spectat, nimirum *doctrinam, mores, et disciplinam*; quamobrem canonibus, quos identidem in Episcoporum coetibus Ecclesia condidit, vel Fidei dogmata explicata sunt, vel morum regulae constitutae, vel ecclesiastica politia ad peculiares quasdam leges composita Exemplo sit. I. oecumenicum concilium, scilicet nicaenum I., quo et Verbum patri *ὁμοούσιον consubstantiale* adversus Arianos definitum est, et canones sanciti, ad quos clericis suae vitae mores essent exigendi, ac demum plura ecclesiasticae disciplinae capita, patriarchas praecipue, metropolitas, episcopos spectantia, constituta sunt. Porro licet postremi hi canones duntaxat mutationi subiaceant, haud vero qui fidem, aut mores respiciunt, attamen omnes ex aequo interpretatione aliquando indigent. Aliqua igitur hic breviter de canonum interpretatione dabimus, quibus *γνήσια genuina* canonis alicuius sententia facilius, feliciusque dignosci poterit.

II. Ac primo rem nostram quod spectat, interpretatio recte definitur: *est legis, aut canonis obscuri per aliud declaratio*, unde interpretationi erit locus, ubi verba legis, aut canonis aliquam ipsa vetustate patiantur obscuritatem, vel ipso verborum flexu plurimorum animum dubium faciant. Quum enim in verbis nulla adparet ambiguitas, interpretatione opus non est (1).

III. Plerique canonistae interpretationis quatuor species agnoscunt: scilicet autheuticam, usualem, iuridicam, et doctrinalem. Ac 1, Authenticam, quam vocant etiam *generalem, auctoritativam, et Ἔγγραφον scriptam*, eam esse contendunt, quae ab ipso sit legislatore, eiusve successore, vel ab eo, qui parem cum legislatore auctoritatem habet. Unde colligunt ius interpretandi canones nonnisi illi convenire, qui eos condendi potestate pollet. Ad rem Iustinianus imperator (2) *si leges condere soli imperatori concessum est, et leges interpretari solo dignum imperio esse oportet... quare omnes ambiguitates iudicum, quas ex legibus oriri evenit, aures accipiunt nostrae, si non a nobis interpretatio mera procedit.* Tum Innocentius III. (3): *unde ius prodiit*, inquit, *interpretatio quoque procedat.* Id quod adeo verum est, ut Romani Pontificis interpretatio etiamsi non generaliter, et per modum legis perlata sit, sed in aliquo speciali casu, et ad alicuius consultationem edita, adhuc tamen authentica habenda sit, et et generalis. Adposite Iustiniaous imperator (4): *si imperialis maiestas caussam cognitionaliter examinaverit, et partibus cominus constitutis sententiam dixerit, omnes omnino iudices sciant hanc esse legem non solum illi caussae, pro qua producta est, sed et omnibus similibus.*

2. Interpretationem usualem, *generalem* quoque dicunt, at *ἄγραφον non scriptam*, eamque usu, et consuetudine induci docent. Profecto quum ra-

(1) L. XXV. Tit. III. D. de legat., et fideicom. — (2) L. fin. cod. de legib. — (3) Cap XXXI de sentent. excomm. — (4) L. fin. cod. ibid.

tionabilis, ac legitime inducta consuetudo vim legis adquirat, atque adeo priorem etiam legem abroget, potiori iure obscuram, ac dubiam canonis sententiam interpretabitur. *Consuetudo est optima legum interpres* (1). *Si de interpretatione legis quaeratur, in primis inspiciendum est quo iure civitas retro in eiusmodi casibus usa fuisset: optima enim est legum interpres consuetudo.*

3. Interpretationem iuridicam, quae etiam *auctoritativa*, et *ἐγγραφη scripta* dici potest, at non generalis, eam esse explicant, quum iudex de aliqua controversia cognoscens ambiguam legem eo animo exponit, ut secundum eiusmodi interpretationem ius dicat (2). Verum nonnisi eo sensu dicitur auctoritativa, quod inter contendentes ius faciat: *res enim iudicata pro veritate accipitur* (3). At generalis dici nequit, quia iura litigantium non egreditur (4)

4. Doctrinalem demum, et *probabilem* eam vocant, quae iuris canonici consultos auctores habet: cuiusmodi sunt interpretationes glossarum, et Canonistarum in singulos Corporis Iuris Canonici libros commentaria. Atqui horum interpretationes tanti faciendae quanti valent argumenta, quibus innituntur. Qua de re hic observare iuvat, ut si Princeps, sive legislator legem aliquam interpretetur, non uti Princeps, sed tamquam privatus doctor, sive magister, ea interpretatio non authentica, sive auctoritativa, sed doctrinalis tantummodo erit, sive probabilis. Eiusmodi sunt quamplures canonum interpretationes, quas profert Benedictus XIV. in suo egregio opere de synodo dioecesana, quod sane opus aeque haberi voluit, ac si privati alicuius doctoris studio elaboratum foret.

IV. Quatuor hactenus explicatas interpretationis species, uti modo indivimus, plerique agnoscunt, explicantque Canonistae. At eam distributionem si acute expendere velimus, profecto parum rectam, legitimamque inveniemus: neque enim ab interpretationis natura, atque vi petita est, ut vel summus imperans, vel usus, vel iudices, vel doctores interpretes esse possint. Hac sane ratione multas alias interpretationis species inducemus, si diversa interpretationi nomina ex diversis interpretum speciebus adponamus. Unde Fagnanus quadripartitam illam interpretationis divisionem explicaturus, principio ipsam nonnisi *respectu efficientis, sive interpretantis* agnoscere declarat, mox definitionem *interpretationis proprie* sumptae profert, eiusque duplex genus agnoscit: scilicet litteralem, quae verba legis declarat, et eam quae in verba simul, et sententiam, vel dumtaxat in sententiam legis inquirit

V. Nos igitur parum ab Fagnano discedentes interpretationem proprie sumptam rectius in *litteralem*, et *philosophicam* dividendam censemus. Litteralis sive grammatica ea est, quae legis verbis stricte adhaeret, et iuxta verborum vim legem interpretatur. Philosophica autem, quae legis mentem, rationemque respicit, quam *legis animam* dicunt, et potius quam ad verba, ad legislatoris finem intendit. Exempla e re profana non proferam: unum placet e sacro novi Foederis codice adferre. Iudaeos verbali divinae legis interpretationi plurimum fuisse addictos constat, ac iustius ae-

(1) Cap. VIII. de consuet., et L. XXXVII. D. de leg. — (2) L. XIII. D. de legibus. — (3) L. XXV. D. de statu hom. — (4) Cap. LXI. de appell.

quo. Quamobrem pharisaeos saepe Christus Salvator perstringit, ut quum sabbato opus vel necessarium, aut pium peragere illis negantibus fas esse, ipse respondit: *sabbatum propter hominem factum, non hominem propter sabbatum.* Profecto Christus Dominus ad legislatoris mentem, illi contra ad legis verba respiciebant. Ad rem Coelestinus Papa (1): *non debet aliquis verba considerare, sed intentionem, et voluntatem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni, et alibi* (2): *non dubium est in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem.*

VI. Postremo methodum in interpretando servandam placet hic paucis tradere, in quo sane canones quidam statuendi sunt.

1. Canon: *in conditi canonis epocham inquirendum, ut apta vocabulis, quibus canon contextus est tribuatur notio.* Non enim fieri ulla ratione potest, ut antiqua intelligamus monumenta, uisi antiquis vocibus, etiam antiquorum notiones subiiciamus. Id perspicuum est in vocabulis *dioecesis, paroecia, communio, viaticum, missa*, aliisque, quorum apud veteres acceptio ab ea, quam postea sortita sunt, quamlonge distat. Haec regula in canonibus post V., et VI. saeculum conditis praecipue adtendenda, in quibus intelligendis verborum proprietatem ex puriore latinitate, vel graecitate frustra repetes, quum ex usu temporis, vel loci, quibus canones conscripti sunt, omnino sit eruenda. Conferenda igitur sunt γλωσσαρια *dictionaria* sequioris aetatis, at prae reliquis illa Caroli Du-fresne domini Du-cange, tum *mediae, et infimae latinitatis*, tum *mediae, et infimae graecitatis.*

2. Canon: *graecorum canonum intelligentia ex eorumdem in originali idiomate lectione potissimum haurienda.* Nam 1: natura sua difficilis est ex una in aliam linguam translatio. 2: latine doctus nemo habendus, qui in graecis litteris hospes sit. Qui igitur graecae linguae ignarus graecos canones interpretabitur? 3: linguae dissimiles sunt, nec satis sibi invicem respondent. 4: demum interpretes latini non semper veram canonum graecorum sententiam exhibuerunt: tum quod graece non bene scirent, tum quod eos disciplinae apud latinos suo aevo receptae aptare voluerint: unde necesse fuit canonibus graecis aliquid addi, aut detrahi. Id in Martino Bracarensi iam supra notavimus. Verum negandum non est eiusmodi translationes, sive potius interpretationes plurimum conferre, ut inde latinae Ecclesiae disciplina pernoscatur.

3. Canon: *de canonis scopo, occasione, aliisque* περιστασεσι circumstantiis *investigandum: haec enim genuinam canonis sententiam potissimum exhibent.* Namque contra legem, vel canonem facit, qui eius verba tenens, sententiam negligit (3). Profecto ubi recte constabit, quidnam in caussa fuerit, cur canon conderetur, quaenam morum, vel disciplinae abusio, cui eliminandae canon sancitus, quisnam error, cui canon oppositus, quaenam denique controversia, quam per canonem Patres definitam voluere: ubi, inquam, haec omnia constabunt, atque adeo cum ipso canonis contextu expendantur, mirum sane quantum luminis inde adfulgebit ad

(1) Can. XI. q. 5. C. XXII. — (2) L. V. C. de leg.
(3) L. V. Cod. de Leg.

canonis sententiam, verbis licet intricatioribus expressam, feliciter stabiliendam.

4. Canon: consuetudines illorum temporum, quibus canones sanciti sunt, adtendendae. Profecto in sacris canonibus innumeras reperire est adlusiones ad consuetudines tunc temporis in Ecclesia obtinentes; quas nisi perspectas habeamus, dubio procul quamplurium canonum sensum non adsequemur, si aliunde interpretem, quem consulamus, nancisci non liceat. Hoc adeo manifestum est, ut demonstratione non egeat, atque adeo quaestiones innumerae, quae in sacrorum canonum explanatione inter DD. exoriuntur, facile componerentur, si canon iste in subsidium advocaretur. Sic. e. g. locus ille evangelicus (1): *filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores*, profecto oppido obscurus est, verum, uti recte observant Estius, et Maldonatus *hic*, satis explicari videtur, si advertatur Christum eo loci adludere ad Iudaeorum morem convivia noctu agendi, unde qui ex aula convivii excludebantur, in tenebris externis erant flentes, frementesque furore, atque indignatione. Tum canoni VI. nicaeno, qui eruditorum ingenia torsit, dubio procul maximam adfert lucem Rufiniana interpretatio, quia Rufinus, qui eodem saeculo vixit, canonem illum secundum consuetudinem tunc temporis Romae obtinentem interpretatus est.

5. Canon: opiniones quoque, quae diversis temporibus obtinuere, spectandae. Namque canonum conditores haud raro ad opiniones respiciunt sua aetate generatim ubique receptas; atque adeo aliquando canones disciplinam spectantes iisdem convenientes evulgant. Quare opiniones, quas canones spectant, si quis ignoret, ne de adlusione quidem cogitabit, ne dum nodos in intelligendis antiquis canonibus longe asperrimos solvere poterit. Exemplo sint verba Ps XC. *ab incursu, et daemonio meridiano*, quae haud facile intelliges, nisi animadvertas ibi ad vulgi opinionem respici, qui credebat daemones meridie potissimum esse timendos. *Hieron.*, *et Theodor. hic.* Tum canon XLIX. conc. tolet. IV., et can. IX. conc. aurelianensis V. de puerulis paterna devotione monachatui perpetuo addictis, profecto opinionem illius aevi continent

6. Canon: *decretalium fontes, unde fragmenta desumpta sunt, omnino adeundi.* Hac regula in interpretandis decretalibus collectionis gregorianae potissimum utendum est, scilicet non integras decretales nobis exhibuit Raymundus, sed aliquando, dum vellet, superflua resecare, ea detraxit, quae maxime ad decretalium faciebant intelligentiam: atqui dum fontes adimus, antecedentia, et consequentia, ceu quaedam faces sunt, unde fragmentis inde depromptis non modica lux accedit. Porro ex quinque antiquis decretalium collectionibus, unde gregoriana adornata est, quatuor priores Antonius Augustinus, quintam Innocentius Cironius adiectis observationibus edidere. Utinam et aeque integra extarent αυτογραφα *autographa* omnium constitutionum, et decretalium, ex quibus tum VI. Bonifacii VIII., tum libri Clementinarum compacti sunt. Neque enim Bonifacius VIII., et Gregorius X. decretales in suas collectiones relatas integras protulerunt, sed aliquando resecuerunt, immutarunt, correxerunt, ut ipsemet Bonifacius *in proemio* testatur, et advertit Ioannes Andreas (2).

(1) Matth. VIII. 12. — (2) Glossa ad praef. clementinarum.

De abrogatione et derogatione canonum

VII. Quamvis aeque legum, ac canonum constans sit, ac perpetua obligatio, non una tamen caussa est, cur derogari ipsis, aut abrogari possit. Principio autem quid abrogationis,quid derogationis nomine intelligamus, iuvat paucis expedire. Abrogatio igitur est totius legis abolitio, derogatio vero est legis adhuc vigentis imminutio in aliqua sui parte. Ad rem Modestinus (1): *derogatur legi quum pars detrahitur : abrogatur legi quum prorsus tollitur.* Atqui plures aeque in una ac in altera regulae servandae occurrunt, quarum praecipuas hic subnectimus.

1. Canones, quibus ius divinum explicatur, neque abrogare, neque derogare fas est. Ius enim divinum immutabile est.

2. Priori canoni derogatur, vel abrogatur canone posteriori, qui tamen vel ab ipso prioris canonis conditore proferatur, eiusve successore, vel ab eo, qui potiori pollet potestate. Quod dupliciter fieri potest, scilicet vel expresse priorem canonem, eiusve partem revocando, vel tacite, scilicet oppositum sanciendo. Verum ex nonnullorum sententia canonibus conciliorum generalium posteriori contraria constitutione derogatum non censetur, nisi clausula derogatoria expresse adiicitur (2).

3. Derogatur legi contraria, quae pedetentim invalescat, consuetudine, quamque legislatoris scientia, et tolerantia confirmet.

4. At e contrario legitime inductis consuetudinibus, et particularibus antiquis locorum institutis, ne per pontificias quidem constitutiones derogatum censetur nisi de illis expressa fiat mentio (3).

5. Canonis in praesumptione fundati cessat obligatio, ubi de contraria veritate constet: *cedit enim praesumptio veritati* (4). Tum exemplum habemus tit. *de sponsalibus* (5).

6. Cessante prorsus, atque omni ex parte caussa, cur lex condita fuerit per se ipsa lex cessat, omnisque eius obligatio. Sicut enim lex nullum consequitur robur, nisi rationem, et utilitatem comites habeat; ita omne robur amittit,ubi ratio, et utilitas abscedant: cuius rei non desunt exempla. Satis esto canon apostolicus de abstinentia a sanguine, et suffocato, qui eo conditus, quó synagoga honorifice ad sepulcrum deferretur, atque hebraei facilius ad fidem converterentur, hinc caussae huiusmodi ubi evanuere, ipsa quoque canonis licet apostolici evanuit obligatio.

7. Quod autem *can. II.* diximus, scilicet aliquando canoni priori tacite per posteriorem derogari, id nonnisi eo sensu intelligas; scilicet quum unum alteri ita opponatur, ut in concordiam revocari minime queant. Iura enim iuribus concordare expedit, eorumque correctio, qua fieri potest, vitanda (6). Verum hasce regulas hic indicasse satis esto, quum de hoc capite fusius agant theologi morales.

(1) L. CII. D. de verb. signif. — (2) Cap. III. de cap. monachorum. — (3). Cap. 1. de constit. in VI.
(4) Cap. V. de renunt. — (5) Cap. III., et V. — (6) Cap. XXIX. de elect. in VI.

TITULUS VII.

DE IURE PERSONARUM

I Tria potissimum hominum genera in Ecclesia christiana veteres Patres agnovere, nimirum Ηγουμενους, Πιστους, Κατηχουμενους *praefectos*, sive *clericos*, *fideles*, *et catechumenos*. Ad rem Eusebius (1): *tres per singulas Ecclesias ordines: unus eorum, qui praesunt, duo eorum qui subjecti sunt; quum Ecclesiae Christi populus in duos ordines sit divisus, in eorum, qui credunt, et eorum, qui nondum ad lavacri regenerationem adsumpti sunt*. Quum igitur personae, quas ius canonicum respicit, eae sint, quae ad Ecclesiam pertinent, eiusque potestati subiiciuntur, hinc priori hoc titulo *de iure personarum* acturi, abs re non erit ex producta Eusebii auctoritate personas in *clericos fideles*, sive *laicos*, et *cathecumenos* partiri. Et sane cathecumeni, quippe qui in Ecclesiae gremium aliqua ratione admissi, aliquando etiam vocati sunt christiani, ita synodus constantinopolitana (2): *licet enim*, ut Augustinus loquitur (3), *nondum filii essent, pertinent tamen ad ecclesiam, ceu servi*, immo salutem consequuntur aeternam, si mortem subeunt, antequam baptizentur.

II. De monachis, et regularibus quaeri solet, num hi aliud personarum genus in iure nostro constituant. Profecto ubi in monachorum primaevam institutionem inquiras, ad communem fidelium coetum referendi sunt: at quum in sacris canonibus a clericis, et a laicis plerumque distinguantur, hinc quartum personarum genus constituere videntur. Profecto licet, monachis patuerit dein ad ordines aditus, nunquam tamen vel nomine clericorum monachi ad clerum admissi, vel reliqui ad ordines haud promoti nomine laicorum accipiuntur.

Etymon vocis laicus

III. *Laici* ita dicti sunt a graeca voce λαος *populus*, *plebs*, *multitudo*. Et sane plebem Ecclesiae constituunt nullo peculiari ecclesiastico munere distincti. Hinc aliquando dicti sunt *saeculares* quippe qui saecularibus vacant negotiis, ac etiam *idiotae*, sive homines vitam in Ecclesia privatam agentes (4).

Etymon vocis clericus

IV. Quod vero ad clericos spectat, dubio procul hoc nomine donati sunt a graeca voce Κληρος *sors*, *haereditas*. Ad rem Hieronymus (5): *ministri Dei propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, idest pars clericorum est*. Quod nomen licet quandoque omnibus ex aequo fidelibus tributum (6). Unde Theophanes (7) auditores

(1) Demonstrat. Evangel. lib. VII. cap. 2. — (2) Can. VI. — (3) Tract. XI in Ioann. — (4) Chrysost. Hom. III. in lazar., et hom. XXXV. in I. corinth. cap. 14. — (5) Epist. II. ad Nepot. — (6) Epist. I. Petri v. 3. — (7) Hom. XII.

suos vocat clerum κληρον *clerum*,quando eos adloquitur, *nos vero o clere mi:* potiori tamen iure de iis est,qui divino cultui ministeria Religionis impendunt, ut loquitur Constantinus M. (1).

V. Igitur clerici proprie dicti sunt, qui sacro, ac publico aliquo munere in ecclesia funguntur, sive ministrando. Qua de re clericorum ordo a Nazianzeno (2),adpellatus est ταξις τευ βηματος *ordo sanctuarii*,eo quod solis clericis permissum sit eam sacrae aedis partem intrare, ubi altare constitutum est quaeque proprie dicebatur βημα, sive Ιερατειον *sanctuarium* (3).

De distinctione laicos inter, et clericos

VI. Clericos a laicis aeque ordinis, ac potestatis ratione distingui, et quidem iure divino, res est adeo evidenter antiquissimis probata monumentis, ut mirum omnino sit quosdam ex recentioribus haereticis istud in controversiam vocare non dubitasse. Et sane nimis longum esset omnia sacrarum litterarum, ac veterum patrum testimonia hic adversus heterodoxos proferre. Videsis Petavium, Natalem, Witasse, aliosque; pro instituti nostri ratione duntaxat pauca proferemus.

1. In sacro novi Foederis codice clerici distinguuntur a laicis, uti pastor ab ovibus: *attendite vobis, et universo gregi, in quo vos spiritus S posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (4). *Pascite qui in vobis est gregem Domini, providentes non coacte, sed spontanee ... ut quum adparuerit princeps pastorum* ec. (5).

2. Apostoli eos ad diaconatum viros adscrivere, qui ex universae ecclesiae consultatione viderentur *boni testimonii, pleni spiritu Sancto,et sapientia.* Quorsum haec, nisi quia a multitudine segregandi erant, et sacris ministeriis addicendi? Et sane statim post sacro praedicandi, et baptizandi ministerio usi sunt. Ad rem Chrysostomus (6): *imposuerunt illis manus, quoniam Apostoli hoc ritu septem illos segregaverint a multitudine.*

3. S. Ignatius M. (7) aeque Episcopis, et presbyteris, atque etiam diaconis divinum Iesu Christi ministerium commissum docet, illis quidem, ut praesint, his ut ministrent. Tum fideles admonet, ut Episcopo adtendant, presbyterio, et diaconis (8).

4. Clemens alexandrinus in lib. *quis dives salvetur*, de Ioanne Apostolo tradit *eum, quum post tyranni obitum a Patmo insula Ephesum rediisset, vicinas quoque gentes rogatum visisse, partim quidem, ut Episcopos constitueret... partim etiam, ut unumquemque eorum,quos Spiritus designaret, in clerum cooptaret.*

(1) L. XI. cod. theod. de Episc., et clericis — (2) Orat. XX. in laudem Basilii.
(3) Vox isthaec κληρος metonymice etiam a Plutarco usurpatur ad agri portionem designandam, quae a Lycurgo singulis lacaedemoniis tributa fuit. (in vita Lycurg. Opp. tom. 1, p. 44). Legimus etiam in sacris Litteris (Numer. XVIII. 20. Deuter. X. 9.) sacerdotes, et levitas sacrificiis, primitiis, et oblationibus aliarum tribuum ali, quippe quod in partitione Chananitidis inter XII. tribus ipsi in tributum non venerunt. Quare Deus ipse dixit se esse illorum κληρον, nempe *portionem, haereditatem, possessionem*, ut sapientissime docet Hieronymus. — (4) Act. XX.
(5) Ep. I. Petri cap. V. — (6) Hom. XIII. in act. Apost. — (7) Epist. ad magnesianos n. 6. — (8) Epist. ad Philad. n. 7.

5. Tandem Tertullianus (1) haereticos sui temporis eo nomine insectatur, quod apud ipsos, qui *hodie Episcopus, cras alius, hodie diaconus, qui cras lector, hodie presbyter, qui cras laicus.* Tum subnectit: *nam et laicis sacerdotalia munia iniungunt.* At quinam potuisset hoc haereticis exprobari, nisi divina institutione clerici a laicis distinguerentur?

VII. Fateor equidem sacerdotes aliquando vocatos fuisse omnes christianos: at hoc nonnisi lato modo intelligendum: *omnes enim*, inquit S. Eucherius, *sumus membra summi Sacerdotis Domini nostri Iesu Christi.* Et sane sicut vox *sacrificium* aeque lata, ac stricta notione acceptum reperitur in sacris Litteris, et apud veteres patres, ita quoque vox *sacerdotium.* Egregium hac de re habemus origenis locum (2): *si membra mea ab omni concupiscentia carnis mortificavero, si mundus mihi crucifixus sit, et ego mundo, holocaustum obtuli ad altare Dei, et ipse meae hostiae sacerdos efficior.*

VIII. Igitur ubi S. Petrus (3) fideles adloquitur, *ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias Deo, per Iesum Christum... Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta*, illud profecto indicat, fideles aeque sacerdotii, ac regiae dignitatis Iesu Christi participes, vota, preces, largitiones, benefacta Deo Patri offerre una cum sacrificio, quod ille nostri gratia peregit; qua ex coniunctione quidquid in iis, quae petimus, vel offerimus pretii esse poterit, omnino oritur. Ad nobilissimam hanc dignitatem Baptismo evehimur, dum a Spiritu Sancto in Domini sacerdotes inungimur, et sacro charactere distinguimur. Fidelis igitur quisque spirituali acceptione Dei sacerdos est, spirituales hostias offert Deo: neque tamen id prohibet, quominus esse debeant in Ecclesia sacerdotes rite initiati, ac peculiari auctoritate praediti ad offerendum Deo formidabile sacrificium, caeteraque obeunda munia, quae Christus unis apostolis, eorumque dignitatis haeredibus reservavit. Praesertim cum ipsemet Petrus, uti modo vidimus (4), pascendi gregem Domini potestatem solis adtribuat senioribus, sive Episcopis, et presbyteris, quibus, ut fideles subditi sint, *ibidem* admonet (5).

De divisione laicorum

IX. Christus, quippe qui in hunc mundum advenit, non terrenum, et periturum, sed spirituale, et aeternum regnum fundaturus, sacerdotium quidem divina, qua pollebat auctoritate, constituit; ad laicos vero, varios-

(1) Lib. de praescript. cap. 41.

(2) Hom. IX. in cap. 16. levit.—(3) Epist. I. cap. II. v. 5.—(4) Epist. I. cap. V.

(5) Errant profecto Salmasius, Rigaltius, Seldenus, Buddeus, aliique Novatores, qui distinctionem clericos inter, et laicos divini iuris esse detrectant, eamque saeculo III, in quo Tertullianus, et Cyprianus floruerunt, Pastorum ambitione invectam impudenter deblaterant Hanc haeresim praecipue confirmavit Boehmerus, viresque suas eo frustra intendit, ut novae legis sacerdotium penitus everterent. Boehmer. diss. VI. ad plinium II, et Tertull. Videsis Petavium lib. III. de eccles. hierarch. cap. III, Marca diss. de discrimine clericorum, et laicorum ex iure divino cap. II., et Thomasinum discipl. par. 1. lib. 1. cap. 52., qui gravissime, et doctissime eorumdem deliria confutaruut.

que eorum ordines, et conditiones manus non admovit. Neque enim, ut loquitur Hieronymus (1) *venit mutare hominum conditiones*. Hoc autem quum Christus abs se alienum duxerit, factum hinc est, ut Ecclesia quoque neque ad se adtinere huiusmodi curam putaverit. Ius quidem ecclesiasticum laicos in fideles, et catechumenos distinguit, haec tamen, alia ve eiusmodi divisio nonnisi ea ratione inducta est, qua laici ad Ecclesiam, sive spirituale Christi regnum pertinet, quaque *cives sanctorum sunt, et domestici Dei*, ut praeclare loquitur apostolus (2).

X. Perperam igitur dicitur Ius canonicum distinguere dominos inter, et servos, quum ecclesia duntaxat canones ediderit, quibus dominos, et servos instituit, quonam pacto mutua sibi invicem officia praestare debeant. Quare Paulus (3) postquam servos admonuit, ut dominis suis parerent in timore, et tremore, in simplicitate cordis, (servi enim versuti, dolosi, et mendaces persaepe sunt) statim dominos hortatur, ut imperium, auctoritatemque ita in illos exerceant, tamquam in Christi servos, scilicet saevitiem omnem, verborum acerbitatem, et truces minas deponentes: *scientes quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a domino, sive servus, sive liber . . . et personarum acceptio non est apud Deum*. Quapropter licet iure civili romanorum inter personas servili nexui mancipatas contubernium esset, non matrimonium (4), ecclesia tamen editis canonibus decrevit matrimonium inter servos legitime contrahi, quod *in Christo Iesu, ut loquitur apostolus, neque liber est, neque servus, qui a Sacramentis ecclesiae sit removendus* (5). Eadem ratione Apostolus *ibidem* parentes, et filios, viros, et uxores docet, qua pietate, qua charitate, quo obsequio se invicem prosequi debeant.

XI. Principibus quoque, magistratibus, et cuicui sublimiori potestati ipso iure ecclesiastico fideles obedire adiguntur, et quidem ex Christi doctrina: *reddite quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo* (6). Hinc Princeps Apostolorum (7) fideles iubet reges honorificare, iisdemque subditos esse. Et S. Paulus sic praecipit (8): *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas, nisi a Deo: quae autem sunt a Deo, ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*. Eadem habet *epist. ad Titum III. admone illos principibus, et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse. Neminem excipit Apostolus*, inquit hic Theodoretus, *non presbyteros, non praesules, non monachos*. Id quod illaesa, cui maxime favent catholici principes, ecclesiasticorum immunitate accipiendum est.

XII. Deus omnino omnis auctor est potestatis. 1: quod hominibus tacite inspiraverit consilium subiiciendi se principatui, a quo defenderentur. 2: quod imperia inter homines utilissima sint servandae concordiae, disciplinae, Religioni. Porro quidquid boni est, a Deo, tanquam a fonte emanat. 3: potestas tuendi ab adgressore vitam, et opes hominibus a Deo tradita, atque ab ipsis in principem conversa, Deum primum habet auctorem. Igitur principes ea potestate ab hominibus donati hanc ab ipso Deo acce-

(1) In Epist. ad Galat. VI. — (2) Epist. ad Ephes. II. — (3) Epist. VI. ad Ephes. (4) L. XIV. Dig. de ritu nupt. — (5) Cap. I. de coniug. serv. — (6) Matth. XII. 17. — (7) Epist. I. cap. 2. — (8) Epist. ad rom. cap. XIII.

pisse dicuntur. Quamobrem Petrus (1) principatum *humanam creaturam* nuncupat, quam Paulus *potestatem a Deo institutam*. Humana igitur, et divina est varia ratione spectata 4: denique suprema auctoritas a Deo est, quippe quod eam a sapientibus institutam ipse probavit.

XIII Nulla unquam gens saecularibus potestatibus magis paruit, quam primae aetatis christiani, qui a Christo Iesu, et ab Apostolis edocti nunquam ausi sunt principibus a providentia sibi datis repugnare, licet illi infideles essent, atque adeo Ecclesiam christianam, christianosque diris exagitarent persecutionibus. Ad rem Lactantius (2): *quum nefanda patimur, ne verbo quidem reluctamur, sed Deo remittimus ultionem* Et Tertullianus (3) : *christianus nullius est hostis, nedum imperatoris, quem sciens a Deo suo constitui, necesse est, ut et ipsum diligat, et revereatur, et honore, et salvum velit.* Postremo Irenaeus (4): *cuius iussu homines nascuntur, huius iussu et reges constituuntur.*

XIV. Itaque si apostoli ex Christi mandato ita cautum voluerunt, si ita locuti sunt veteres Ecclesiae patres, dum principes ethnicae religionis vinculis constricti adhuc detinebantur, quis, nisi caecutiat, non videt, potiori iure illorum verba, et sanctiones ad principes christianos referri oportere, qui a Deo Religionis vindices, et custodes constituti sunt. Unde synodus tridentina (5) catholicos principes *sanctae Fidei, Ecclesiaeque protectores* divinitus constitutos docet. Leo M, (6): *res humanae aliter tutae esse non possunt, nisi quae ad divinam confessionem pertinent, et regia, et sacerdotalis defendat auctoritas.* Et Isidorus (7): *principes saeculi*, inquit, *nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptae culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Ut quod non praevalet sacerdos efficere per doctrinae sermonem, potestas hoc imperet per disciplinae terrorem. Saepe per regnum terrenum coeleste regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem, et disciplinam ecclesiae agunt, rigore principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam ecclesiae humilitas exercere non praevalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat, et ut venerationem mereatur, virtute potestatis impertiat. Cognoscant principes saeculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt.*

XV. Verum qua ratione ex divino praecepto obedientiam, atque obsequium principibus praestare iubemur eadem saepius ipsis inculcatur, ut ne praescriptos suae potestatis limites praetergrediantur: quum imperium, et sacerdotium ita semper fuerint inter se distincta, atque discreta apud veteres, ut illi ius omne, arbitriumque in rempublicam., et res politicas, huic vero in religionem, et res spirituales adscriptum sit. Apposite Symmachus Papa in apolog. *conferamus autem honorem imperatoris cum honore pontificis: inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum.*

XVI. Ipsi quoque principes ad iura maiestatis ecclesiae regimen non spectare ingenue professi sunt. Valentinianus senior petentibus episcopis

(1) Epist. I. cap. 2. — (2) Lib. V. — (3) Ad Scapulam cap. II.
(4) Lib. V. cap. 24. — (5) Sess. XXV. — (6) Epist. XXIX. ad Pulcheriam Augustam. — (7) Lib. III. sent. cap. 53.

facultatem cogendae synodi pro instaurando cousubstantialitatis dogmate, respondit: *sibi, qui e laicorum numero erat, non licere se eiusmodi negotiis interponere:* tum Iustinianus imperator (1): *maxima quidem sunt omnibus dona Dei superna collata clementia, sacerdotium, et imperium. Illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis praesidens, ac diligentiam exhibens, ex uno, eodemque principio utraque procedentia humanam exornant vitam.*

XVII.. Quod autem principes saeculi de caussis ecclesiasticis aliquando leges sanxerint, haud inde inferas, illos in Ecclesia potestatem exercuisse suam, sed potius in republica, et quidem pluribus titulis.

1. Quod iure suo Ecclesiam, et Religionem tueantur. Quum enim eiusmodi sit civilis societatis natura, ut sine Religione non subsistat; profecto quum ad principes reipublicae spectet cura, eo nomine etiam Religionem, et Ecclesiam tueantur oportet: Augustinus (2), et Isidorus (3).

2. Ut canones ecclesiasticos suis legibus confirmantes, poenasque subinde temporales adiungentes illorum executionem faciliorem redderent. Hinc veterum praesertim orientalium conciliorum ea fuit praxis, ut imperatoria conciliorum decretorum confirmatio expeteretur.

3. Ut ecclesiasticis canonibus etiam civile robur accederet, dum per civiles leges confirmarentur. Quamobrem qui in istiusmodi canones impingeret, duplici se obstringeret crimine, quod ecclesiasticam, et civilem laederet potestatem, atque ita duplici poena, ecclesiastica, et civili puniretur (4).

XVIII. Non negaverim aliquando principes ius tuitionis fuisse egressos, ac sacerdotum iura sibi adrogasse, quo nomine inter alios principes praecipue censetur Iustinianus. Verum hisce in casibus Episcopi, ac prae caeteris Romani Pontifices intercesserunt, ne quid per rescripta principum admissis canonibus, aut libertati christianae adversum induceretur. Verum hoc de capite alibi.

De divisione clericorum

XIX. Ac primo illud omnino animadvertendum, nomina *ordinis*, *gradus*, *officii* fuisse aliquando a veteribus promiscue usurpata ad significandas diversas in Ecclesiae ministerio clericorum functiones. Hinc Hieronymus (5): *alium ordinem pontifex tenet, alium sacerdotes, et alium levitae.* Tum (6) *Episcopus, presbyter, et diaconus non sunt meritorum nomina, sed officiorum,* et de Episcopis, presbyteris, et diaconis scribit (7): *non dico, quod istiusmodi gradibus in Ecclesia non debeatis esse subiecti.*

XX. Verum strictius loquendo *ordo* officium ecclesiasticum significat, ad quod quis ritu mystico inauguratur, vel potius illius exercendi ius, sive potestatem: *gradus* locum hierarchicum designat, quem quis ratione ordi-

(1) Nov. VI. collat. 1. in praefat. — (2) Lib. III. contra Crescon. cap. 15.
(3) Can. II. causs. 23. quaest. V.
(4) Iustin. nov. VI. cap. 1. — (5) Lib. V. contra Iovinianum. — (6) ibidem.
(7) Comm. in Michaeam IV.

nis consequitur: tandem munia singulis ordinibus addicta *officia* nuncupantur.

XXI. Apud omnes poene theologos recepta sententia est, ordines alios, praeterquam septem, non numerari: scilicet *presbyteratum*, *diaconatum*, *hypodiaconatum*, *acolythatum*, *exorcistatum*, *lectoratum*, *et ostiariatum*. Plerique canonistae duos addunt, nempe episcopatum, et primam clericalem tonsuram. Illum enim puram putam ordinis presbyteratus extensionem, istam vero nonnisi ad caeteros ordines suscipiendos praeparationem esse inficiantur; at vero duos a reliquis distinctos ordines esse contendunt. Nos veluti media via incedentes, episcopatum quidem distinctum a presbyteratu ordinem fatemur: primam vero clericalem tonsuram, nonnisi ordinum tyrocinium esse censemus.

XXII. Ac primo episcopatum ordinem esse a presbyteratu distinctum plura evincunt. 1. *distinctus consecrationis ritus*. Nimirum distincta manuum impositio, uti diaconatum a presbyteratu, ita presbyteratum ab Episcopatu, tanquam diversos ordines distinguit.

2. *Distincta potestas*. Presbyter enim nonnisi filios ecclesiae gignit, hoc est fideles per baptismum. At Episcopus gignit patres, hoc est Episcopos, et presbyteros per sacramentum ordinis.

3. *Distinctae progressiones, ac imitationes gloriae caelestis*. Ad rem Clemens Alex. strom. (1): *in Ecclesia Episcoporum, presbyterorum, et diaconorum progressiones sunt: imitationes gloriae angelicae, προκοπαι progressiones* profectus designant de uno in alium locum superiorem. Tum si episcopatus a presbyteratu non distingueretur, uti presbyteratus a diaconatu, immerito progressiones illae diccrentur *imitationes gloriae angelicae*, quum in coelestibus illis spiritibus diversi aeque dignitatis, ac officiorum ordines sint constituti.

4. *Episcopi presbyteris praestant, uti presbyteri diaconis*. Origenes, quem presbyterum fuisse omnes norunt (2) scribit: *plus a se exigi, quam a diaconis: ab his vero plus, quam a laicis: plus rursus ab iis, quibus super diaconos, et presbyteros commissum est regimen, et principatus ecclesiae*. Non absimili ratione loquuntur antiquissimi Ecclesiae patres, Irenaeus, Tertullianus, Hieronymus, Eusebius, aliique: ac praecipue in genuinis S. Ignatii M. epistolis crebrae occurrunt in hanc rem sententiae. Speciminis loco sit singulare testimonium (3), ubi exhortatur eos, *ut in concordia omnia agant Episcopo praesidente Dei loco, et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis, quibus commissum est ministerium Iesu Christi*.

XXIII. Rem omnem paucis contraham. Ordinis natura, uti modo vidimus, in eo est, ut officium ecclesiasticum significet, vel potius illius exercendi ius ritu mystico collatum. Igitur ubi distinctus consecrationis ritus, distincta potestas, distincta munia, ibi profecto distincti ordines. Atqui episcopatus, et presbyteratus invicem distinguntur ritu consecrationis, potestate, progressione, auctoritate. Id modo producta argumenta evidenter de-

(1) Lib. VI. et paedag. lib. III. cap. 12.
(2) Hom. II. in Hierem. — (3) Epist. ad magnesianos.

monstrant: igitur episcopatum a presbyteratu, ordinem ab ordine prorsus distingui ambigendum non est.

XXIV. Quod vero ad primam clericalem tonsuram attinet, nobis magis probanda Gonzalesii opinio videtur, qui (1) fatetur quidem clericorum nomine aliquando simplices attonsos comprehendi, quod hos, quippe qui laici non sunt, sed a vulgo selecti, et in sortem Domini adscripti, ordo clericalis complectatur: at *ibidem* diserte docet, *ex veriori sententia dicendum proprie, et stricte primam tonsuram non esse ordinem, sed praeviam dispositionem ad ordines, cuius cooptationis ratione ita tonsuratus dicitur habere ordinem clericalem, et per consequens fruitur privilegio canonis, et privilegio fori.*

XXV. Et sane 1. per clericalem tonsuram nulla confertur initiatis spiritualis potestas, neque 2. peculiare aliquod ecclesiasticum munus ipsis exercendum committitur. Adsistere enim cum superpelliceo ecclesiae ministeriis necnon ordinum minorum officia in defectu eorum, qui illos suscepe-runt, exercere, iure novissimo attonsis aeque commune est, ac laicis. 3. concilium tridentinum (2) illam expresse ab ordinum albo expungere videtur: *nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus etc.* 4. Catechismus romanus (3) diserte tonsuram *quamdam ad ordines suscipiendos dispositionem* adpellat. 5. demum ex tridentino (4) unusquisque a proprio Episcopo est ordinandus, si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum sit suspensus. Verum sacra Congregatio, fatente ipso fagnano (5), declaravit Episcopum hieracensem ob primam tonsuram extraneo collatam suspensioni non esse subiiciendum, quoniam *tonsura a concilio non habetur pro ordine.* Verum non est cur in hac re diutius immoremur.

TITULUS VIII.

DE PRAEROGATIVIS ET PRIVILEGIIS CLERICORUM

I. Ac 1. antiquitus clerici pluribus, iisdemque honorificis titulis decorati sunt, nempe communi loquendi usu dicebantur *patres, domini, doctores, bene vivendi auctores, angeli Dei* etc. Tum Ταξις τȣ βηματος *ordo sanctuarii*, ac eorumdem diversi ordines *imitationes gloriae angelicae* dici consueverunt. Nazian. (6), et Clem. Alex. (7).

II. In publicis precibus, sacris processionibus, aliisque ecclesiasticis functionibus primum semper locum obtinent, laicosque anteeunt: quinimmo in ecclesiis laicis omnino vetitum est, dum divinum officium, et missae sacrificium celebratur, ingredi sacra septa plerumque cancellis distincta, quum in eis solis clericis tunc temporis consistere liceat (8). Adhaec S. Benedictus licet omnes indiscriminatim suos monachos eiusdem prorsus regulae

(1) Cap. praeterea de apostatis. — (2) Sess. XVIII. cap. VI. — (3) Part. II. cap. VII. n. 13. — (4) Ibidem cap. VIII. — (5) In cap. cum contingat n. 38.
(6) Orat. XX. in laud. Basilii. — (7) Strom. lib. VI., et paedag. lib. III. cap. 12. — (8) Can. III. de consecr. dist. 2.

fibula obstrinxerit, attamen monacho clerico primum locum in choro concedendum praescribit.

III. Haud contemnenda illa praerogativa est, qua fruuntur clerici: nimirum ut vitam agant ex reditibus Ecclesiae, decimis, primitiis, aliisque populi oblationibus. Et sane 1: isthoc obsequii genere tum populus iudaicus suos sacerdotes, tum Abrahamus Melchisedecum honore est prosecutus.

2. Idipsum Christus tum exemplo, tum doctrina probavit: *exemplo*, plures enim mulieres Christum sequebantur, ut quae ipsi, eiusve apostolis necessaria essent, de suis facultatibus ministrarent (1): *doctrina*, apostolos enim ad evangelizandum mittens eos ab civitatum, locorumque incolis hospitium, et alimenta recipere iussit, rationem subnectens: *dignus enim est operarius cibo suo* (2).

3. Idem Paulus Apostolus pluribus demonstrat haud semel in suis epistolis, ac praesertim (3), et quidem 1: ex iure gentium. Neque enim miles tenetur suo sumptu militare, sed a provincialibus, uti Augustinus loquitur, accipit decreta sibi stipendia. 2: ex ratione quisnam unquam prohibetur de vineae fructu edere, vel cuiuslibet arboris a se plantatae? aut num qui pascit gregem, de lacte gregis non manducat? 3: ab inaequalitate dati, et accepti, idque sub metaphora seminantis, quasi diceret: qui seminat multo plus a terra metere expectat, quam in eam proiecit: atqui spiritualia, quae seminantur, oppido potiora sunt carnalibus, quae metuntur: qui igitur grave videbitur, si nos spiritualia vobis subministrantes, vicissim carnalia recipiamus? 4: demum ex lege Mosis, quae idipsum per allegoriam bovis triturantis indicat, cui os alligare, sive obturare (4) φιμωσις nimiae crudelitatis est argumentum. In quo sane Spiritum S. id praecipue intendisse docet apostolus, nimirum, ut Evangelii ministri ab iis, quos instituunt, quo nutriantur, accipiant. Unde concludit: *numquid de bobus cura Deo est? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt... nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt cum altari participant? ita et Dominus ordinavit his, qui evangelium adnuntiant, de Evangelio vivere.*

4. Demum eadem semper fuisse videtur antiquissima ecclesiae consuetudo, ut clericis a plebe honesta corporis alimenta praeberentur: et quidem vel ex oblationibus super altari fieri solitis, ubi non panis tantum, et vinum, sed res etiam aliae necessariae, et nonnunquam pecuniae in ecclesiae substentationem offerebantur (5): vel ex fructibus, avibus, et animalibus, quae episcopis, et presbyteris domum mitti consueverant diaconis, et reliquis clericis distribuenda: canones ex sic dictis apostolicis (6), vel ex oblationibus, quas singulis mensibus in Ecclesiae arcam fideles pro lubitu inferebant (7): unde videtur orta consuetudo semel per mensem oblationes inter clericos distribuendi, de qua Cyprianus (8), vel demum ex agris, et possessionibus ecclesiae donatis, quae licet tribus prioribus saeculis oppido tenues essent, at pace Ecclesiae reddita, valde adauctae sunt. Verum de his

(1) Matth. XVII., et Luc. VIII. — (2) Matth. X. et Luc. X. — (3) Epist. I. ad Cor. cap. 5. — (4) Deut. XXV.

(5) Hieron. in Ezech. XVIII. — (6) III., et IV. — (7) Tertul. apost. cap. 39. — (8) Epist. XXVIII., et LXVI.

fusius alibi, ubi de decimis, oblationibus, aliisque ecclesiae redditibus sermo redibit.

IV. Porro praecipuum clericorum privilegium illud semper est habitum, quod tum 1: ab publicis, sordidisque muneribus, tum 2: ab tributis, et vectigalibus, tum 3: ab iudiciis saecularibus immunes fuerint. De tertio hoc exemptionis genere opportunior redibit sermo *lib. III.* primum igitur, ac alterum, nimirum personalem, et realem clericorum immunitatem hic tantummodo explanare adgredimur.

V. Principio autem statuendum quid realis, quid personalis immunitatis nomine veniat. Realis dicitur immunitas, qua bona ecclesiarum, et clericorum a tributis, vectigalibus, oneribusque aliis laicalibus eximuntur: *semel enim Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum* (1).

VI. Personalis vero immunitas ita dicta, quod personas ecclesiasticas spectet, ea est, quae clericos ab oneribus personalibus, quae corpore geruntur, eximit (2). Primum de personali, dein de reali clericorum immunitate lubet verba facere.

De personali clericorum immunitate

VII. Personalem clericis immunitatem fidei luce praeeunte, episcoporumque consilio, et hortatu primus indulsit Constantinus M., uti refert Eusebius (3), eamdemque pro regno neapolitano nova constitutione firmavit Fridericus II. constitutione regni, quae incipit: *clerici* (4).

VIII. Ad personalem immunitatem 1: pertinet exemptio ab eo tributorum genere, quod *census capitum*, sive *capitatio* dicebatur, quae vel humana erat, sive animarum, scilicet per quam aetatem quisque suam significabat, ut inde constaret, num tributo onerandus quis esset, an non: vel terrena erat, sive agrorum; tributum scilicet, alias Κανων *canon* dictum, quod ab hominibus ratione agrorum, et possessionum suarum exigebatur. De terrena mox redibit sermo. At humanam quod spectat, profecto ab ea non modo clericos, verum et eorumdem coniuges, liberos, servos, et ancillas omnino fuisse exemptos constat ex binis Constantii Imp. legibus, quas legere est in codice theodos. (5).

IX. Ad idem immunitatis genus referri quoque posse videtur exemptio ab onere hospitii, quod romanis *metatum* dicebatur, cuius vi Imperatoris aulae stipatoribus, iudicibus, atque militibus hospitia, et alimenta praebenda erant, ubi officii sui caussa per provincias iter facerent. Hanc immunitatem concessit Constantinus (6), et confirmavit pro nostro regno Carolus II. andegavensis regni vicarius in *cap. 96.* Id quod intelligas 1: de domo, quam clerici habitant, haud vero de domo, quam locant (7). Tum 2: excipiendus casus obsidionis, vel alterius gravis necessitatis (8). Praeterea 3: ubi laici recipiendis militibus impares sint, clerici subsidio erunt (9).

(1) Cap. LI. de regulis iuris in VI. — (2) Cap. I., et IV. hoc tit. — (3) Lib. X. Cap. 7. — (4) Lib. I. tit. 72.
(5) L. X., et XIII. de Episc., et cler. — (6) L. VIII. cod. theod. de metatis — (7) Boetius Epo ad cap. I. de immunitate. — (8) Choppinus de sacra politia tit. II. n. 3 — (9) Faber in cod. lib. VIII. tit. XXX. def. 26.

X. Tum clerici ab publicis acque honorificis, ac sordidis muneribus exempti: sit igitur primo.

De clericorum ab publicis honorificis muneribus exemptione

XI. Honorifica habebantur munera *municipalia*, quae etiam *curialia* dici consueverunt,quod qui ea substinebant,*curiales* nuncuparentur. Istiusmodi erant *pecuniarum civitatis publicarum administratio*, *exactio annonarum*, *iudicum praecepta exequi*, *susceptores suo periculo nominare*, *mansionum*, *pagorum*, *ac horreorum reipublicae curam gerere*, aliaque huius generis a Iacobo Gothofredo recensita in paratitlo (1). Porro ab his clericos prorsus exemptos voluit Constantinus. Extat apud Eusebium (2), egregia eiusdem imperatoris epistola ad Anulinum Africae praefectum an. 313. data, qua clericos ab omnibus *publicis functionibus immunes conservari* decernit:scilicet *ne a cultu summae Divinitati debito abstrahantur*. Tum idem imperator sex circiter post annis aliam hac de re legem tulit, quae sic habet: *qui divino cultui ministeria Religionis impendunt ab omnibus omnino muneribus excusentur*, *ne sacrilego livore quorumdam a divinis obsequiis avocentur* (3). Huc quoque respexisse videtur lex Valentiniani, et Gratiani (4): atque personalis haec immunitas, quippe quae clericis omnino conveniens, scilicet ne *a suis officiis avocentur*, prima est, quam clericis indultam reperiamus.

XII.Quum vero nonnulli huiusce immunitatis beneficio abuterentur, dum ad declinanda provinciae suae munia titularem quamdam ordinationem aucupabantur, hinc tum ab ipsomet Constantino, tum deinceps ab eius successoribus adversus huiusmodi abusionem variae leges promulgatae sunt.

XIII. Ac primo Constantinus, qui eam immunitatem indiscriminatim omnibus clericis concesserat privata bona sive possiderent, sive non, lege lata vetuit, *ne ullus dives de plebe*, *quem aequitas ad publica traheret munera*, *et progenie municeps*, *vel patrimonio idoneus dignosceretur*, *clericorum se consortio sociaret. Tum si quis post evulgatam legem id faceret*, *ex statione sua dimittatur*, *et curia ad explenda munia restituatur* (5).

XIV. Verum haec Constantini sanctio tractu temporis ecclesiae quam maximo fuit detrimento. Eius enim praetextu identidem presbyteri, et diaconi a litigiosis hominibus ad obeunda provinciae munia adigebantur. Qua de re, qui secuti sunt imperatores, ut huic malo prospicerent, suis legibus Constantini sanctionem moderarunt

XV. Ac 1. Constantius omnes episcopos, tum quod ad personas, tum quod ad possessiones ab eo onere immunes esse voluit: tum idem privilegium presbyteris, diaconis, ac reliquis omnibus clericis indulsit, si curia consentiente, populoque universo expetente, ordinati essent, at secus ordinibus initiati possessionum suarum duas tertias partes cum filiis suis, aut propinquis partirentur, eosque in locum suum substituerent : vel his defi-

(1) Tit. I. de decurionibus Lib. XII. — (2) Lib. X. cap. VII. — (3) Lib. I. cod. theod. de Episc., et clerio. — (4) L. C. cod. theod. de decurion. — (5) L. VI. cod. theod. de Episc., et cler.

cientibus duas bonorum partes curiae cederent, tertia sibimetipsis reservata (1).

2. Valentinianus sub imperii sui initia Constantii legem non modo firmavit, verum et magis acuit, ac duriorem reddidit (2). Quam deinde septem post annis emollivit, dum omnes in Ecclesiae ministerio iam constitutos, licet possessionibus, propriisque bonis instructos, prorsus exëmit (3).

3. Valens eos omnes immunes esse voluit, qui decennium in clericatu explevissent, nec intra illud temporis spatium a curia essent revocati (4).

4. Valentinianus II. Valentis legem firmavit illa adiecta conditione, nimirum ut *alium instructum facultatibus suis ad munera pro se complenda constituant* (5).

5. Theodosius immunes eos omnes voluit, qui ante annum 387, qui erat imperii sui decimus, ordinati essent; ab iis vero, qui postea ordinibus initiari vellent, requisivit, ut vel in locum suum aliquem substituerent, vel sua bona curiae cederent (6).

6. Arcadius instigante eutropio severae Constantini legi rursus clericos subiecit (7). At contra Chrysostomo, aliisque sanctissimis Episcopis clamitantibus, statim nova lege eam abolevit, atque aequam Theodosii sanctionem revocavit, firmavitque: hoc tantum excepto, ut inferiores clerici a curia revocati ad patriae munia per se obeunda adstringerentur (8).

7. Eamdem constitutionem Theodosius quoque Iunior, Valentinianus III., et Maioranus firmarunt: uti ex eorumdem legibus ad calcem codicis theodosiani adiectis manifestum est.

8. Tandem Iustinianus duriorem quidem arcadii legem primum renovasse videtur (9). At postea aequam Theodosii senioris legem rursus sanxit, duo tantummodo addens, 1: ut inferiores clerici e curia aliqua adsumpti, si monasticam vitam non minus quindecim annis implevissent, ordinari possent, quarta bonorum suorum parte sibi retenta, reliquis partibus curiae, et fisco vindicandis. 2: ut Episcopi ab obeundis quidem civilibus muniis immunes essent, at vero vicarium sibi substituerent.

XVI. Ex hactenus dictis illud effici posse videtur, veteres christianos principes discrimen fecisse inter publicum Ecclesiae patrimonium, cuius intuitu ad nullum civilium munerum onus subeundum clerici adstringebantur, et privatas clericorum facultates, quae civili aliquo titulo notatae essent, quarum intuitu omnino exempti non erant, nisi vel earum portionem curiae cederent, vel per substitutos debita sibi munera explerent.

De clericorum ab sordidis muneribus exemptione

XVII. Ab sordidis muneribus non modo personae clericorum, verum et ecclesiae praedia erant exempta. Id ex pluribus Constantii, Valentiniani,

(1) L. L. cod. theod. de decurion. — (2) Ibid. L. LIX. — (3) Ibid. L. III.
(4) Ibid. L. XIX. — (5) Ibid. L. C.
(6) Ambrosius in respons. ad *Symmachum*. — (7) L. III. cod. theod. de his qui ad Eccles. — (8) L. CLXIII. cod. theod. de decurion. — (9) L. II. cod. de Episc., et cleric.

et Theodosii legibus liquet, quas non modo confirmavit Honorius, verum et eiusmodi immunitatem antiquum ecclesiae privilegium dixit (1).

XVIII. Sordida munera, et ab iisdem exemptiones recensentur his verbis (2): *sordidorum vero munerum talis exceptio sit, ut patrimoniis dignitatum superius digestarum, nec 1: conficiendi pollinis cura mandetur, aut 2: panis excoctio, aut 3: obsequium pistrini, ne 4: paraveredorum huiusmodi viris, aut parangariarum praebitio mandetur, 5: operarum, atque artificum diversorum, 6: excoquendae etiam calcis obsequia, nulla de talibus adiumenta poscantur, 7: materiam, lignum, atque tabulata exceptorum virorum patrimonia non praebeant, 8: carbonis quoque ab huiusmodi viris praebitio desistat, 9: publicis vel sacris aedibus construendis, atque reparandis, 10: hospitalium domorum minime curiae subiaceant, 11: viarum, et pontium talis sollicitudo non oneret, 12: capituli, atque temonis necessitatis nulla mandetur: 13. legatis, atque allectis sumptus possessio huiusmodi privilegiis munita non ferat.*

XIX. Verum in his sordidorum munerum speciebus, quae late explicantur ab Iacobo Gothofredo locis indicatis (3) omnino oportet distinguere munus personale ab reali praestatione, quae rationem tributi potius habebat, quam sordidi muneris. Et quidem quoad personalem functionem clerici semper exempti fuere: at quoad realem praestationem varia fuit sub diversis imperatoribus clericorum conditio. Exempla sint *angariae, et parangariae.*

XX. Hisce nominibus donabantur praestationes agendi, ferendi commeatum pro militibus, aliaque huiusmodi ad principis aerarium spectantia. Ubi hae transvectiones fiebant via publica, et ordinaria dicebantur *angariae*, ubi vero fiebant cursu transverso dicebantur *parangariae*. In utrisque his si munus spectes personale, uti ducere iumenta, plaustra, aliaque vehicula, ab eo sane quod sordidum censebatur, clerici prorsus, ac semper fuerunt immunes. At idem statui nequit de reali praestatione pecuniae, equorum, vel plaustrorum, ad quam clericorum, atque etiam ecclesiarum possessiones aliquando obligatae fuerunt, id quod etiam intelligas de instauratioue viarum, constructione pontium, aliisque extraordinariis, ac sordidis muneribus.

De reali clericorum immunitate, sive de exemptione a tributis

XXI. Ac primo ecclesiastica praedia, quibus potissimum Episcopi, ac clerici alebantur, ea sub Constantino ab tributis omnino fuisse exempta patet ex egregia eiusdem imperatoris lege (4) *praeter privatas res nostras, et Ecclesias catholicas, nemo ex nostra iussione praecipuis emolumentis familiaris iuvetur substantiae.* Atqui haec immunitas posteriorum imperatorum constitutionibus, vel revocata, vel duntaxat temperata videtur.

XXII. Fortasse sub Constantino, quum Ecclesiae reditus nonnisi tenues essent, illius bona, ac praedia a tributis generatim immunia fuere, quum vero deinceps Ecclesia possessionibus abundaret, tunc primum ad quaedam

(1) L. X. et XIII. cod. theod. tribut. in ipsis speciebus. — (2) Ibid. l. XV.
(3) Comm. cit. L. XV. — (4) L. I. cod. theod. de ann., et tribut.

duntaxat peculiaria tributa pensitanda legibus imperatoriis urgeri potuit. Iuvat hic varia tributorum genera distinguere, ac simul a quibusnam clericorum, et Ecclesiarum bona immunia fuerint, historici tantum partes agendo, indicare.

XXIII. Ac primo illud tributi genus occurrit, quod ab hominibus ratione agrorum, et possessionum suarum exigebatur, quodque in iure civili, et vetustis scriptoribus *inlatio canonica*, sive ordinaria, ut ab extraordinaria distingueretur, dici consuevit, aliquando etiam *capitatio terrena* nuncupatum est, ne confunderetur cum humana, sive censu capitum, de quo *supra* egimus. Atqui ab hoc tributi genere videntur non fuisse exempta: quum enim speciali principum favore ecclesiae thessalonicensis, alexandrina, et constantinopolitana immunes prodantur (1), profecto patet non commune omnium Ecclesiarum privilegium fuisse Quamobrem S. Ambrosius (2): *si tributum*, inquit, *petit imperator, non negamus, agri ecclesiastici solvunt tributum. . . solvimus, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei Deo. Tributum Caesaris est, non negamus.*

XXIV. Alterum erat tributi genus, quo novi milites, atque equi novi militares imperatori praestandi erant; hoc tributum *militum tyronum*, *et equorum canonicorum praebitio* dicebatur. Quum vero pecunia equorum loco pensitabatur, tunc eiusmodi tributum *aurum tyronicum*, *et stratioticum* dictum est. Ab eo clericos exemptos voluit Theodosius iunior (3).

XXV. Lege Constantii immunes quoque erant a vectigalibus pendendis ratione tenuis mercaturae (4). Tunc enim clericis duntaxat inferioribus fas erat ad victum sibi comparandum modestum quoddam industriae genus exercere. At vero quum nonnulli ex clericis hac immunitate ad avaritiam abuterentur, hinc eorum negotiatio ad certam pecuniae summam est redacta (5). Iam vero haec non de quaestuosa, sed de moderata tantum industria ad victum quaerendum clericis duntaxat inferioribus permissa intelligenda sunt, et quidem pro eo tempore, quo exigui Ecclesiae reditus ad danda universo clero honesta alimenta satis non erant. Quare Ecclesiae reditibus adauctis Valentinianus III. legem fecit, ut clerici nihil prorsus negotiationis exercerent, vel si vellent negotiari, scirent se iudicibus subditos clericorum privilegio non muniri.

XXVI. Immunes etiam fuerunt ab omnibus *superindictis*, sive *extraordinariis*, hoc est ab iis tributis, quae imperatores praeter ordinaria, et canonica, urgente quadam necessitate, inrogauda decernebant. Ita Constantius imperator (6) tum Honorius, et Theodosius iunior (7), quas leges postea Iustinianus firmavit (8).

XXVII. Ex eadem honorarii lege exempti quoque erant ab tributis ad viarum, ac pontium conservationem, et instaurationem conferendis: verum aliquot post annis legibus Theodosii iunioris (9), et Valentiniani III. (10)

(1) L. XXXIII. cod. theod. de annon., et tribut. — (2) Orat. contra Auxentium de tradendis basilicis.

(3) L. XXII. cod. theod. de tyronibus. — (4) L. VIII. cod. theod. de Episc., et cleric. — (5) Ibid. L. XI., et L. XV. lustrali conlat. — (6) Lib. VIII. cod. theod. de episc., et cleric. — (7) Ibid. L. IV. — (8) Nov. CXXXI. cap. V. — (9) Lib. III. cod. theodos. de itin. muniend. — (10) Novel. XXI. ad calcem cod. theod.

ea immunitas non modo clericis, verum et ipsis Ecclesiis adempta fuit. Lex theodosii ita se habet: *ad instructiones, reparationesque itinerum, pontiumque nullum genus hominum cessare oportet: domos etiam divinas, ac venerandas ecclesias tam laudabili titulo libenter adscribimus.*

XXVIII. Immunes etiam aliquando fuerunt ab tributis solvendis intuitu *angariarum*, et *parangariarum:* uti ex binis Constantii legibus (1), quas confirmarunt Theodosius M. (2), et Honorius (3). Verum an. 440. Theodosius iunior, et Valentianus III. suis legibus sanxere, neminem, neque possessiones, quae ad sacrosanctas Ecclesias pertinent, ab angariis, et parangariis imperatore iter faciente excusari (4). Id quod de tributo, haud vero de sordido munere praestando intelligas, uti supra n. XXII. notavimus.

XXIX. Tandem bona Ecclesiae immunia erant a tributo, quod *denarismus unciae*, sive *descriptio lucrativorum* adpellabat. Huic tributo obnoxia erant praedia illa, quae quis ex curialibus alii cuidam relinqueret. Is, in cuius manus eiusmodi bona pervenissent, non quidem ex caussa onerosa, puta ex emptione, sed ex titulo lucrativo, nimirum ex donatione vel testamento pro singulis iugis singulos denarios, sive uncias solvere quotannis debebat, ita ex binis Theodosii M. legibus (5) quod tributum postea Theodosius iunior et Valentinianus III. duplicarunt (6). Porro, ubi Ecclesiae donatione, vel testamento curialium bona adquirerentur, ab eiusmodi tributo binis Iustiniani legibus exempta erant (7). Num ante Iustinianum eadem immunitate fruita sint non constat.

XXX. Igitur bonorum Ecclesiae, et clericorum immunitas sex prioribus ecclesiae saeculis non semper eadem fuit, sed variam diversamque conditionem subiit, prout imperatores magis, minusve in Ecclesias, atque earum ministros, clericos indulgentes fuerunt.

XXXI. Iam vero duo constare videntur: primum Ecclesias, licet ab pluribus tributorum speciebus immunes, ratione tamen agrorum, et possessionum suarum ordinaria, et canonica tributa iam inde ab IV. exeunte saeculo ad usque Iustiniani tempora semper solvisse. Id tum ex modo dictis manifestum est, tum quoque ex binis Iustiniani legibus, nimirum *novella XXXV.*, qua decernit, *ut praedia in Ecclesias a laicis translata. iisdem oneribus, quibus iam antea subiiciebantur, sint obnoxia, et novel. XXXVII*, qua bona ab arianis ablata Ecclesiis africanis restitui quidem iubet, sed hac adiecta clausula, *ut tamen publicas pro iis pensiones conferant.*

XXXII. Alterum: bona clericorum patrimonialia ab ordinariis tributis exempta non fuisse. Et sane Constantinus imp. sic statuit (8): *de his sane clericis, qui praedia possident, sublimis auctoritas tua non solum eos aliena iuga nequaquam statuet excusare, sed etiam pro his, quae ipsi possident, eosdem ad pensitanda fiscalia perurgere.* Atque adeo eidem legi adiicitur, huiusmodi imperatoris decretum aequum visum fuisse episcopis, ac maxime iustitiae convenire.

(1) L. X., et XIV. cod. theod. de Episc., et clericis. — (2) Ibid. L. V. de extraord. — (3) Ibid. L. XL. de Episc., et cleric. — (4) L. XI. cod. de sacros. Eccles. — (5) L. CVII., et CXXIII. cod. theod. de decurion. —(6) Ibid. L. un. quemad. munera.

(7) L. XXII. C. de sacros. Eccl., et nov. CXXXI. cap. 5. — (8) L. XV. Cod. Theod. de Episc., et cleric.

XXXIII. Eodem VI. saeculo, quo realis Ecclesiarum, et clericorum immunitas ex imperatorum sanctionibus ita se habebant. Galliarum reges satis amplam Ecclesiis immunitatem concessere ac primo quidem Chlodoveus, tum postea Chlotarius, cuius constitutio (1) sic habet *agraria pascuaria, vel decimas porcorum Ecclesiae pro Fidei nostrae devotione concedimus ita ut actor, aut decimator in rebus Ecclesiae nullus accedat. Ecclesiae, vel clericis nullam requirant agentes publici functionem, qui avi, aut genitoris, aut germani nostri immunitatem meruerunt.*

XXXIV. Hanc immunitatem, qui secuti sunt galliarum reges non confirmarunt modo, verum et ampliaruut. Carulus M. unicuique Ecclesiae integrum *mansum* ab omni tributo immunem concessit. Mansus ecclesiasticus dicebatur ea agri portio, quae in dotem Ecclesiae adsignari solebat, vel presbytero Ecclesiae deservienti cum aliquot mancipiis. Ita Du-cange in voce *mansus*. Id confirmarunt Ludovicus Pius (2), et Carolus Calvus (3).

Eamdem immunitatem imperatores ad omnia praedia, et possessiones Ecclesiarum, et monasteriorum extendisse patet ex capitularibus (4). Iisdem tamen capitularibus (5) decernitur, ut si novae terrae ad Ecclesiam perveniant censui subiectae, tributa, quae inde solvebantur, omni modo persolvere pergant.

XXXV. Verum in regno neapolitano aliter se res habebant. VII. enim saeculo praedia ecclesiastica videntur non fuisse a tributis exempta. Namque Constantinus Pogonatus an 681. Agathoni papae iudulsit, ut de patrimoniis S. Petri extantibus in Sicilia, et Calabria nullum solveret tributum. Idem etiam pro patrimoniis extantibus in Lucania, et apud brutios romanae sedi indulsit Iustinianus Rinothmetus. Profecto hae speciali privilegio indultae immunitates indicant reliqua praedia non fuisse a tributis exempta.

XXXVI. Concilia ecclesiae quod spectat, immunitas a Chlodoveo Ecclesiis tributa refertur in synodo aurelianensi I. ann. 511 (6). Tum exemptio *mansi* ecclesiastici firmata reperitur in synodis meldensi an. 845., Wormatiensi an. 868., et trosleiana ann. 924 synodus quoque valentina III. an. 855. constituit, *ne de dotibus Ecclesiarum ullus census a saecularibus exigatur.* Tum concilia, et Episcopi IX, et X. saeculo in id potissimum incubuerunt, ut unicuique ecclesiae integer *mansus* immunis a tributis adsignaretur, et conservaretur. Unde non abs re colligitur bona clericorum patrimonialia exempta a tributis non fuisse; praesertim quum in canone wormatiensi, relato in *cap. 1. de censibus* statim subnectatur: *si quid aliquid amplius habuerunt, inde senioribus debitum servitium impendant.*

XXXVII. Verum concilia lateranensia sub Alexandro III., et Innocentio III. bona Ecclesiarum, et clericorum prorsus a tributis immunia sanxere. Quod de patrimonialibus etiam clericorum bonis intellexisse inde evincitur, quod hoc sensu illam immunitatem acceperunt concilia per ea tempora celebrata uti narbonense, tolosanum, colonieuse etc., et pro regno neapolitano melphitanum sub Urbano II. an. 1089 (7). Id quod ratum quidem habuerunt principes nostri Carolus II. (8), et Ferdinandus Arago-

(1) Tom. V. concil. edit. labbean. — (2) Lib. I. capitul. cap. 85. — (3) Capitul. tit. 87. cap. II. — (4) Lib. V. cap. 229., et lib. VI. cap. 109. — (5) Lib. IV. cap. 37. — (6) Can. V. — (7) Can. II. — (8) In Capit. XCVIII.

nius (1): at quibusdam adiectis conditionibus; et quidem Carolus II. eam immunitatem tantummodo de bonis ad clericos legitime spectantibus intelligendam voluit, et Ferdinandus aragonius a clericis tributa exigi iussit de bonis, quae per contractus adquisierint.

XXXVIII. Denique hac de re actum est in novissimo concordato ann. 1741., quo *cap. I.* decernitur, ut bona ecclesiarum, aeque ac laicalia in censum, sive *catastum* referantur, at ecclesiae tantummodo medietatem quantitatis, quam laici solvunt, conferant: tum pro bonis, quae ecclesiis in posterum adquirantur, integra exigatur pensio, exceptis bonis ecclesiarum parochialium, hospitalium, seminariorum, et sacris clericorum patrimoniis, quae summam ducatorum quadraginta non excedant, modo clericus ad titulum beneficii non sit ordinatus.

XXXIX. Praeterea episcopis conceditur exemptio a vectigali farinae pro quantitate taxanda a Nuntio apostolico, habita ratione familiarium, et eleemosynarum panis, quas distribuere solent clericis pro sex farinae modiis, regularibus, sanctimonialibus, et seminariorum alumnis pro quinque, caeterarum vero specierum exemptiones clericis adhuc constant, prout moris erat ante concordatum. Porro haec realis immunitas nonnisi iis clericis impertita est, qui sacro subdiaconatus ordine iam fuerint insigniti. Adhaec neque immunitate a vectigalibus ii clerici uti possunt, qui licet iam subdiaconi, tamen extra propriam patriam, vel extra locum domicilii, aut beneficii vitam ducunt. Ubi vero alicuius Ecclesiae, scholae, aut loci pii ministerio fuerint addicti, bene ea immunitate fruentur, et quidem in loco, ubi ministerio funguntur. Postremo exemptiones, quibus fruebantur Archiepiscopus, clerus saecularis, et seminarium urbanum neapolitanum nihil per concordatum immutatae sunt, quin potius firmatae (2).

Subsidia voluntaria

XL. Liberum est ecclesiasticis de bonis Ecclesiae, et beneficiorum voluntaria principi subsidia ob reipublicae necessitates offerre. Huius rei nonnulla occurrunt exempla saeculo VIII., et IX. Ac praecipue ex synodo vernensi an. 755 (3), et ex capitulari Ludovici Pii an 817. constat, eo tempore usum invaluisse, ut monasteria singulis annis dona quaedam, ac munera regi offerrent, quae quidem primum voluntaria, dein in quamdam necessitatem abiere. In synodo prope theodonis villam habita, consentientibus gloriosis principibus Lothario, Ludovico, et Carolo sancitum est ex una parte quidem, ne principes pro exigendis subsidiis res ecclesiae invadant: ex altera vero, ut quisque ecclesiasticus *iuxta quantitatem rerum ecclesiae sibi commissae subsidia, quibus respublica indiget, prompte, et ex animo paret, et impigre studeat offerre.*

(1) Prag. III.
(2) Conventione novissima habita anno 1818 art. XVI. cautum quod » ecclesiastici propter luctuosas temporum circumstantias publica onera regia, et civitatis » solvere tenentur. Rex vero noster pientissimus in eodem articulo pollicetur quod, » si Status conditio per feliciora tempora prosperior evaserit, tunc ipse largitionibus clero opitulabitur. — (3) Can. VI.

XLI. Tum concilium lateranense sub Alexandro III. (1) sub anathemate quidem prohibet collectis, et exactionibus res, et personas ecclesiasticas gravari: at statim subiungit, *nisi Episcopus, et Clerus tantam necessitatem, vel utilitatem adspexerint, ut absque ulla exactione ad relevandas communes utilitates, vel necessitates, ubi non suppetunt facultates laicorum subsidia per Ecclesias existiment conferenda*.

XLII. Ne vero clerici facilius, quam oporteat ea subsidia decernant, consulendum romanum Pontificem Innocentius III. (2), et Bonifacius VIII (3) sedis apostolicae veniam omnino requirendam sanxere sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, ac S. Sedi reservata. Unde orta sunt dissidia inter eumdem Bonifacium, et Philippum Pulchrum galliarum regem (4). Quam tamen constitutionem Benedictus XI. pertinere voluit ad exigentes a clericis, non ad recipientes a sponte offerentibus. Eamdem demum Clemens V. prorsus abolevit (5). Pro regno neapolitano ius obtinet, ut Romanus Pontifex petente rege subsidia conferenda decernat. Quo pacto anno 1743. Benedicto XIV. decernente a clericis beneficiariis regni neapolitani Carolo Borbonio subsidia collata sunt pro gravissimis impensis factis ad avertendam pestem messanensem a regno neapolitano.

TITULUS IX.

DE SUMMO PONTIFICE

I. Inter plures, variosque ecclesiasticae hierarchiae gradus principem habet locum Romanus Pontifex, quippe qui in universa Ecclesia primatum non humani, at divini iuris habet, et caput est totius ecclesiae. Tum primatus hic non modo honoris, et dignitatis, verum et potestatis auctoritatisque est. Qua de re pluribus, iisdemque honorificis titulis prae reliquis orbis christiani Episcopis in Ecclesia perpetuo, ac universali more decorari consuevit, et quidem iure meritoque, quum Petrus, cui Romanus succedit Pontifex ab ipso Christo Domino praecellentem supra caeteros potestatem, auctoritatemque acceperit, et primarium Ecclesiae fundamentum fuerit constitutus, commutato etiam nomine, nimirum, ut illo Simonis abiecto, dein syriace כאפא *Chipho*, graece *πετρος* latine *petra*, sive *Petrus* nuncuparetur.

II. Igitur R. Pontifex passim in veteri Ecclesia ab antiquis Patribus, et conciliis meritissimo iure adpellatus est *Pater Patrum*, *apostolicum culmen*, *petra*, *et fundamentum Ecclesiae*, *apex totius episcopatus*, *Pontifex christianorum*, *summus sacerdos*, *Ecclesiae universalis Antistes*, *summus omnium Praesidum Pontifex*, *Ecclesiae caput*, *Christi Vicarius*, *Christi ovilis Pastor*, *Christi vineae Custos*, *caput omnium Episcoporum*, *caput unitatis*, *potissimus sacerdos*, *caput omnium Domini sacerdotum* etc.

(1) Cap. IV. de immunitate.
(2) Ibid. cap. VII. — (3) Cap. III. eodem in VI. — (4) Videsis Natal. Alex. dissert. VIII. in saeculum XIII., et XIV. — (5) Clementina unica de immunitat. Ecclesias.

III. Tum R. Ecclesia utpote S. Petri, eiusque successorum sedes, ipsa quoque *Ecclesia principalis* nominata est: *Petri Cathedra*, *unitatis ecclesiasticae centrum*, *Ecclesia, unde unitas sacerdotalis exorta est* etc.

IV. De nomine *Papae*, quo S. Pontifex pluribus abhinc saeculis communi loquendi usu distinguitur, hic pauca dare iuvat. Etymon si quaeras, quidam conflatum putant ex notis *pa pa*, quae significant *Patrem Patrum*, quo nomine R. Pontifex crebro distinguitur in antiquis monumentis. At vero Vossio, aliisque ductum placet a graeco πaπas, vel πaππaς, qua voce blandientes, vel balbutiantes pueruli parentes suos compellare solebant, uti pluribus demonstrant lexicographi, ac praesertim ex Philemone Comico apud Athenaeum (1), ubi legitur: Χαιρε παππα φιλτατε, et ex Homero (2), ubi puerula sic patrem compellat: παππα φιλε.

V. Hoc nomen antiquitus clericis omnibus commune erat, uti ostendit Walfridus Strabo (3): dein vero solis tributum est Episcopis. Et sane in antiquis ecclesiasticis monumentis tributum reperitur Cypriano, Athanasio, Augustino, aliisque Episcopis. Sed reverentiae caussa peculiariter iunior Episcopus seniorem sic vocabat: quaemadmodum ex *can. LIV. synodi carthaginensis* probat Iosephus Scaligerus (4). Denique saeculo XI. constitutione S Gregorii P. in synodo romana an. 1072. sancitum fuit nulli in toto orbe licere sive se, sive alium, praeter R. Pontificem, Papam nuncupare. Videsis Benedictum XIV. (5), et card. Baronium (6).

VI. R. Pontificis supra omnes christiani orbis etiam patriarchales Ecclesias primatum argumentis tum e sacro Codice, tum ex antiqua ecclesiastica traditione depromptis fuse demonstrant theologi in tractatu *de locis theologicis*, ubi quoque de eiusdem R. Pontificis ασφαλεια sermo habetur. Nos pro instituti nostri ratione tantummodo ex eo R. Pontificis primatum demonstrabimus, quod iam inde ab aevo apostolico potestatem in universa Ecclesia exercuerit.

VII. Ac 1. quidem sese divinus primatus exeruit canones condendo, canones exequendo, ad canones cogendo reliquos in episcopatu fratres.

2. Sese latius explicuit nutantes in Fide confirmando, devios ad Fidem revocando, pertinaces a Fidei communione segregando.

3. Sese luculentius protulit unitatem commendando, ad unitatem cogendo, unitatem vindicando: unitatis enim, ut centrum est R. Ecclesia, ita tutor et vindex est R. Pontifex.

VIII. Tria haec capita petitis undequaque ex antiquitate monumentis explicare hic, et adstruere nostri instituti ratio non sinit; id quod, Deo dante, *in nostris antiquitatibus christianis* praestabimus. Tantummodo iuvat paucis indicare tres praecipuas Sedis Apostolicae praerogativas ex constitutis illis capitibus tamquam ex iactis fundamentis, exurgentes: nimirum I. Ad Romanam Sedem oppressorum omnium ex universo orbe perfugium, ac recursus. II. Romanae Sedis in dubiis sive doctrinae, sive disciplinae communis gravioribus consultatio. III. Ad Romanam Sedem graviorum caussarum sive post, sive etiam ante in Provinciis iudicium re-

(1) Lib. VIII. — (2) Odyss. lib. VI.
(3) De rebus eccles. cap. VII. — (4) Elencho trihaeres serrarii. — (5) De syn. dioeces. lib. I. cap. III. — (6) In notis ad martyrol. ad diem. X. Januar.

latio: nihilque finitum in quaque Ecclesia unquam creditum, nisi calculus R. Pontificis accessisset.

IX. Ac primo ex universo christiano orbe ad Sedem Romanam confugere, qui se gravatos putabant, consuevere. Saeculo II. Marcion ab Episcopo suo excommunicatus ad Pium I. Romam contendit, ut absolutionem obtineret (1).

Saeculo III. Fortunatus, et Felix a Cypriano communione privati ad Cornelium Papam provocarunt (2). Nec ita multo post, Stephano Romanam Sedem habente Basilides in Hispania depositus ad Stephanum supplex accessit (3). Dionysius Alexandrinus apud Dionysium Romanum accusatus in synodo, quae tunc Romae habebatur, litteras apologeticas pro sua *ὀρθοδοξία orthodoxia* conscriptas ad eumdem Romanum Pontificem dirigendas curavit (4).

Saeculo IV. Melchiades ius dixit in caussa Caeciliani, qui a septuaginta Episcopis Numidiae damnatus iam fuerat (5): Athanasius Alexandrinus, et Marcellus ancyranus, ab orientalibus depositi ad Iulium I. sese receperunt, ut restituerentur, a quo in communionem recepti sunt (6). Dein paucis post annis concilium sardicense Episcopis permisit, ut in synodis provinciae depositi ad Romanam Sedem appellare possent, tum subdit: *alter Episcopus in eius cathedra post adpellationem eius, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi caussa fuerit in iudicio Episcopi Romani determinata.* Tum eodem saeculo Eustathius sebastenus ab arianorum factione vexatus Romam confugit ad Liberium, *a quo litteras obtinuit, per quas restitueretur*, ut ait S. Basilius (7): Paullinus Episcopus antiochenus ab orientalibus reiectus, de horum iudicio apud Damasum Papam conquestus est (8) Ad Innocentium I. recurrit Chrysostomus, uti ex *binis eius epistolis* ad Innocentium. Ad ipsum quoque Innocentium confugerunt Bubalius, et Taurianus in synodo Illyriciana damnati (9).

Saeculo V. Coelestinus pelagianus in synodo carthaginiensi ann. 412. *damnatus ab africanorum sententia ad Romani Episcopi examen adpellandum esse credidit* (10). Apiarius praesbyter ab Urbano Episcopo primum damnatus, dein et ab synodo Africana ad Romanos Pontifices Zosimum, et Coelestinum sese recepit, a quibus benigne exceptus est. At de Apiarii controversia opportunior redibit sermo lib. III. tit. XIV. Ad ipsum Zosimum Proculi marsiliensis Episcopi caussa delata est, et quidem instante, ipso arelatensi metropolita Patroclo, uti ex *binis eiusdem Zosimi epistolis* liquet. Valentinae civitatis clerici suum episcopum Maximum apud Bonifacium R. Pontificem accusarunt, proponentes per libellum crimina, quae Maximum, teste tota provincia, adferebant commisisse (11). Celidonius Episcopus gallicanus in synodo arelatensi reiectus urbem Romam ad Leonem contendit, ibique conquestus est se iniusto rigore damnatum (12) Eutyches a Flaviano in synodo constantinopolitana damnatus ad S. Leonem

(1) Epiphanius haeresi XLII. — (2) Cyprianus. lib. I. epist. III. — (3) Cyprianus ibid. epist. IV. — (4) S. Athanasius lib. de sent. Dionysii.

(5) Eusebius lib. X. cap. 5 — (6) Sozomenus lib. III. cap. 2. — (7) Epist. LXXIII. — (8) Basilius epist. 349. — (9) Innocentius epist. VI. — (10) Marius mercator in commonitorio cap. 1. — (11) Bonifacius epist. II. — (12) S. Leo epist. X.

recurrit (1). Flavianus ipse in latrocinio ephesino iniqua sententia depositus legatis Romanae Sedis adpellationis libellum obtulit, quo se adversus synodalem sententiam ad S. Leonem provocare declaravit (2). Ad eumdem Leonem adpellavit quoque Theodoretus, a quo restitutus est, unde legimus (3): *ingrediatur, et reverendissimus Episcopus Theodoretus, ut sit particeps synodi, quia restituit ei episcopatum ss. Archiepiscopus Leo*. Porro in his, aliisque sexcentis, quae adferri possent, antiquitatis ecclesiasticae monumentis, quis non videt singularem Sedis Apostolicae praerogativam? scilicet, ut ex universo christiano orbe ad Sedem Apostolicam confugerent, qui se gravatos in provinciis putarent.

X. Alterum quod spectat 1. Hieronymus (4) diserte scribit se apud Damasum ad respondendum synodicis consultationibus, quae ex Oriente, et Occidente ad R. Sedem mittebantur, operam navasse. Ipse Heronymus in quaestione, num una in Deo, an tres dicendae sint hypostases, aperte fatetur se tres hypostases dicturum, si Damasus dici iubeat. Cyrillus Alexandrinus, dum Nestorium ad saniorem mentem crebrioribus litteris frustra revocare experitur, rem omnem ad Coelestinum ex more Ecclesiarum refert: *longa Ecclesiarum consuetudo suadet, ut eiusmodi res sanctitati tuae communicentur*. Tum Coelestinus Nestorium haereseos auctorem sacerdotio privat, et Cyrillo dat in mandatis, ut R. Sedis auctoritate adscita sententiam istam exequatur, et constantinopolitanae Ecclesiae prospiciat. Hoc Coelestini iudicium in synodo ephesina probatum est. In Nestorium enim damnationis sententiam dum proferunt, ad id coactos se Patres fatentur, et a sacris canonibus, et ab epistola sanctissimi Episcopi Coelestini: *αναγκαιως κατεπειχθεντες απο τε των κανονων, και εκ της επιστολης τε αγιωτα του πατρος ημων*. Quare legitime, et ex ordine loquitur Iustinianus, dum scribit, omnia, quae ad unitatem, et statum Ecclesiae spectant, *referri a se beatitudinem Papae veteris Romae, eo quod sit caput omnium sanctissimorum Dei sacerdotum* (5). Hactenus de Oriente: pauca subnectere liceat de Occidente.

XI. Ac primo damnata haeresi Pelagiana synodo milevitana, et carthaginensi ad Innocentium I. retulerunt, ut synodicae definitioni *Apostolicae Sedis adhiberetur auctoritas* (6). Qua de re Augustinus (7) de verbis Apostoli: *iam de hac re duo concilia ad Romanam Sedem transmissa sunt, inde rescripta venerunt, lis finita est*. Innocentius I. (8) pluribus ostendit antiquam esse consuetudinem, ut in rebus dubiis, praesertim si de fide agatur, ex omnibus provinciis ad Romanam Sedem referatur; *praesertim quoties Fidei ratio ventilatur arbitror omnes fratres, et coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum.... referre debere, velut nunc retulit dilectio vestra, quod per totum mundum prosit Ecclesiis omnibus*. Iam vero etiam ante Innocentium, quum Himerius tarragonensis Episcopus Siricium de quibusdam communis dubiae disciplinae capitibus consuluisset, consultationi Himerii respondens Siricius sic loquitur: *Ad Romanam Ecclesiam*

(1) S. Leo epist. XX. ad Flavianum. (2) Epist. S. Leonis XXXIX. et XL. (3) Act. II. conc. chalced.—(4) Epist. ad Ageruchiam.
(5) L. VII. cod. de sum. Trinit. —(6) Epist. conc. milev. ad Innoc. I. —(7) Ser. II. — (8) Epist. ad syn. milev.

utpote ad caput tui corporis retulisti. Porro non est, cur hic longius immoremur. Videsis Natalem Alexandrum (1).

XII. Tertio denique graviores caussas sive post, sive etiam ante episcopale in provinciis iudicium, R. Sedi deferri consuevisse pluribus demonstratur. Ac 1. uti observabimus *tit. XX. n. XVII.* in extraordinariis quibusdam, et inusitatis casibus ad R. Pontificem devolvebatur ius electionis, et confirmationis quorundam Episcoporum etiam orientalium. Unde S. Leo M. Maximum in episcopatu antiocheno (2): et Anatolium in episcopatu constantinopolitano confirmavit (3). Tum S. Gregorius M. passim in suis epistolis indicat se mittere pallium, quod est archiepiscopatus insigne, ad varios Metropolitas Graeciae, Galliae, Hispaniae etc.

XIII. De Episcoporum depositione antiquiora, et perspicuiora habemus monumenta, quibus constat, R. Pontifices saepe rogatos, ut Episcoporum depositionem in synodis ferendam iuxta canones vel curarent, vel urgerent pro sua ipsorum auctoritate. S. Cyprianus rogat Stephanum Pontificem, ut *ad plebem Arelate consistentem litteras dirigat, quibus abstento Marciano, alius in locum eius substituatur* (4). Tum Nicolaus I, octo recenset Patriarchas a Romanis Pontificibus depositos. Praeterea Dioscorsus Alexandrinae Sedis Episcopus in oecumenica synodo auctoritate praecipue Sedis Apostolicae depositus est (5). Flavianus patriarcha antiochenus a Damaso Pontifice depositus est (6). Praeterea concilia generalia convocare, iisdem vel per se, vel per suos legatos praesidere, eorumque decreta confirmare; adhaec in disciplinae communis praeceptis ex urgentibus caussis dispensare, et canones in casibus particularibus ratione boni communis relaxare, semper R. Pontificis iura fuere. Haec profecto ex antiquissimis ecclesiasticis monumentis perspicua sunt, quam quae maxime; at quonam iure, nisi primatus, tantam in omnes orbis christiani Ecclesias potestatem R. Pontifex exercuisse dicendus est?

XIV. Accessit his, quod iure decretalium R. Sedi reservata manserint, I. Indulgentias plenarias elargiri. II. Breviarium, ac Missale corrigere, ac mutare. III. Servos Dei, qui mortem obiere, in sanctorum canonem referre. IV. Ordines regulares, eorumque regulas adprobare. V. Cathedrales Ecclesias erigere, supprimere, unire, easque vel maiori dignitate ornare, vel suis praerogativis expoliare. VI. Episcopos eligere, et confirmare iis exceptis episcopatibus, quorum electiones ex concordatis, uti suo loco dicemus, vel ad Cathedralium Capitula, vel ad reges pertineant. VII. Inferiores Ecclesiarum titulos, et beneficia in nonnullis casibus Sedi Apostolicae reservare VIII. Enormia, et atrocia crimina absolvenda sibi unice adscribere. IX. Celebriora quaedam vota relaxandi facultatem sibi tantummodo vindicare uti reapse Romano Pontifici reservata sunt quinque vota, scilicet castitatis perpetuae, ingrediendi Religionem adprobatam, et peregrinationis in Ierusalem, ad limina Apostolorum, et ad S. Iacobum in Compostella. Porro de R. Pontifice, eiusque in universalem Ecclesiam primatu, iuribus, praerogativis etc. fusius in nostris *antiquitatibus christianis*.

(1) Dissert. IV. in hist. eccles. saec. I. — (2) Concil. chalced. act. IV. — (3) Epist. S. Leonis ad Marcianum. — (4) Lib. III epist. XIII. ad Stephanum Pont. (5) Conc. Chalced. act. II., et Gelasius P. epist. ad Episcopos Dardaniae — (6) Teodoretus Lib. V. cap. 23.

ADDITAMENTA

DE ROMANI PONTIFICIS IN UNIVERSAM ECCLESIAM PRIMATU

I. Quum heterodoxi per omnes ferme aetates conatus suos in illud potissimum contulerint, ut Romanum Pontificem Christi Vicarium, et Petri Successorem e iurisdictionis primatu deturbarent, quo nimirum divino iure in universum dominicum gregem gaudet, e re nostra duximus gravissimis doctrinis, quas auctor in medium protulit, Scripturae, et Patrum testimonia nonnulla attexere, quibus dogma istud luculentissime adstruitur.

II. Et principio sacrae Litterae testantur Servatorem nostrum Apostolos interrogasse illis effatis (1): *vos autem quem me esse dicitis?* Tunc Petrus statim Fidei confessionem primus emittens exclamavit (2): *tu es Christus Filius Dei vivi*. Hinc Sacerdos aeternus catholicae Ecclesiae *petra* angularis, quippe qui eam regit, singulari illum beneficio prosequutus, inquit (3). *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Unde Christus suum petrae nomen cum suprema vicariae potestatis plenitudine Apostolorum Principi impertivit.

III. Illud autem animadvertendum praestat quod nemini Deus nomen dedit, quin aliquam dignitatem, auctoritatemque revera contulerit, ut ex Abrahami, Israelis, Ioannis nominibus a Deo inditis facili negotio colligitur. Quare ubi Christus Simoni dixit: *tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus* (4), et postea *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam* (5), non ventosam aliquam nominationem, sed respondentem nomini dignitatem, auctoritatemque ipsi contulit.

IV. Huc etiam refertur illud Isaiae, qui in spiritu Episcopos alloquens diserte praedixit Principem Apostolorum primarium fore Ecclesiae fundamentum (6): *attendite ad petram, unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua praecisi estis:* et Ioannes aperiens quaenam sint fundamenta civitatis Sion inquit (7): *et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum agni:* deindeprimo loco Petrum designat sub nomine *iaspidis*, uti interpretantur Ecclesiae Patres. Quamobrem plane colligitur in Ecclesiae fundamentis, nempe inter Apostolos, lapidem καθεξοχὴν esse, super quo fuit a Christo Ecclesia constabilita, quum dixit: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.*

V. His adde quod Servator noster Petro soli plenissimam, et supremam, clavium potestatem commisit dicens: *tibi dabo claves regni coelorum* (8): deinde Petrum ipsum ter interrogavit, num eum diligeret, *Simon Petre diligis me?* et profecto, ut docet Chrysostomus, ratione primatus, quem

(1) Matth. cap. XVI. v. 5. — (2) Ibidem. — (3). Ibidem. v. 16.
(4) Matth. cit. loco. — (5) Matth. ibidem. — (6) Cap. LI. v. 1. (7) Apocal. cap. XXI. v. 14. — (8) Matth. ibidem.

ipsi commissurus erat in universam Ecclesiam, pro qua sacrificium obtulit: *cur sanguinem effudit? ut emeret oves, quas Petro, et successoribus eius tradidit* (1). Tum Petro universum commisit gregem prae caeteris Apostolis, inquiens: *pasce agnos, pasce oves*, idest rege et fideles, et Episcopos, qui veluti matres sunt fidelium, quos per Evangelium gignunt, et parturiunt. Tandem Petro soli dixit eum speciatim futurum esse universalis Ecclesiae magistrum, et orthodoxae Fidei doctrinam tum filiis, tum fratribus traditurum: *Simon, Simon... rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (2): At quaeso, quid innuunt isthaec Christi verba? Ex ipsis scilicet illud duntaxat colligi datur Petrum in universum gregem primatum et honoris, et iurisdictionis habuisse.

VI. Nec minoris roboris illud testimonium videtur, quod exhibent Evangelistae, qui Apostolorum nomina promiscue, et indiscriminatim recensent, solum Petrum vero, vel primo loco nominant, vel primum appellant. Et sane legimus apud Matth. (3): *duodecim Apostolorum nomina haec sunt.., primus Simon, qui dicitur Petrus*: quod ipsum apertissime testantur etiam alii Evangelistae (4). At constans isthaec Evangelistarum consuetudo Petrum primum, vel primo loco nominandi ex primatu a Christo illi concesso dumtaxat est repetenda. Enimvero Petrus dici nequit *primus* ratione aetatis, quum *Andream* teste Epiphanio (5) natu maiorem fuisse constet: *Andreas prior in Domino incidit, quo Petrus erat aetate iunior*. Non *primus* vocatione ad apostolatum, cum sat manifeste prodant sacrae Litterae *Andream* fuisse prius a Christo vocatum: non *primus* propter virtutum splendorem, quo caeteris Apostolis praecellebat, quia non latebat Evangelistas Ioannem virginitatis candore Petro antecellere, eumque a Domino ita diligi, ut *discipulus* diceretur, *quem diligebat Iesus* (6), necnon Iacobum minorem ea sanctitate esse praestantem, ut *iustus* ab omnibus appellaretur. Quamobrem Evangelistae satis evidenter Petri primatum supra caeteros Apostolos adstruere videntur, quum singuli ipsum constanter primum nominent, vel primo loco appellent. Huc accedit quod Petrus fuit *primus* in verbi Dei obeundo ministerio, *primus* in administratione Baptismi, *primus* in prodigiis patrandis, *primus* in agnoscenda gentium vocatione, *primus* in ferendis sententiis, etc. Quare primus fuit, nempe Princeps Apostolorum, Caput Ecclesiae propter primatum et honoris, et iurisdictionis sibi a Christo creditum in gregem per universum orbem dispersum.

VII. Iam vero plenissimae iurisdictionis actus Petrum exercuisse in Scripturis compertissimum est. Et sane in eligendo Apostolo in locum Iudae proditoris, ut Apostolorum Princeps concilium indixit, in eoque praesedit, de necessitate huiusce electionis disserens: deinde in medio fratrum duas prophetias primus aperuit, quae Iudam respiciebant illis verbis: *fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea* (7): *et episcopatum eius accipiat alter* (8), hinc Matthiae electionem Deo inspirante curavit. Tum ut sedaret Graecos, qui querebantur adversus hebraeos, eo quod dispicerentur

(1) Lib. II. de sacerd. — (2) Luc. cap. XXII. v. 31. — (3) Matth. cap. X. — (4) Marc. cap. 3. v. 16.: Luc. cap. 1. v. 14; et act. cap. IV. 15. — (5) Haeres. LI. n. 15.

(6) Ioann. cap. XXI. v. 7.—(7) Act. Apost. cap. I. v. 20.—(8) Psal. CVIII. v. 7.

eorum viduae in ministeriu quotidiano, synodum indixit, in qua statuit: *aequum non esse ipsos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis* (1), atque ad illud opus, et praecipue ad sacrum ministerium obeundum diaconorum institutionem decrevit (2). Deuique exorta Antiochiae gravissima controversia, an Baptismo renatos oporteret circumcidere, aliasque mosaycae legis servare coeremonias, eaque ad Apostolos delata, Petrus ipse concilium indixit, in eo praesedit, et prior sententiam tulit, apostolicis suffragiis decernens *non inquietare eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum ad ferendum legis mosaycae iugum sed scribere ad eos, ut abstinerent se a contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis et sanguine* (3). Quamobrem isthaec omuia ab Apostolorum Principe peracta, nemine reclamante, caeterisque Apostolis consentientibus, totidem fuisse specialis iurisdictionis actus ratione primatus, quem a Christo ille habuit supra caeteros Apostolos nemo non videt.

VIII. Huc accedit gravissima Ecclesiae Patrum auctoritas, qui unanimi consensu B. Petri primatum non honoris tantum, sed etiam iurisdictionis fuisse aperte testantur. Origenes enim *Petrum, dixit, inter Apostolos primum locum obtinere, magnumque esse Ecclesiae fundamentum* (4), cuius verbis respondent illa Basilii (5): *beatus ille Petrus*, inquit *omnibus discipulis praefuit, cui soli maiora data sunt, quam aliis*. Consonat Epiphanius: *initium est a Petro factum*, inquit, *quare* (Christus) *Petrum Apostolorum Principem elegit* (6). *De toto mundo*, prosequitur S. Leo (7), *unus Petrus eligitur, qui omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur*. At ne diutius in hac re immorer: haec est omnium Ecclesiae Patrum doctrina, qui certatim luculentissimis testimoniis B. Petri primatum adstruunt.

IX. Quae vero hactenus dicta sunt, non solum B. Petri primatum respiciunt, sed etiam legitimos ipsius Successores, qui ad eamdem Romanam Cathedram, eodemque iure suffultam sunt evecti. Revera Petri primatus a Christo constitutus fuit ad Ecclesiae unitatem, et utilitatem, ad tuendam scilicet Fidei, et morum integritatem: hinc non fuit personalis, sed realis, et perpetuus, ideoque ex divina institutione ad Romanum Pontificem Petri Successorem transmissus. Praeterea Petrus, uti ostendimus, a Christo electus fuit caput, et fundamentum Ecclesiae. Ipse autem in huiusmodi auctoritate perpetuo consistere non potuit, quia morte prohibebatur permanere: quam mortem etiam Christus ei praedixit. At Ecclesia utpote *indefectibilis* usque ad consummationem saeculi erat duratura. Idcirco ne Ecclesiae semper viventi caput, et fundamentum esset homo iam mortuus, oportuit designare illum, qui Petro obeunti sufficeretur, seu quod perinde est, Petri Successorem. Id autem magis necessarium erat post Apostolorum mortem, quam illis viventibus, quia hi Spiritu sancto repleti poterant totam Ecclesiam feliciter administrare. Quod si etiam ipsis viventibus voluit Christus, uti probavimus, Petrum Apostolorum omnium Principem statuere, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio: mul-

(1) Act. cap. VI. — (2) Ibidem. — (3) Act. cap XV. — (4) Homil. XXXII. in Ioan. n. 5. — (5) Serm. de iudicio Dei n. 7. — (6) Haeres. 41 n. 17.
(7) Serm. III. de assumpt. sua ad pontif. cap. 2.

to magis in eadem auctoritate par erat Petri Successorem collocare, quia lapsu temporis Episcopi per universum orbem Ecclesiam regentes, capite, duce, ac magistro magis magisque indigebant. Ita unitas, qua ipsa maxime effulget, servatur in unitate capitis, non solum invisibilis, nempe ipsius Christi, sed etiam visibilis, scilicet Romani Pontificis, qui est eiusdem Ecclesiae Princeps.

X. Quamquam vero in Petri Successore primatus iure divino ita effulgeat, ut eadem amplissima dignitate, qua ille adauctus fuit, suus haeres perfruatur, ipsa tamen successionis determinatio ab apostolico iure, scilicet ipsius Petri voluntate ortum ducit (1). Profecto ex facto Petri, non ex Christi praecepto, quoad scimus, prae caeteris Ecclesiis, quas ipse Petrus fundavit, romanam elegit, quam constituit, et ad supremum usque diem administravit, et rexit. Quare egregie Bellarminus (2): « successio ipsa ex » Christi instituto, et iure divino est, quia Christus ipse instituit in Petro pon» tificatum duraturum usque ad finem mundi, et proinde quicumque Petro » succedit, a Christo accipit pontificatum. Atvero quod Episcopus Romanus, » quia Episcopus Romanus est, sit Petri successor, ex facto Petri ortum » habuit, non ex prima Christi institutione. Nam potuisset Petrus manere » Antiochiae, et tunc Antiochenus sine dubio successisset: quia vero Romae » sedem fixit, et tenuit usque ad mortem, inde factum est, ut Romanus » Pontifex ei succedit. »

XI. Profecto Romanum Pontificem legitimum esse Petri Successorem, necnon ipsam Romanam Sedem, cui praefuit, primatu in universam Ecclesiam potiri, tota antiquitas agnovit, illis etiam saeculis, quibus purissimam fuisse orthodoxae fidei doctrinam ultro fatentur protestantes. Quare non abs re erit nonnulla heic Patrum testimonia adtexere. Et sane Cyprianus episcopalis potestatis strenuus defensor, Fabianum Pontificem, tamquam Petri Successorem his verbis agnovit (3): *factus est*, *inquit*, *Cornelius Episcopus cum Fabiani locus*, *idest cum locus Petri*, *et gradus Cathedrae sacerdotalis vacaret*. Consonat Hieronymus (4): *cum Piscatoris Successore loquor... Cathedrae Petri communione consocior*. Eodem pertinet Augustini testimonium luculentissimum, qui scilicet Pontificum nomina usque ad Anastasium recensendo, inquit (5) *Petro successit Linus*, *Lino Clemens*, *Clementi Anacletus.. Siricio Anastasius*, *qui nunc super eamdem* (*Petri*) *cathedram sedet*. His adde caeteros Ecclesiae Patres, quorum doctrinam heic adferre haud patitur instituti ratio: qui omnes sat manifeste id ipsum constanter profitentur.

XII. Cum vero eumdem primatum habeat Romanus Pontifex Petri Successor, ac Ecclesia Romana, cui ipse praeest, hinc ipsam Ecclesiam exquisitis praeconiis patres uno ore celebrarunt. Etsiquidem Irenaeus fideles docet per universum orbem de rebus Fidei, et morum cum Ecclesia Romana convenire, tamquam membra cum capite, quippe quod primatus iure Ecclesiis omnibus praeest (6): ad *Ecclesiam*, inquit, *propter potiorem princi-*

(1) Bened. XIV lib. II. de syn. dioeces. cap. I. §. 1. — (2) Lib. II. de Rom. Pontif. cap. XII. — (3) Epist. LII. ad Antonianum. edit. Baluz. pag. 68. — (4) Epist. XIV. ad Damasum tom. 4. 2. part. p. 19. — (5) Epist. LIII. n. 2; et 3. — (6) Lib. III. cap. 3. n. 2.

palitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est omnes, qui sunt undique fideles. Eodem pertinent Cypriani verba, qui ad Cornelium Pontificem de nonnullis haereticis scribens, inquit (1): *navigare audent, et ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem:* Cypriano Augustinus adnectendus est, qui sat manifeste Cathedrae Romanae primatum ita profitetur (2): *in Ecclesia semper apostolicae Cathedrae viguit principatus.*

XIII. Verum id quod argumentum nostrum tot Scripturae, et Patrum iam confirmatum praesidiis, magis ac magis adstruit, illud est, quod Ecclesia universalis pluribus oecumenicis synodis aperto sanxit: *Ecclesia Romana*, ita concilium Nicaenum I., *semper habuit primatum* (3). Tum concilium constantinopolitanum I, statuit (4): *constantinopolitanus Episcopus habeat honoris primatum post Romanum Episcopum*. His adde chalcedonense concilium, quod definivit (5): *omnem primatum secundum canones antiquae Romae Archiepiscopo conservari.* Brevitatis ergo canones tum concilii lateranensis IV., tum florentini omittimus, qui eamdem dignitatem et Petri Successori, et ipsius Cathedrae sat manifeste adscribunt.

XIV. Postremo illud etiam observandum restat quod in quatuor prioribus oecumenicis synodis, nempe in nicaena 1., constantinopolitana 1., ephesina, et chalcedonensi, de quarum auctoritate ne infensissimi quidem ecclesiae hostes dubitant, non modo pontificis legati, licet simplices diaconi, subscripserunt ante Patriarchas, et Episcopos, sed etiam acta transmissa fuerunt ad Pontifices talibus obsequii, et submissionis obtestationibus, ut perspicue pateat eos, nonnisi a iure divino adactos fuisse ad Romanam Cathedram ita honorandam. Non enim timore aliquo terrenae dominationis, quam Pontifices tunc temporis non habebant, orientales illi Episcopi poterant ad huiusmodi agendi modum impelli, sed erat Fidei vox, et omnium fidelium consensus, cuius specimen exhibuit ingenua illa sanctissimorum patrum professio (6).

Itaque ex his, quae huc usque dicta sunt, satis iam evidenter pro instituti ratione probasse videmur Romanum Pontificem iure divino in universam Ecclesiam primatu potiri.

TITULUS X.

DE S. R. E. CARDINALIBUS

I. Summi Pontificis senatum constituunt Cardinales, ita dicti a *cardinibus*, hoc est titulis sive Ecclesiis, quibus adfixi, et mancipati sunt. *Cardo* enim, vel est a Graeco κραδαω *agito*, quia in cardinibus ianua agitatur, et vertitur, vel potius, ut placet Vossio, a καρτος pro κρατος *robur firmitas*, quia in cardinibus sit totum ianuae robur. Merito igitur hoc nomen iis clericis tributum est, quibus Ecclesiae in titulum collatae sunt, ut in iis, quibus perpetuo adfixi essent, principem haberent locum, atque adeo cir-

(1) Epist. LV. edit. Baluz. pag. 86. — (2) Epist. XLIII. n. 7 tom. 2. edit. maurin.

(3) Can VI. — (4) Can. II. — (5) Act. XVI. Hard. collect. concil. tom. 2. pag. 642; et 643. — (6) Videsis Labbeum coll. concil.

ea eos ecclesiae, veluti valvae circa cardines volverentur: sic enim recte ab iis distinguuntur, quibus ecclesiae ad tempus, et in commendam concreditae fuerint. Unde Gelasius P.(1) *Episcopum cardinalem* ab Episcopo *interventore*, seu visitatore, cui Ecclesia ad tempus commissa est, diserte distinguit (2). Tum apud Gregorium M. Cardinales dicuntur *proprii, ac ordinarii Ecclesiarum rectores.*

II. Principio singulae Ecclesiae suos habebant Cardinales, idest Episcopos, presbyteros, et diaconos dioecesibus, parochiis, et diaconiis praepositos, et uti pluribus demonstrat Muratorius (3): Cardinalium etiam titulum pleraeque Ecclesiae per plura saecula retinuerunt, uti mediolanensis, ravennatensis, florentina, veronensis, lucensis etc., praecipue vero neapolitana. Eruditiss. Mazochius (4), et cl. Sparanus in suo noviter evulgato opere (5) pluribus demonstrant, neapolitani huiusce cardinalatus antiquitatem iam inde ab VI., aut saltem VIII. saeculo deducendam: familiarem vero eius vocabuli usum saeculo XII. invaluisse. Profecto diplomati Sergii neapolitani Archiepiscopi an. 1177. tres *presbyteri Cardinales S. Sedis neap.* subscribunt. Quod et sequentibus saeculis semper est factitatum, uti ex pluribus miss. diplomatibus apud Chioccarellum, ex ritibus ursinianis, ex libro comitis, ex actis synodi Alphonsi Carafae, ex actis visitationis, et statu Ecclesiae neapolitanae Hannibalis de Capua, aliisque monumentis colligitur. Qua de re perennem eius tituli fuisse consuetudinem contendit ibidem Mazochius: *nec unquam*, inquit, *post id tempus* (scilicet Hannibalis de Capua) *ab ea adpellatione cessatum fuit, nisi quod ab aliquot annis ad declinandam nominis invidiam, non quidem omnes, sed plerique saltem eo elogio ultro abstinere solent, idque modestiae adscribunt: caetera de eo parum solliciti, si sic pergant, futurum tempus, quo cupientes titulum, revocare nequeant.*

III. Eiusmodi Cardinales antiquitus nonnisi septem fuere, et quidem presbyteri: at vero saeculo XV. primum diaconi Cardinales adparent, unde colligere datur hac aetate primum reliquos canonicos primitivae institutionis (scilicet septem diaconos) *Cardinales* nuncupari coepisse. Et quidem non immerito: sicuti enim canonici presbyteri Cardinalium titulo insigniuntur, quod suis canonicatibus tituli septem veterum neapolitanae civitatis Ecclesiarum adfixi sunt; haud secus canonici diaconi suis canonicatibus septem veterum eiusdem civitatis diaconiarum titulos adnexos habent. Ergo Ecclesia neapolitana cum Romana tum illud commune habet, quod sicuti huius, ita et illius Cardinales aeque presbyteri, ac diaconi ab initio nonnisi urbanae alicuius, vel Ecclesiae, vel diaconiae presbyteri, diaconive fuere, tum et illud, quod utraque Ecclesia septenarium diaconorum numerum ex aequo inviolate servasse videatur. Adeundi omnino Mazochius, et Sparanus *indicat. locis.*

IV. Romanam Ecclesiam quod spectat, in ea tituli partim erant parochiae, ideoque presbyteris creditae, unde Cardinales presbyteri; partim vero erant diaconiae, ideoque diaconis commissae, unde diaconi Cardinales; Romae

(1) Epist. ad Coelestium Episc. — (2) Can. III. dist. 24. — (3) Dissert. LXI. antiq. ital.
(4) Append. ad diss. de neap. cathedr. Ecc. diatr. IV. — (5) Part. II. cap. 2.

enim praeter Ecclesias,in quibus Sacramenta administrabantur, erant quoque hospitalia cum adhaerentibus sacellis, sive oratoriis, porro haec, eo quod diaconis commissa essent, inde *diaconiae* dictae sunt.

V. Saeculo VIII. illustrior fieri coepit in Ecclesia Romana Cardinalium dignitas, cooptatis inter eos septem vicinarum civitatum Episcopis,qui Ecclesiae lateranensi addicti, vel Pontifici sacra peragenti praesto essent, vel ipsi sacris operarentur: quo in munere obeundo per hebdomadas alii aliis succederent. Unde Episcopi collaterales, et hebdomadarii dicti sunt (1). Hi olim erant septem : nempe ostiensis, portuensis, albanensis, praenestinus, sabinensis, tusculanus, et S. Rufinae, seu silvae candidae; verum hoc ultimo episcopatu cum portuensi coniuncto sex remanserunt. Iam vero, uti observat Thomasinus (2), proximiores Romae Episcopi, quippe qui frequentes in urbe essent, pro maiorum more invitari consueverant, ut praesto essent Cleri Romani conventibus,ubi maioris aliquid rei consultandum esset. Qua de re unum cum romanis presbyteris veluti collegium iam constituebant.

VI. Iam vero secutis temporibus eorumdem Cardinalium dignitas in tantum aucta est, ut non Episcopis modo, verum et Patriarchis praeferri vellent: id quod gradatim factum est. Nimirum amplissimae pontificiae legationes frequenter Cardinalibus commissae, negotia vel ex remotis provinciis ad Sedem Apostolicam delata in Cardinalium concistorio discussa, ac definita: Summi pontificis electio a Nicolao II., reliquo Clero romano excluso, solis Cardinalibus tributa: ac demum schisma graecorum, quidam veluti gradus fuere, per quos romanus cardinalatus ad tantum fastigium, ac splendorem evectus est. Profecto Orientis Patriarchae, ac Metropolitae nunquam passi sunt sibi romanos praeferri Cardinales. Quin immo, uti post alios canonistas notat Barbosa (3) usque ad tempora Bonifacii VIII. *nullus erat Episcopus,qui vellet fieri Cardinalis,quia putabant non licere descendere a maiore dignitate ad minorem;* primum sub Alexandro III., uti monet Onuphrius Panvinius de episcopatibus, titulis,et diaconiis Cardinalium (4), *sub quo Romana Ecclesia ad maximum in terris fastigium evecta fuit, ex Episcopis cardinales fieri coeperunt;ea tamen adhibita moderatione, ut quoties acciderel aliquos creari Cardinales,qui Episcopi,vel Archiepiscopi essent, singulis una ex cardinalibus Ecclesiis* (episcopalibus) *tradebatur, quod tunc incongruum videretur ex Episcopo presbyterum fieri,sed minus inconveniens ex Episcopo, vel Archiepiscopo fieri Episcopum Cardinalem.*

VII. Iam vero romanus cardinalatus dignitate, ac potestate auctus, signis quoque externis splendescere eum oportuit Hinc rubrum galerum Cardinalibus ad regendas Ecclesiae terras missis primus indulsit Innocentius IV., quod postea omnibus commune factum est. Paulus II. birretam coccineam concessit, et rubrum pannum, quo equos, et mulas sternerent, dum equitarent Haec honoris insignia duntaxat Cardinalibus ex Clero saeculari primum indulta, regularibus, etiam a Gregorio XIV. impartita sunt. Tandem Urbanus VIII. iisdem titulum *eminentiae,* et *eminentissimi* elar-

(1) Stephanus IV. apud Anastasium bibliothec. — (2) Part. I. lib. II. cap. 115. (3) Lib. I. iuris. eccl. cap. III. — (4) Pag. 34.

gitus est communem cum solis imperii ecclesiasticis electoribus, et magno magistro ordinis hierosolymitani.

VIII. Cardinalium numerus incertus olim fuit, ac vagus. Ad saeculum usque XII. videntur fuisse XLVI., scilicet XXVIII. presbyteri, et XVIII. diaconi quibus, uti nuper indicavimus, VII. Episcopi additi sunt. At post aetatem Honorii II., uti observabat Panvinius (1), imminui coepit, et ad incertum numerum, atque adeo etiam ad summam paucitatem delabi. Profecto in electione Nicolai III. non erant, nisi septem Cardinales viventes. At post, quum rursus coepisset augeri, decreto synodi basileensis cautum est, ne numerum XXIV. excederent. Verum Xystus IV., et qui eum secuti sunt R. Pontifices Cardinalium numerum maxime ampliarunt, donec tandem Xystus V. decrevit, ne septuaginta excederent; numerus quidem congruens cum septuaginta in Mosis adiumentum adsumptis, ac septuaginta discipulis Christi Domini: iisdem addicti sunt sex episcopatus suburbicarii, quinquaginta tituli presbyterales, et quatuordecim diaconiae.

IX. Praecipuum Cardinalium munus est Papae in Ecclesiae regimine consilio, et opera adesse, et sicuti antiquitus, uti alibi monuimus, R. pontifices nihil grave, nisi convocato Clero, atque adeo Episcoporum synodis decernebant, ita tractu temporis maioris momenti negotia in concistorio Cardinalium tractari coeperunt: unde Cardinales a D. Bernardo *collaterales*, et *coadiutores Papae* adpellantur. Ut autem veluti synodum occidentalem repraesentarent, primum basileensis (2), deinde tridentina synodus (3) ex diversis nationibus adsumptos voluerunt, tum eadem de caussa Episcoporum qualitates in Cardinalibus Patres tridentini requirunt (4).

X. Igitur Papa utitur consilio Cardinalium in concistorio; hanc vocem ad denotandum principis senatum in re civili receptam, Papae suam fecerunt, ut significarent Cardinalium consessum coram Pontifice in eius palatio per modum senatus.

XI. Concistorium duplex est: ordinarium, et extraordinarium In ordinario nonnisi Cardinales cum Romano Pontifice adsident: unde et secretum vulgo vocitatur extraordinarium, magisque sollemne est, cui praeter Cardinales alii quoque praelati, ac ministri intersunt, unde publicum quoque dici consuevit. In concistorio antiquitus minores etiam caussae agitari consuevere, quae, auditis utrinque partibus, per R. Pontifices definiebantur, uti ex actis Innocentii III. demonstrat Card. de Luca (5). At hodie graviora duntaxat negotia in concistorio explicantur, quaeque forensem, et contentiosam formam non habent, sed solum gratiosam, et politicam, ut principis supremum senatum decet. Porro leviora negotia ad Congregationes Cardinalium reiecta sunt, vel ad tribunalia Urbis, quae hodie romanam Curiam egregia forma constituunt.

XII. Congregationes sunt coetus Cardinalium per Pontifices instituti, quibus peculiaria quaedam negotia, aliquando ipso praeside Romano Pontifice, excutienda, ac definienda committuntur. Huiusmodi duplicis sunt generis; vel enim ordinariae sunt, scilicet, quae stabilem habent formam,

(1) Ibidem. pag. 18.
(2) Sess. XXIII. — (3) Sess. XXIV. de ref. cap. 1. — (4) Trid. ibid. — (5) In relatione rom. curiae disc. V. num. 6.

iisque determinata quaedam negotia expedienda adsignata sunt, uti sunt congregationes *Indicis*, *Inquisitionis*, *interpretationis Concilii*, *sacrorum Rituum*, *et de negotiis Episcoporum*, *et regularium:* vel sunt extraordinariae, quae pro peculiaribus quibusdam negotiis praeter consuetudinem incidentibus indici solent, quibus finitis dissolvuntur.

XIII. Atque hae quidem congregationes ad res ecclesiasticas pertinent: nam sunt et aliae, ut *sacrae consultae* pro caussis criminalibus totius romanae ditionis extra Urbem, *boni regiminis* pro tuendis rebus, et iuribus universitatum, *tribunal capitolii* pro caussis intra urbem civilibus, uti pro criminalibus *tribunal gubernii*: tum et tribunal *in monte citorio*, quod cumulativam habet cum capitolio *in civilibus*, et privativam a quocumque tribunali in ecclesiasticis, atque ut recipit adpellationes totius orbis, ita ab eo ad sacram romanam rotam in utriusque adpellatur. Verum pleraque ex his ad principatum potius, quam ad Sacerdotium pertinent, nec iis cardinales, sed Praelati adfiguntur.

TITULUS XI.

DE LEGATIS ECCLESIASTICIS

I. Legatorum usus, uti in republica civili, ita quoque in ecclesiastica, iam inde a primis saeculis invaluit. Passim enim in antiquis monumentis legati occurrunt ab Episcopis ad synodos, vel ad principes missi. Quum enim singulis Episcopis commodum non esset ad concilia convenire, ipsis libertas data est, ut legatos mitterent, vel Episcopos, vel presbyteros, qui eorum vice in conciliis fungerentur. Unde in actis conciliorum carthaginiensium frequenter occurrunt legati provinciarum numidiae, mauritaniae, bizacenae, et tripolitanae. Tum ab ipsis conciliis carthaginiensibus legati aliquando ad Sedem Apostolicam, vel etiam ad imperatores missi sunt, praesertim in caussa donatistarum. Verum supra caeteros semper emicuere legati Sedis Apostolicae hi autem vel sunt *missi*, vel *nati*. De missis primum agemus deinde natis.

II. Iam vero legati a R. pontificibus mitti consueverunt, vel ad negotia expedienda, vel ad Sedis Apostolicae vices agendas: tum ad negotia expedienda dirigebantur, vel ad Ecclesias, uti legati Zosimi Papae ad Episcopos Africae pro tuendis adpellationibus a synodis africanis ad Sedem Apostolicam: vel ad principes, et imperatores, uti legati Liberii Papae ad Constantium imperatorem pro cogenda synodo Aquileiae adversus arianos.

III. Porro legati, qui ad Sedis Apostolicae vices gerendas mittebantur, veluti plenam exercebant legationem: exprimebant enim Summi Pontificis auctoritatem, unde iisdem fruebantur praerogativis, quibus, si pontifex adesset, uteretur. Unde in synodo nicaena Vitus, et Vincentius, licet nonnisi presbyteri essent, attamen, quia Sylvestri Papae legatione fungebantur, synodo praefuere.

IV. Aliud quoque legatorum Sedis Apostolicae genus ecclesiastica nobis exhibet historia: eorum nempe, qui longiores in urbe regia moras trahebant quoque non alicui peculiari negotio addicti erant, sed ad quascumque caussarum, aut negotiorum ecclesiasticorum emergentium figuras praesto

erant apud principes. Primum istiusmodi legationis exemplum habemus in Iuliano Coensi, qui a S. Leone in urbe imperatoria Apostolicae Sedis legatus fuit constitutus ad prospiciendum, ne haereses nestoriana, et eutychiana in conciliis ephesino, et chalcedonensi iam damnatae invalescerent; tum quae suggerenda imperatoribus forent, vice Pontificis insinuaret, ac de rebus ambiguis pontificem consuleret, eumque de statu ecclesiarum orientis creberrimis relationibus admoneret. Hi legati *apocrisarii*, sive *responsales* dicebantur, quod responsa, seu mandata exequerentur eorum, a quibus missi erant.

V. Demum *legati nati* dicuntur illarum Ecclesiarum Episcopi, quibus dignitas legationis apostolicae perpetuo est adnexa. Dicuntur *nati*, quod per ipsam episcopatus adeptionem sine ulla nova Sedis Apostolicae, vel Pontificis commissione, legati apostolici constituuntur, sive nascuntur. Antiqua huiusmodi legatorum exempla habemus in Episcopis arelatensi, et thessalonicensi, qui frequentibus, ac continuis Sedis Apostolicae legationibus, veluti hereditariam sibi legationem fecere. Istiusmodi legati, sive potius Sedis Apostolicae vicarii in provincias sibi concreditas eamdem poene exercebant iurisdictionem, ac Patriarchae in suas dioeceses; qua de re secutis temporibus primates dicti sunt. Atque haec de legatis iure antiquo satis.

VI. Iure novo triplex agnoscitur legatorum genus. 1. Legati a latere, cardinales nimirum, qui in legationes abeunt. Quia enim post saeculum XI., uti nuper observavimus, collaterales Pontificis dicti sunt; hinc a latere Pontificis adsumi censentur, quum ex eiusdem mandato aliquam exerceant legationem: qua de re insigniis apostolicae dignitatis utuntur (1): ac iis iuris antiqui legatis respondere videntur, qui ad Apostolicae Sedis vices gerendas missi veluti plenam exercebant legationem. Iure novo frequentia occurrunt huiusmodi legatorum exempla apud reges, et principes pro bellis componendis, vel pro foedere adversus infideles, vel haereticos, similibusve gravioribus negotiis (2). Porro legato a latere in aliquam provinciam adventante, alterius, si qui ibidem sit, minoris legati omnis prorsus cessat auctoritas (3).

VII. Legatorum a latere plurimae sunt facultates, quas partim extraordinario, specialique mandato habere solent: uti quaslibet Ecclesias quomodolibet exemptas visitare, in caussis maioribus, qua civilibus, qua criminalibus, iudicare, reos vel enormium criminum absolvere, beneficia vacantia etiamsi iurispatronatus ecclesiastici sint, reservata, aut affecta conferre, in ordinibus suscipiendis, et in matrimoniorum impedimentis dispensare, aliaque non pauca, quae videsis apud fagnanum (4).

VIII. Alterum legationis genus subeunt legati, qui *minores* dicuntur, vel simpliciter *missi*: quippe qui non sunt de numero Cardinalium, sed duntaxat R. Pontifice iubente legatorum munere defunguntur. Ex horum numero sunt Nuntii apostolici antiquis apocrisariis respondentes, quos potestate quasi *a latere legati* instructos Sedes Apostolica ad reges, magnos principes, resque publicas mittit. Quanta sit huiusmodi legatorum potestas ex tenore brevium pontificiorum dignoscatur oportet. Unde cardinalis de

(1) Cap. XXIII. de privilegiis. — (2) Card. de luca in rel. rom. curiae disc. IV. n. II. — (3) Cap. VIII. de officio legati. — (4) De officio legati.

Luca (1) monet, quoad iura legatorum certam regulam statui non posse; *quum totum pendeat a tenore facultatum.*

IX. Ad tertium tandem legationis genus pertinent legati nati, qui sane iidem sunt, atque illi, qui iure antiquo ex privilegio suarum Ecclesiarum legationis munus obibant: de his satis *num. V.* Huiusmodi praerogativa fruuntur Episcopi cantuariensis, et eboracensis in Anglia, arelatensis, bituricensis, et lugdunensis in Gallia, toletanus, et bracarensis in Hispaniis, pisanus in Italia pro Corsica, aliique.

X. Nec tantum Episcopis, verum et Principi alicui ob praeclara in Ecclesiam merita munus *legati nati* a Sede Apostolica aliquando adtributum est. Ita Siciliae Rex legatus natus R. Pontificis est in toto regno, sive ex bulla Urbani II. Salerni an. 1098 edita, quam *Monarchiae Siciliae* vulgo nuncupant, sive ex bulla Benedicti XIII. 3. Kal. Septembr. an. 1728. emanata, quae vim concordiae habet. Et merito quidem hoc nomine donatur; ea enim Pontifex pacis studiosissimus, dissidia, quae R. Sedem inter, ac reges Siciliae diu exarserant, sapienter extinxit (2).

TITULUS XII.

DE PATRIARCHIS EXARCHIS ET PRIMATIBUS.

I. Vox *Patriarcha* id potissimum significare videtur, nimirum *principem familiae, cognationis, vel tribus*, Αρχοντα Πατριων apud *Hesychium* Πατριαι idem sonant, ac φυλαι: et apud *Suidam* in voce Πατριαι: Πατριαι, χωραι, φυλαι, τοπαρχιαι, idest Πατριαι, *regiones, tribus, locorum praefecturae.* Primus alicuius familiae auctor, unde alii descenderint, *Patriarcha* dictus est (3).

II. Quamvis Socrates, qui historiam suam edidit anno 440. primus Episcopis christianis, qui pluribus provinciis praeessent, Patriarchae nomen dederit (4): at publica Ecclesiae auctoritate in synodo chalcedonensi an. 451. primum ita vocati sunt (5).

III. Qui serius Patriarchae dicti sunt, antiquitus *Archiepiscopi*, et *Exarchi dioeceseos* nuncupabantur. Etsi enim nunc unum idemque sint Archie-

(1) Disc. XXXIII. ad Conc. Trid. n. 21. — (2) Expulsis saracenis, devictisque graecis a Rogerio Siciliae comite e Normannorum gente, vindicatisque Romanae Sedi a constantinopolitano Patriarcha omnibus utriusque regni Ecclesiis, Urbanus II. trainensem in Sicilia Antistitem Apostolicae Sedis legatum instituit. Hinc ipsius Rogerii accessit querimonia, qua factum est, ut rescissa trainensis Episcopi legatione, idem Pontifex praefatum Siciliae Comitem, eiusque successores Apostolicae Sedis legatos crearet. Isthaec legatio *monarchia sicula* audiit, cuius iura pluribus saeculis reges nostri exercuerunt, iudicem ecclesiasticum eligendo in cognoscendis caussis, quae ad ipsam legationem pertinebant. Labentibus vero annis pro eodem tribunali permulta constituta fuere in XIX. articulis comprehensa. Atvero legationem istam eiusque tribunal Clemens XI. anno 1715. penitus extinxit propter abusus, quos irrepsisse ex re historica edocemur. Tandem instante Carolo VI. Benedictus XIII., ut graves contentiones exortas componeret, legationem restituit. Quare cum ius novissimum ultra Pharum huiusce Pontificis constitutio obtineat, nos illam in appendice tertii libri recensendam duximus. — (3) Suidas ibidem. — (4) Lib. V. cap. 8. — (5) Act. III.

piscopus, et Metropolitanus, attamen prioribus Ecclesiae saeculis nomen Archiepiscopi vix ulli dabatur Episcopo, nisi cuius iurisdictio super totam aliquam imperii dioecesim se extenderet: uti Episcopis alexandrino, antiocheno, ephesino. Quamobrem Iustinianus imperator episcopatum Iustinianae I. in sedem patriarchalem erigens sanxit: *volumus, ut non solum Metropolitanus, sed etiam Archiepiscopus fiat* (1): *exarchi dioeceseos* vocabantur ad distinguendum eos ab Ἐξάρχοις τῆς ἐπαρχίας *ab exarchis unius cuiusdam provinciae*, qui tantummodo Metropolitani erant. Ita Domnus Episcopus antiochenus *orientalis dioeceseos exarchus* in conciliis antiocheno, et chalcedonensi adpellatur.

IV. Uti nomen Archiepiscopi, ita quoque dioeceseos vox antiquitus multo amplioris erat significationis. Ad rem Theodorus Balsamon (2): διοίκησις δὲ ἐστι ἡ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ: *dioecesis autem est, quae multas sub se habet provincias*. Rufinus etiam in suo breviario: *et in dioecesi*, inquit, *Macedoniae provinciae sunt septem: macedonia, tessalia* etc. At quae modo dioecesis adpellatur, antiquitus dicebatur Παροικία *paroecia*: uti observabimus in titulo de Episcopis.

De Patriarcharum origine.

V. Ut recte in Patriarcharum originem inquiratur, omnino distinguendum censeo inter dignitatem patriarchicam ex una parte, et potestatem ex altera. Atqui Ecclesiarum Romanae, Alexandrinae, Antiochenae dignitatem, ac splendorem ex eo praecipue profluxisse, quod a S. Petro fundatae fuerint, perspicua demonstrant Eusebii, Chrysostomi, Nazianzeni, Theodoreti, aliorumque veterum testimonia, quae videsis apud Thomassinum (3). Ad rem Hincmarus rhemensis (4): *sedes Ecclesiarum Romanae, Alexandrinae, et Antiochenae idcirco speciales sedes dici ..... quoniam sedes sunt. quin potius una Sedes magni Petri Apostolorum Principis.*

VI. Quid quod ex sedium dignitate earumdem auctoritas, ac potestas effluxit? Profecto quum ex Roma, Alexandria, et Antiochia vicinis, et circumiacentibus regionibus evangelicae praedicationis lux refulserit, hinc factum est, ut caeterarum veluti parentes haberentur, et matrices. Qua de re ubi in earumdem regionum civitatibus Episcopos constitui oportuit, hoc ius nonnisi ad Ecclesiae matricis Episcopum spectare visum est, a quo ipsa Fidei plantatio, et Ecclesiarum institutio profecta agnoscebatur. Huiusce auctoritatis veluti specimen dedit S. Paulus, qui, uti sequenti titulo videbimus, Titum Cretae reliquit, ut constitueret per civitates presbyteros, idest Episcopos.

VII. Praeterea quum identidem haereses, et schismata erumperent, ac inter Episcopos controversiae oborirentur, quidnam fidei tuendae, ac paci Ecclesiarum fovendae conducibilius videri poterat, quam ad Ecclesiae matricis Episcopum confugere, cui iure paternitatis filiarum Ecclesiarum cura agenda erat? Hoc iure usus est Polycrates, dum ad discutiendam de paschate controversiam totius Asiae concilium convocavit, cui ipse praefuit (5):

(1) Novel. XI. — (2) In can. IX. chalced. — (3) De eccles. disc. par. I. cap. 8.
(4) Tom. II. pag. 402. — (5) Eusebius lib. V. cap. 24.

tum medio saeculo III. Episcopi Libyae superioris, qui sabelliano ψευδογματι adhaeserant, nonne ab haeresi recesserunt, Dionysio potissimum Alexandrino agente, *ad cuius curam*, uti scribit Athanasius epist. de sent. Dionys. *Ecclesiae illae pertinebant*? Tum Episcopum ephesinum minoris Patriarchae dignitate refulsisse constat, eo quod, uti scribit Iraeneus apud Euseb. (2): Ecclesia ephesina, et a Paulo fundata fuerit, et Ioannem usque ad Traiani tempora habuerit praesidentem. Igitur a gloria conditoris, et a iure paternitatis sedium patriarchalium primum dignitas, et splendor, dein potestas, et auctoritas est deducenda.

VIII. At inquies, qui tanta hierarchiae ecclesiasticae cum civili politia conformitas? Respondeo. Quum Apostoli orbem universum ita inter se divisissent, ut singulis singulae provinciae, ac nationes adsignarentur, profecto nihil ipsis ad Evangelium facilius, feliciusque disseminandum opportunius visum est, quam ut in civitate principe, sive metropoli Fidei semina ingererentur; ut quum ibi, Deo incrementum dante, radices egissent, sic paullatim, veluti ex stirpe palmites pruducuntur, et gemmae erumpunt, vicina quoque oppida, et circumiectae gentes inde Fidei lumen reciperent.

IX. Hinc S. Petrus cui uti Apostolorum Principi, praecipuae orbis dioeceses obvenerant, Romana scilicet, aegyptiaca, et orientalis, profecto sapienter id egit; ut Roma primum, Alexandria, et Antiochia fidei lucem adspicerent. Namque idololatria ibi eversa, ac prostrata, ubi magis dominabatur, haud difficile futurum erat, eamdem in oppidis, et in exiguis, ac minus praestantibus urbibus deiicere. Atque eo intuitu civilis imperii politia ad patriarchicae dignitatis institutionem contulisse videtur. Patet igitur primum ab civilis politiae ordine, at remotius, dein ab S. Petri dignitate, et quidem proxime patriarchalium Ecclesiarum splendorem, tum et potestatem, ac iurisdictionem profluisse. At vero, quod sedes Antiochena tertia esset ordine post Romanam, et Alexandrinam, licet Antiochenam per se, Alexandrinam tantummodo per discipulum suum S.Marcum, D.Petrus fundaverit, id nonnisi politiae civili tribui quiverit, in cuius ordine Alexandria Antiochiae praestabat. Adeundus omnino hac de re Ildephonsus Clem. de Arostegui in sua concordia pastorali (1), unde haud pauca pro adstruendo hoc nostro systemate excerpsimus.

X. Patriarchica potestas primitus quidem tribus potissimum constitit. 1: ut in dubiis matrix Ecclesia, a qua paroeciarum Fides sumpsit exordium, consuleretur. 2: ut ordinatio, quae ab ea ad Episcopos dioeceseos primum manarat, ab eadem in Metropolitanos saltem continenter flueret. 3: ut ad dioecesanam synodum ii maxime convocarentur, qui civitatem principem consilii caussa frequentare consuevissent.

XI. At ultra etiam moribus, et privilegiis ea potestas sensim extensa est, ac tandem *can. VI.* nicaeno primum ecclesiastica sanctione firmata fuit. Et sane verba illa *antiqui mores serventur... sua privilegia, ac suae dignitates, et auctoritates Ecclesiis serventur*, quid, inquam, verba haec exhibent, nisi ut Episcopis alexandrino, et antiocheno novo oecumenicae synodi decreto ea iura firmentur, quibus iamdiu, ex antiquis moribus fruebantur?

(1) Lib. III. cap. XXIII. — (2) Lib. I. cap. II.

XII. Demum concilii constantinopolitani *can. II.* eiusdem potestatis distiuctius, exactiusque limites praescripti sunt. Sic euim habet: ***Episcopi ultra dioecesim ad Ecclesias, quae extra suos limites sunt, ne accedant... sed secundum canones Episcopus alexandrinus aegyptum solum regat, etc.*** Profecto cur hic canon ederetur, illud potissimum in caussa fuit, quod nounulli Episcopi extra proprium territorium episcopali potestate usi fuerant, e g. Petrus alexandrinus aliquot Episcopos Constantinopolim miserat, ut ibi Maximum cynicum Episcopum consecrarent. Meletius antiochenus in eadem imperiali urbe plures dignitatis Episcopalis actus exercuerat. Nimiae igitur confidentiae, ac libertatis Episcopis frecna canone constantinopolitano iniecta sunt, ne extra propriae dioeceseos limites episcopi agerent.

XIII. En igitur quomodo ad patriarchicam dignitatem, potestatemque constituendam simul conspirarint civilis imperii politia, gloria conditoris, Antiqui *κατα ποδα* in ecclesiam inducti mores, can: VI. nicaenus, ac demum can. II. constantinopolitanus.

Patriarcharum iura et officia ex veteri novaque Ecclesiae disciplina.

XIV. Verum Patriarcharum iura praecipua erant. I Omnes suae dioeceseos metropolitas ordinare. II. Synodum dioecesanam convocare, eidemque praesidere. III. Adpellationes a Metropolitarum iudiciis accipere. IV In Metropolitas, et Metropolitis negligentibus, in eorum etiam suffraganeos delinquentes animadvertere, ac etiam censura ecclesiastica uti. V. Leges imperiales ad ecclesiasticum regimen attinentes suis Metropolitis impertiri. VI. Enormis culpae reorum absolutionem sibi reservare. VII. Metropolitas legatos suos constituere. VIII. Demum in rebus magni momenti a Metropolitis suis consulendi erant. At de his fusius in nostris antiquitatibus christianis.

De Patriarchatu Romano eiusque confiniis et amplitudine.

XV. *Can. VI.* nicaeno de Patriarchis Alexandrino, et Romano sic decernitur: ***antiqui mores serventur, qui sunt in Aegypto, Libya, et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoque et Episcopo Romano, hoc est consuetum,*** *επειδη και τω εν τη Ρωμη Επισκοπω τουτο συνηθες εστι.* Porro ex hoc canone, uti de Patriarchae Alexandrini potestate constat, ita ex adverso de Romano Patriarchatu gravis exoritur controversia: nimirum quinam eius limites fuerint.

XVI. Petrus de Marca, Thomassinus, Bacchinius, Schelestrate Romanum Patriarchatum ad totum extendunt Occidentem; at contra Dupinius, et Dughetius, aliique ad decem Provincias contrahunt praefecturae romanae subiectas, nimirum Picenum suburbicarium, Campaniam, Tusciam, et Umbriam, Apuliam, et Calabriam, Brutios, et Lucaniam, Samnium, Valeriam, Sardiniam, Siciliam, et Corsicam. Demum prorsus ridenda Salmasii opinio, qua Romanus Patriarchatus intra centesimum ab Urbe lapidem clauditur.

XVII. Verum enimvero triplex Romani Pontificis notio omnino prae oculis habenda est 1: ut Primas totius Ecclesiae, 2: ut praecipuus totius Occidentis Inspector, 3: ut provinciarum vicario urbico subiectarum Rector, et

Princeps. Porro si primatus iure divino in universa Ecclesia statutus inspicitur, eius potestas Orientem, et Occidentem, totamque Ecclesiam suo sinu complecitur, et per universum orbem, qua late patet fidelium nomen extenditur.

XVIII. Si vero, ut totius Occidentis latiori quodam sensu Patriarcha consideratur, peculiaria quaedam ei iura conveniunt, et quidem ex primaeva antiquitate. Sicuti enim S. Petrus, uti Princeps Apostolorum totius christiani orbis caput erat, et Primas, at ratione apostolatus ipsimet in provinciarum partitione totius Occidentis dioeceses obvenere: sic Romanus Pontifex S. Petri Successor, licet in universum christianum orbem, non honoris modo, verum et iurisdictionis primatum haberet, occidentales tamen dioeceses ad ipsum peculiari quodam iure semper attinere, quarum specialiorem curam, sollicitudinemque gessit. Unde a Basilio (1): δυτικων κορυφαιος *occidentalium coryphaeus* dicitur, et ab Augustino contra Iulianum (2) *occidentalis Ecclesiae praesidens*. Tum Patres arelatenses *epistola ad Sylvestrum papam*, eum maiores dioeceses tenere scribunt. Eodem intuitu Cyrillus Alexandrinus in synodo ephesina Ioannem antiochenum admonebat, ut ii omnes latam a Coelestino Pontifice adversus Nestorium sententiam sequantur, qui totius Occidentis communionem amplecti volunt. His accedit, Episcopis occidentalibus in more fuisse, in ambiguis ecclesiastici regiminis expediendis negotiis R. Sedem consulere, ad quos sua responsa R. Pontifices dedisse antiqua produnt Ecclesiae monumenta, neque in re satis perspicua iuvat diutius immorari: atque adeo ambigendum non est, R. Pontifices dioeceseon occidentalium specialiorem quamdam curam semper gessisse. Videsis Petrum de Marca (3).

XIX. Denique si regimen immediatum provinciarum, quae vicario urbico subiiciebantur, attendatur, in quo propria, ac stricta patriarchatus Romani notio constitit, non ultra decem provincias superius enumeratas patuisse his ferme argumentis vir ille doctissimus Petrus de Marca ostendit.

1. Potiora patriarcharum iura semper fuerunt, Metropolitas ordinare, adpellationes a synodis provinciae recipere, synodum dioeceseos indicere, eidemque praesidere. At primo sicuti constat Romanos Patriarchas hisce iuribus per decem illas provincias fuisse usos, ita quoque neutiquam ambigendum, Episcopos, ac praecipue Metropolitas per Gallias, Hispanias, Africam, aliasque Occidentis dioeceses fuisse in synodis provinciae ordinatos. Quinimmo in ipsa dioecesi sic propriae dicta *italica*, ut a Romana distingueretur, Episcopi haud quidem a R. Pontifice, sed ab Episcopo mediolanensi ordinabantur, qui Italiae sic proprie dictae veluti primas erat. Id ex pluribus Ambrosii epistolis constat, ac praesertim ex XXV. in qua ius sibi tribuit constituendi Episcopos per Aemiliam, Venetias, ceterasque finitimas Italiae partes. Tum Ambrosius ipse ex Theodoreto (4) ab Italiae Episcopis iussu Valentiniani Mediolanum coactis ordinatus est.

2. Etiam post receptos canones sardicenses nonnisi raro, et difficulter ex solo Occidente in caussis ordinariis, et minoribus ad R. Pontificem, uti Patriarcham adpellatum reperire est: neque Patres sardicenses Episcopo

(1) Epist. X. — (2) Lib. I. — (3) Lib. I. cap. I. — (4) Lib. IV. cap. VII.

Romano, uti Patriarchae, verum uti Primati totius Ecclesiae ius tribuerunt, ut qui se gravatos in provinciis crederent, etiam ab longinquis regionibus ad Romanam Sedem, confugerent: *S Petri memoriam honoremus, ut scribatur ab his* etc., tum constat intuitu potissimum Athanasii, qui ad Iulium I. confugerat, hunc canonem fuisse conditum. Canon igitur sardicensis Romanum Patriarchatum non spectat.

3. Uti Romana Ecclesia suas habebat dioecesanas synodos *romanas* dictas, ita quoque Gallia, Hispania, Africa, aliaeque Occidentis dioeceses suas habebant synodos, de quibus Episcopi in caussis quidem communibus, et ad Ecclesiae unitatem pertinentibus ad R. Pontificem referebant, at ubi peculiares provinciarum, et dioeceseon res tractandae essent, etiam inconsulto R. Pontifice, cognoscebant, et iudicabant. Unde S. Ambrosius in synodo quadam Italica sententiam rescidit Syagrii Episcopi veronensis, qui virginem quamdam per calumniam accusatam damnaverat, id patet ex binis ad eumdem syagrium Ambrosii epistolis.

4. Uti Pontifex dioeceseos Romanae, ita dioeceseos italicae Episcopus mediolanensis peculiarem quamdam curam gerebat. Ambrosius (1) ad Ecclesiam vercellensem: *conficior dolore*, scribit, *quia Ecclesia domini, quae est in vobis, sacerdotem adhuc non habet. . . . . . et mihi adscribitur vestra intentio quae adfert impedimentum.* Tum ipsemet Ambrosius Vigilio, quem Episcopum tridentinum ordinaverat, Ecclesiam, quae est ad forum Cornelii, commendat: *commendo tibi Ecclesiam, quae est ad forum Cornelii, quo eam de proximo intervisas, donec ei ordinetur Episcopus. Occupatus diebus quadragesimae ingruentibus tam longe non possum excurrere.*

5. Episcopi Italiae mediolanensi Antistiti tamquam exarcho, sive primati subiiciebantur. Id tum ex hactenus dictis, tum quoque ex eo perspicuum est, quod Ambrosius, detectis Bononiae corporibus SS Vitalis, et Agricolae, et Mediolani reliquiis ss. Gervasii, et Prothasii, epistolas hac de re ad omnes dioeceseos Italiae Episcopos dedit cum hac επιγραφη *dilectissimis fratribus, et universis plebibus per Italiam: fratribus per omnem Italiam constitutis.* Adhaec Episcopi Italiae in conciliis sub hac peculiari επιγραφη subscribunt, e g. in concilio sardicensi, *Prothasius ab Italia de mediolano, Ursacius ab Italia de brixia, Severus ab Italia de Ravenna* etc.

XX. Porro ex hucusque prolatis illud satis manifesto efficitur, Ecclesias Italiae ad Episcopum mediolanensem, haud vero ad R. Pontificem iure patriarchico stricte sumpto pertinuisse. Id quod potiori iure adfirmandum est de Africa, Hispania, Gallia, aliisque Occidentis dioecesibus.

XXI. At qui omiserim Rufinum IV. saeculi ςοριογραφον qui canonem nicaenum sic vertit, ut Romano Patriarchatui *Ecclesias suburbicarias* subiectas exhibeat? Profecto eo sensu dictae sunt Ecclesiae suburbicariae, quo dicebantur *regiones, et provinciae suburbicariae*, at regiones suburbicarias numquam Occidentem universum, sed nonnisi decem illas provincias romanam componentes praefecturam significasse pluribus demonstrat Sirmondus, praecipue vero ex notitia imperii, ubi de vicarii Urbis potestate haec habentur: *sub dispositione U. S. vicarii urbis Romae provinciae*

(1) Epist. XXV.

infrascriptae. Consularis Campaniae, Tusciae, et Umbriae, Piceni suburbicarii, Siciliae, corrector Apuliae, et Campaniae, Brutiorum, et Lucaniae, praesides Samnii. Sardiniae, Corsicae, et Valeriae. Igitur IV. saeculo, quando scripsit Rufinus, Romanus Patriarchatus non ultra patebat (1).

XXII. Illud hic postremo observandum, Romanum Patriarchatum successu temporis, apostolicis institutis vicariis, iniecta Metropolitis palliorum necessitate, ac missis per totum Occidentem legationibus, magis magisque patuisse, donec tandem per Occidentem universum se extenderit, atque adeo, uti mox videbimus, IX. saeculo inductis isidorianis decretalibus, R. Pontifex Primates instituerit sibi subiectos.

XXIII. Reliquis Patriarchis longe eminebat Romanus, et quidem pluribus titulis. 1: quia Romanus Patriarchatus principatui totius Ecclesiae adhaerebat 2: quia non Metropolitas modo, si qui erant, verum et omnes omnino suae dioecesis Episcopos ordinabat. In quo sane cum Alexandrino conveniebat, at in eo ipsi praestabat, quod Patribus nicaenis veluti norma

(1) Auctor noster Dughetii vestigia premens suburbicarias dumtaxat provincias Romani Patriarchae dioecesi adscribendas contendit, atque ex nonnullis male intellectis Ambrosii epistolis argumenta desumens, vires suas in eo contulit, ut italicam dioecesim Mediolanensi Antistiti paruisse demonstraret. Ne tirones igitur eius sententiam incaute sequantur, nonnulla heic animadvertenda maxime censemus, quibus sat manifeste eruitur illum a vero aberrasse.

Et primo mentionem is facit Ambrosianae epistolae ad Syagrium veronensem Antistitem, qua perperam colligit italicam synodum ab Ambrosio coactam esse caussa rescindendi Syagrii decreti in virginem iniuste prolati. At concilium istud mediolanensis fuisse provinciae, cui suberat veronensis Ecclesia, non vero totius Italiae dioecesis neminem latet. Quod autem spectat ad aliam epistolam ad Ecclesiam vercellensem, qui vel leviter historiam ecclesiasticam attigit, fateatur oportet ipsam Ecclesiam cum tota Liguria tunc temporis in provincia mediolanensi comprehendi, quae tunc latius, quam nunc extendebatur. Unde facile intelligitur Ambrosium moerore confici, quod nondum Episcopum pro illa Ecclesia elegerit.

Preterea qui epistolam ad Vigilium tridentinum Antistitem accurate perpendit, ex eadem profecto non colligit cum nostro auctore Vigilium ab Ambrosio Episcopum esse consecratum: isthaec enim interpretatio est prorsus aliena, sed dumtaxat ex illa sponte fluere videtur ipsum mediolanensem doctorem de quibusdam quaestionibus amice ab illo interrogatum, responsa dedisse. His adde aliam epistolam ad Constantium, quam auctor noster cum antecedenti ad Vigilium confundit. In ea Ecclesiam fori cornelii illi commendasse legimus, donec ordinetur Episcopus: et iure, quippe quod Aemilia ubi forum cornelii, ad ipsius mediolanensis Antistitis provinciam pertinebat.

Postremo quod pertinet ad alias epistolas ad omnes Italiae Episcopos missas, quorum altera de inventis Bononiae corporibus SS. Martyrum Vitalis, et Agricolae, altera de reliquiis Mediolani detectis SS. Gervasii, et Protasii agitur, pauca expendendo Mitto illas Maurinis editoribus genuinas non visas, cum in appendice Ambrosii operum ens coniecerint; sed demus tantisper genuinas fuisse, atque ad omnes totius Italiae Antistites missas: quonam pacto ex illis Ambrosii exarchatus in Italicam dioecesim adstrui potuerit? Quid mirum, si mediolanensis doctor laetitia gestiens Episcopis sibi non subiectis de inventione illorum martyrum scripserit, quorum precibus Deus miracula in dies peragebat? Num iurisdictionis actus illae continent? Sed haec satis. Quod vero Romanus Pontifex in omnes occidentales regiones patriarchica iura primis Ecclesiae saeculis exercuerit, id utique in nostris additamentis, quae sequuntur, luculentissime demonstrabimus.

fuerit ad aequale ius Episcopo alexandrino confirmandum 3: quia Romanam Ecclesiam S. Petrus per se αμεσως fundaverit, neque fundatam dein reliquerit, sed eamdem per annos XXV. rexerit, ibidem mortem obierit, ac sui corpusculi deposito honestarit: *Simon Petrus*, ita Hieronymus de viris illustribus in Petro, *Romam pergit, ibique XXV. annis cathedram sacerdotalem tenuit usque ad ultimum Neronis annum, a quo et adfixus cruci martyrio coronatus est capite ad terram verso.*

ADDITAMENTA

DE ROMANO PATRIARCHATU (1).

I. Quum nicaeni Patres alexandrini patriarchatus amplitudinem apertissime decernant, de Romano vero reticeant (2), hinc de huiusce finibus gravissima inter eruditos enata est controversia. Etsi autem omnes conveniant sequioribus Ecclesiae saeculis in solidi Occidentis regiones Romanum Pontificem patriarchica iura exercuisse, de ipsius tamen potestate primis aerae christianae aetatibus maxime inter se dissentiunt. Huiusce dissidii materiam praebuit quoque sequens canonis VI. Nicaenae synodi interpretatio prorsus arbitraria a Rufino edita (3): *ut apud Alexandrinum, ait, et in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Aegypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Ne adolescentibus igitur rei ecclesiasticae parum peritis errandi occasio detur, nonnulla heic veterum scriptorum monumenta attexenda duximus, quibus Apostolicam Sedem patriarchica iura in totius Occidentis provincias semper exercuisse aperte demonstratur.

II. Et principio potiora Patriarcharum iura, quae tamquam nativam eorumdem potestatem constituunt, profecto sunt. I. Synodum dioeceseos indicere, eidemque praeesse. II. Metropolitas initiare. III. Appellationes a provinciae synodis recipere. At Romanum Patriarcham isthaec iura vel primis Ecclesiae saeculis per totam occiduam terram, quanta quanta erat, atque etiam per totum Illyricum exercuisse veterum scriptorum auctoritas maximopere evincit.

III. Et sane quod spectat ad synodi indicendae potestatem, primo nobis occurrit vetus exemplum saeculo III. ineunte sub Cornelii pontificatu. Is enim, uti narrat Eusebius (4), epistolas misit ad Fabium Antiochenum, in quibus erant *tum acta synodi romae habita* (quae Novatiani haeresim damnarunt) *tum quae ab omnibus in Italia, in Africa, inque aliis provinciis de eo errore statuta sunt:* mox vero addit in extrema eius epistola omnium Episcoporum subscriptionem conspici. Rursus Liberium Pontificem

(1) Quaedam argumenta in hoc additamento collecta hausimus ex aurea disquisitione clariss. Antonii Octaviani *de veteribus finibus Romani Patriarchatus* edita Neap. an. 1828.—(2) Can. VI.—(3) Lib. II. hist. ecc. cap. IV.
(4) Lib. VI. hist. ecc. cap. 43.

anno circiter 336. ad Orientalis Ecclesiae Antistites synodicas epistolas misisse testatur Socrates hac inscriptione: *Liberius Episcopus, et Occidentis Episcopi salutem* (1), et advertit Sozomenus non solum decreta romanae synodi contra Arii sectatores illas continere, sed etiam ea omnia, quae Itali, Afri, Galli, Siculi adversus haeresim, quae ubique grassabatur, sanxerunt (2). Cum ergo Pontifices in suis litteris decreta inseruissent, quae in Italiae, Africae, aliisque Occidentalis Ecclesiae regionibus ferebantur, clare patet easdem synodos ad illos pertinuisse.

IV. Praeterea in epistola ephesinae synodi ad Theodosium missa Coelestini Pontificis legatos *totius Occidentis synodi sententiam exposuisse* legimus. His autem verbis illud explicatur, quod Philippus Apostolicae Sedis legatus manifeste asserit, nestorianas scilicet blasphemias consentiente totius orbis Ecclesia fuisse proscriptas (3): *nam orientalis, inquit, atque occidentalis Ecclesiae sacerdotes vel per se, vel certe per suos legatos* (ad Romanum Pontificem missos) *sacerdotali huic comitio intersunt* (4). Quamobrem ex praemissis illud aperte eruitur vel aliquos ex totius Occidentis provinciis Antistites Romam ad concilium convenisse, vel ipsius romanae synodi decreta Ecclesiis omnibus missa unanimi Episcoporum consensione comprobata fuisse. Utrumque vero luculentissime demonstrat occidentalis dioecesis provincias Romanae Sedi paruisse, unumque concilium conflasse. Quod si Afri, Galli, Hispani, et Illyrici Antistites Romanae Sedi potestati subiecti non essent, non per Pontificis legatos, sed profecto vel per se, vel per suos legatos illi synodo adfuissent.

V. Huc accedit Agathonis Pontificis alia epistola synodica romani concilii, quae sic inscripta erat (5): *Agatho Episcopus servus servorum Dei cum omnibus synodis ad Apostolicae Sedis synodos pertinentibus.* Quibusnam vero Episcopis illa concilia conflata fuissent, ultro aperit idem Pontifex (6): *ad oceani usque fines exporrigi ad occidentem, ac septentrionem habitare inter longobardos, et sclavos, inter francos, gothos, ac britannos versari*, quod nimirum est per universam occiduam regionem, ac proinde omnes Episcopos ad romanam synodum primis Ecclesiae saeculis pertinuisse, ex praemissis exploratissimum est.

VI. Quod vero ad alterum patriarchalis iurisdictionis ius, Episcopos scilicet, ac praesertim Metropolitanos consecrandi, id profecto in solidi Occidentis regiones, atque in totum Illyricum ad Romanum Pontificem spectasse compertissimum est (7). Enimvero id plane eruitur ex eo, quod de synodi indicendae potestate modo ostendimus ex regula iuris: *qui Episcopi pertinent ad consecrationem, pertinent et ad synodum.* Praeterea Antistites omnes, et praecipue Metropolitani in cunctas occidentis dioeceses puniri non poterant, nisi a Romano Pontifice, vel ab illis, quos ipse iudices constituebat ex altera iuris canonici regula (8), *qui aliquem ordinare non potuit, nec iudicare potest.* Hoc autem apertissime etiam demonstrat epistola romanae synodi sub Damaso habitae anno circiter 378. ad Gratianum,

(1) Lib. IV. cap. 12. — (2) Lib. VI. cap. 12.

(3) Synod. epist. ephes. concil. ad Theodosium imperat. — (4) Act. III. ephes. concil. — (5) Act. IV. — (6) Ibidem.

(7) Videsis laud. disquisit. cap. II. art. 2. — (8) Cap. III. nullus tit. de parrochiis.

et Valentinianum imperatores. In eadem legimus eiusdem concilii Patres ab imperatoribus petiisse, ne Pastores a Romana Sede damnati Ecclesias impune retinerent. Ipsa synodi verba audire non pigeat: « quaesumus clementiam vestram, ut iubere pietas vestra dignetur, ut quicumque, vel » eius (Damasi), vel nostri iudicio, qui catholici sumus, fuerit condemnatus, atque iniuste voluerit Ecclesiam retinere, vel vocatus a sacerdotali iudicio per contumaciam non adesse, seu ab illustribus viris praefectis » praetorio Italiae vestrae, sive a vicario accitus ad Urbem Romam veniat, » aut si in longinquioribus partibus huiusmodi emerserit quaestio, ad Metropolitani per locorum iudicia deducatur examen: vel si ipse Metropolitanus » est, Romam necessario, vel ad eos, quos Romanus Episcopus iudices dederit, contendere sine dilatione iubeatur. » Hisce sane verbis illud sponte fluere videtur provinciales Antistites cuiusque Metropolitani iudicio subesse, aeque ac Metropolitanos ipsos a Romano Pontifice dumtaxat ordinari posse. Hoc vero postulabat et Damasus romanae urbis Praesul, et omnes Italiae sacerdotes in concilio congregati. Quibus postulationibus, quippe quae legitima, et vetera Romani Praesulis iura continerent, Gratianum imperatorem benigne annuisse colligimus ex eius rescripto ad Aquilinum urbis vicarium (1).

VII. Illud quoque animadvertendum censemus ipsum imperatorem non solum praefecto praetorii Italiae, verum etiam praefecto praetorii Galliae, et proconsulibus quidquid eodem rescripto sanxit, exequi praecepisse, cum nimirum explorata res esset priscis Ecclesiae saeculis patriarchica iura in cunctas Occidentis regiones Romanum Pontificem exercuisse: « volumus inquit...., ut qui evocatus ad sacerdotale iudicium per contumaciam non » ivisset, aut ab illustribus viris praefectis praetorio Galliae, atque Italiae, » sive a proconsulibus, et vicariis auctoritate adhibita ad episcopale iudicium remittatur, vel ad urbem romam cum prosecutione perveniat » (2).

VIII. Iamvero ex veteri Ecclesiae disciplina, tum in Oriente, tum in Occidente vigente duo aperte colliguntur: alterum quod in Patriarchas dumtaxat Romanus Pontifex animadvertere posset: alterum quod in Metropolitas proprius Patriarcha iurisdictionem ordinariam exerceret, ac proinde nulla provinciae Episcopis in Metropolitanos auctoritas fuit. Ad primum quod spectat, extant profecto luculentissima testimonia. Et sane cum Athanasius alexandrinus a sua Ecclesia quadam coacta synodo eiectus esset, Iulius Papa eusebianos maxime reprehendit, quippe quod id decrevit synodus sine Romanae Sedis consensu. Tum Coelestinus Pontifex anno circiter 430 Romae concilium indixit, ut nestorianam haeresim grassantem damnaret: in eadem statuit, ut si Nestorius in suis erroribus persisteret, Ecclesiae communione privaretur: deinde Cyrillum alexandrinum vicarium suum constituit, iussitque ut Nestorio illud decretum aperiret: quod si contumax ille fieret, alium Antistitem constantinopolitanae Ecclesiae praeficere curaret. Postremo universa Ecclesia in concilio Ephesi habito in synodica epistola ad Coelestinum missa, cum de Ioannis antiocheni iniuriis permulta dixisset, quippe quod Cyrillum alexandrinum, et Memnonem ephesinum Episcopum, indicta synodo, temere amovisset, apertissime docuit nullam in

(1) Eodem tom. II. concil. — (2) Ibidem.

ipsos iurisdictionem illi esse. Isthaec sunt synodi verba (1): *indignetur ergo*, inquiunt Patres, *tua reverentia valde ob ea, quae gesta sunt: si enim data fuerit volentibus licentia, et maiores sedes minoris officiendi, et contra eos, in quos non habent potestatem contra leges sic, et contra canones proferendi sententiam..... ad extremam confusionem redigentur res ecclesiae*. Quare ex praemissis liquido patet ex veteris Ecclesiae disciplinae regulis nulli Patriarchae licere, excepto Romano Pontifice, in alium Patriarcham animadvertere.

IX. Ad alterum quod spectat: quicumque de iuribus Patriarcharum egerunt, eamdem doctrinam habent, et tum exempla, tum canones, tum hierarchiae ipsius rationem vades dederunt. Videsis Leonem Allatium de Eccles. Occid., et Orient, perpet. consens (2)., Emmanuelem Schelestratum (3), et Morinum (4).

X. Reliquum tandem est ut maxima, qua poterimus brevitate appellationum ius primis Ecclesiae saeculis ex totius occidentalis Ecclesiae synodis ad Romani Pontificis patriarchicam potestatem pertinuisse ex re historico-ecclesiastica demonstremus.

Et principio illud observatu dignum quod appellationum ius ad Romanum Pontificem praecipue spectat ratione primatus, quo in universum dominicum gregem per totum Orbem dispersum iure divino gaudet, ita ut sine ipso sacer principatus concipi nequeat. Hinc sapientissime adfirmavit Benedictus XIV. (5): *appellationum ius adeo necessario connexum cum Romani Pontificis in universam Ecclesiam iurisdictionis primatu, ut nemo possit illud in controversiam adducere*. Quamobrem immensam prorsus appellationum segetem veterum monumenta quolibet aevo suppeditare videntur, ex quibus exempla ad Orientem pertinentia plurima collegit Thomassinus (6): ad Occidentales vero provincias quae spectant, breviter huc adferemus, ut patriarchalis Romani Pontificis iurisdictio, de qua agimus, luculentius pateat.

Et sane Privatum Lambesitanae Ecclesiae in Africa Antistitem ad Romanum Clerum provocasse, schismaticos Afros Fortunatum, et Felicissimum ad Cornelium Pontificem, Basilidem, et Martialem Hispaniae Episcopos a provinciae conciliis damnati tertio ineunte saeculo ad Stephanum Petri Successorem confugisse ex Cypriani epistolis edocemur (7): idque factum ante sardicense concilium, quod anno 347. indictum fuit. Tum quinto aerae christianae saeculo Romani Antistitis iudicium reclamarunt sub Innocentio scilicet Bubalius, et Taurianus Illyrici Episcopi (8): sub Zosimo Apiarius africanae Ecclesiae sacerdos (9): sub Bonifacio Antonius Fussalensis in Africa Episcopus (10): sub Coelestino Felix illyrici Episcopus (11): sub Leone Chelidonius, et Proiectus Galliani Praesules (12): atque Lucipinus

(1) Epist. concil. ephes. ad Coelestinum tom. III. concil.

(2) Lib. I. cap. 12. pag. 188. colon. 1648. — (3) Antiq. ecc. tom. II. diss. VI. pag. 409. — (4) Exercit. eccles. Lib. I. exercit. VI. pag. 17. Paris 1666. — (5) Synod. dioeces. lib. IV. cap. 5. — (6) De veteri, et nova Eccl. discip. — (7) Epist. 55. et 68 edit. pamel.

(8) Epist. 18 Innocent. ad Illyrici Episcopos. — (9) Epist. africani concilii anno 419. ad Bonifacium Pontif. tom III. concil. — (10) Augustin. epist. 209. — (11) Epist. III. Coelestini apud Constant. — (12) Leo epist. 89. ad viennensis prov. Epis. —

afer Antistes (1). In sequenti saeculo ad Petri Successorem provocarunt quoque sub Agapeto Contumeliosus gallicanae Ecclesiae Episcopus (2): sub Pelagio I. Sepaudus arelatensis Antistes (3): sub Ioanne III. Episcopi Galli Sagittarius, et Salonius (4): sub Gregorio M. hispani Praesules Ianuarius, et Stephanus (5): necnon ex Afris Petrus (6), et Paullus (7) Episcopi.

At ne diutius in re tam perspicua immorer, permulta praesertim sequioris aetatis monumenta omitto. Illud tamen hic advertere non pigeat quod frequentiores, quam alibi Occidentalis Ecclesiae ad Romanum Pontificem fuerint appellationes, eo quod hae magis ad ipsum spectabant ob patriarchicam eius dignitatem. Extat ad rem Leonis testimonium, qui in epistola ad viennensis provinciae Antistites haec scribit (8): » nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem pro sua reverentia a vestrae etiam provinciae sacerdotalibus innumeris relationibus esse consultam, et per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem caussarum aut retractata, aut confirmata fuisse iudicia. » Quibus sane verbis aperte colligitur frequentiores fuisse etiam gallicanae Ecclesiae appellationes: ideoque illas non quinto aerae christianae saeculo, uti perperam asserit Quesnellius (9) locum habuisse, sed veteri consuetudine obtinuisse: denique easdem fuisse veri nominis appellationes, quippe quod iudicia ecclesiastica, caussa denuo exagitata, aut retractata, aut confirmata fuerunt.

Igitur ex his omnibus, quae hactenus enucleavimus, satis nobis illa, quae exposuimus probasse videntur, Christi nempe Vicarium, et Petri Successorem in universam occiduam terram priscis Ecclesiae saeculis patriarchica iura exercuisse. Quamobrem haec de veteribus Romani patriarchatus finibus satis sunto: nostraeque additioni finem imponamus oportet.

De patriarchatu constantinopolitano

XXIV. Igitur ad IV. usque saeculum nonnisi tres in Ecclesia agniti patriarchae, scilicet Romanus, Alexandrinus, et Antiochenus. At eodem saeculo tres alii adparent Patriarchae, nimirum Ephesinus in dioecesi asiana, Caesareensis in pontica, et Heracleensis in thracia. Hi sane specialibus quibusdam Patriarcharum Romani potissimum, et Alexandrini iuribus non fruebantur; at praecipua si inspiciamus, profecto veros fuisse Patriarchas haud negabimus. Ordinabantur enim ab omnibus dioeceseos Episcopis, suarum dioeceseon indicebant synodos, aliaque magis propria Patriarcharum iura exercebant. Neque negotium facessat, quod Exarchorum, haud vero Patriarcharum titulo donati fuerint: antiquitus enim, uti supra notavimus, ad dioeceseon Episcopos designandos promiscue Patriarchae, et Exarchi adhibebantur adpellationes.

(1) Idem epist. 87. ad africanos Mauritanae Epis. — (2) Epist. 8. Agapeti conc. rom. tom. V. — (3) Epist. XIV. Pelagii tom. VI. concil. — (4) Gregorius turon. lib. V., hist. cap. 21. — (5) Idem lib. XIII. epist. 45. ad Ioannem defensorem. — (6) Idem lib. VI. epist. 37 ad Columbum Episcopum Numidiae.
(7) Idem lib. VIII epist. 13: ad Columbum Episcopum Numidiae.
(8) Epist. LXXXIX. — (9) Diss. V. ad opera S. Leonis part. I. cap. XIV; et seq.

XXV. Ex tribus hisce exarchatibus unus emersit constantinopolitanae Ecclesiae patriarchatus. Quamvis enim Episcopo Bizantino (1), nonnisi honoris praerogativa post Romanum concessa fuerit; at deinceps faventibus imperatoribus, ac ipsius Urbis splendore id ferente, quamdam in tres illas dioeceses potestatem exercere coepit, donec tandem in synodo chalcedonensi, reclamantibus tamen Romanae. Sedis legatis, Episcopo constantinopolitano in tres illas dioeceses ius patriarchicum concessum est.

XXVI. Intercesserunt quidem huic novitati R. Pontifices, atque in primis. S. Leo, et Gelasius violatam dolentes politiam in synodo nicaena inductam, vel dumtaxat confirmatam. At Episcopi constantinopolitani imperatorum freti auctoritate, praecipue vero Theodosii (2), Basilisci Tyranni (3), Zenonis (4), ac demum Iustiniani (5), patriarchica iura exercere non destiterunt, donec tandem primum in synodo VIII. (6), dein et in lateranensi IV. (7) constitutum fuerit, *ut post Romanam Ecclesiam, quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universarum christi fidelium, et magistra, constantinopolitana primum, alexandrina secundum, antiochena tertium, hierosolymitana quartum locum obtineat, servata cuilibet propria dignitate.*

XXVII. Quinimmo VII. ineunte saeculo agente Leone Isaurico R. Pontificibus infenso, specioso Romanam dioecesim decurtandi praetextu, romano patriarchatui subtracta sunt, et constantinopolitano addicta Illyricum, Epirum, Achaia, Macedonia, atque adeo etiam Sicilia, ac plurimae regni neapolitani Ecclesiae, praesertim maritimae, quae sub graeco erant imperio. R. quidem Pontifices, et Occidentis imperatores acriter hac de re Patriarchis, et imperatoribus Orientis restitere: sed occidentalium conatus, et vota pervicacia orientalium secundis rebus caruere ad saeculum usque XI., quo Northomanni principes nostri, graecis devictis, suas R. Pontifici Ecclesias omnes cum pristinis iuribus restituere.

De patriarchatu hierosolymitano

XXVIII. Uti ob sedem imperialem constantinopolitana, ita ob sanctitatem urbis hierosolymitana Ecclesia patriarchatum obtinuit. Concilio quidem nicaeno (8), nonnisi honoris praerogativa Episcopo hierosolymitano tributa est, *metropoli*, nimirum caesareensi, cui tanquam suffraganeus suberat, *propria dignitate servata.* Verum Episcopi hierosolymitani hanc praerogativam non satis habentes, primum iura Metropolitae caesareensis, dein ut Palestinae subiectionem sibi vindicare tentarunt. Adversus huiusmodi usurpationes magnis animis agentibus Episcopis antiocheno, et caesareense, quorum iura Episcopi hierosolymitani ambitione violabantur, controversia ad synodum usque chalcedonensem protracta est, in qua (9) Maximi antiochensium, et Iuvenalis hierosolymorum Episcopi consensione statutum est, ut *antiochenus Episcopus duas Phaenicias, et Arabiam sub propria habeat potestate; hierosolymitanus autem tres Palaestinas itidem*

(1) Can. III. conc. constantinop. — (2) Socrates lib. IX. cap. 28. — (3) Evagrius lib. III. cap. 4. — (4) L. XVI. cod. de sacros. Eccles. — (5) Nov. CXXXI. cap. 2. (6) Can. VII. dist. 22. — (7) Can. V. —(8) Cap. VI. — (9) Act. VIII.

sub propria habeat potestate. Igitur ab synodi chalcedonensis tempore iam quinque recensiti sunt Patriarchae, Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, et Hierosolymitanus.

De Primatibus in Ecclesia occidentali

XXIX. Patriarchis in Oriente respondent quodammodo iu Occidente Primates, seu potius Sedis Apostolicae legati, ut thessalonicensis per Illyricum, et arelatensis per Gallias. Iisdem poene fruebantur iuribus, ac Patriarchae Orientis, nisi quod non potestate patriarchica ea exercerent, sed potius iure a R. Pontificibus mutuato, quorum vice fungebantur. Quamobrem iidem fuisse videntur atque illi, quos posterior aetas *legatos natos* dixit

XXX. Verum X. ineunte saeculo receptis per Occidentem putidis Isidori mercibus, primum per Pontifices instituti sunt Primates bituricensis, cantuariensis, lugdunensis, narbonensis, armachanus, aliique, quibus a Metropolitis adpellationes concessae, et ius etiam datum anteferendae crucis. In regno neapolitano salernitani Archiepiscopi primatus certo constat. Profecto Urbanus II constitutione edita salerni an. 1099. Alphanum Metropolitam salernitanum, eiusque successores primatis praerogativa auxit in Metropolitas acheruntinum, et compsanum, atque eorumdem Episcopos suffraganeos, quibus obedientiae iuramentum ipsi, tanquam Primati, praestandum iussit. Tum omnes earumdem provinciarum Episcoporum electiones ipso Archiepiscopo Primate praesente, ac dirigente peragendas decrevit. Videsis baronium (1), et Ughellum (2).

XXXI. Porro hi quoque primatus successu temporis exoleverunt, adeo ut Primates, qui supersunt, tales sint titulo tenus, uno excepto lugdunensi, ad quem, testibus Petro de Marca (3), et Fleuryo (4), adpellatur a sententiis Metropolitarum turonensis, senonensis, et parisiensis. Igitur occidentales hi primates, veluti medii erant inter Patriarchas, et Metropolitas, dum simul et Metropolitis praeerant, et R. Pontifici tamquam occidentis Patriarchae suberant.

De Patriarchis latinis titularibus.

XXXII. Iam vero, ut ad orientales Ecclesias redeamus, quum plerique Orientis Episcopi, et Patriarchae ab obedientia Romani Pontificis descivissent, et in variorum errorum tenebris versarentur, hinc factum est, ut pro sectarum multitudine, ac varietate multi emersermt Patriarchae, partim ex ruinis patriarchatuum antiocheni, et hierosolymitani, et partim ex divisionibus patriarchatuum alexandrini, et constantinopolitani. Hi sunt Iacobita, et Maronita, quorum uterque antiocheni nomen adsumit, Cophtus, qui, quum alexandriae sedeat, alexandrini Patriarchae titulum sibi tribuit, Armeni duo, aliique plurimi, quos vide apud Thomass. (5). Ex huiusmodi orientalibus Patriarchis solus Marouita catholicus est, et in perfecta com-

(1) Baron. ad ann. 1099 — (2) In Archiep. salernit. — (3) Dissert. de primat. n. 122. — (4) Instit. eccl. part. 1. cap. XIV. n. 6. — (5) Part. 1. lib. 1. cap. 24.

munione cum Ecclesia Romana persistit,alii suos aliquando ciurarunt errores, sed eorum fides non diu perstitit.

XXXII. Patriarchae latini constantinopolitanus, alexandrinus, antiochenus, et hierosolymitanus tales sunt titulo tenus, quum tantummodo patriarchalibus insignibus, ot consessus praerogativa fruantur. Horum Patriarcharum origo, uti et caeterorum Episcoporum titularium, ex Patriarchis, et Episcopis repetenda est, quos in subacta primum Palaestina, dein et in debellato constantinopolitano imperio latina Ecclesia constituit. Quamvis enim huiusmodi regiones in hostium redierint ditionem, unde earum latini Antistites exules facti sunt, variis tamen ex caussis, quas enumerat Thomass. (1) suos, licet titulo tenus, successores habuerunt. Sed et antiquiora Episcoporum titularium exempla inveniri posse observat idem auctor (2).

XXXIV. Sunt et alii Patriarchae minores, qui, ipsis R. Pontificibus, deferentibus, et titulum, et honores habent patriarchicos; et hi sunt aquileiensis, et venetus, quibus postea indianus, et lusitanus accessere. Videsis Carolum Gagliardum (3).

TITULUS XIII.

DE METROPOLITIS

Metropolitarum origo

I. Metropolitarum origo apostolicae institutioni omnino tribuenda videtur. Enimvero Eusebius (4) Chrysostomus (5) Tito Ecclesiarum in Creta insula, et Timotheo totius asianae provinciae gubernationem a D. Paulo concreditam aperte statuunt, qui deinceps Episcopos in variis earumdem provinciarum urbibus constituerint. Num vero Apostoli omnibus, ac singulis provinciis eiusmodi Metropolitas praefecerint, recte quaeri potest. Verosimilior videtur Petri de Marca sententia, qui censet (6) Apostolos in Timotheo, Tito, et fortasse etiam in aliis a se in principibus civitatibus constitutis Episcopis specimen quoddam metropoliticae potestatis dedisse, executionem vero, et complementum sequentibus temporibus reliquisse.

II. Adhaec quum identidem haereses, et schismata erumperent, tum inter Episcopos controversiae oborirentur, fortasse illud maxime opportunum visum fuit, unum aliquem in singulis provinciis Episcopum constituere, cuius ad arbitrium oborti casus referrentur; atque ita tum Fidei tuendae, tum paci ecclesiasticae fovendae consultum foret, id vero non multo post apostolorum aetatem.

III. Profecto canones sic dicti apostolici (7) τȣ πρωτȣ meminere, seu primarii in quavis provincia Episcopi, quem reliqui, *ceu caput τηv Κεφαλην agnoscant, et nihil faciant, quod sit arduum, aut magni momenti prae-*

(1) Lib. cit. cap. 26. — (2) Ibidem cap. 27., et 28. — (3) Inst. can. lib. 1. tit. 14.
(4) Lib. III. cap. 4. — (5) Hom. I. in epist. ad Titum. — (6) Lib. VI. cap. I. n. 9. — (7) Can. XXXIII.

ter illius sententiam. Synodus illiberitana (1) *de primae cathedrae Episcopo* loquitur; tum Irenaeum lugdunensem caeteris Galliae Episcopis praefuisse scribit Eusebius (2). Igitur iam inde ab Apostolorum aetate Metropolitarum vestigia adparent, at vero nullibi ante concilium nicaenum, nomen illud invenies; primitus enim dicebantur Πρωτοι Κεφαλαι, *primae cathedrae Episcopi, Primates provinciae, principes, et primae sedis Episcopi.*

IV. In Africa Metropolitani, qui ex concilii carthaginensi. III. (3), *primae sedis Episcopi* dicendi erant, interdum adpellati inveniuntur *Patres*, *et senes*, uti ex codice africano (4), et ex multis Augustini epistolis (5), aliisque colligitur: cuius nominis illa ratio est, quod, sola Carthagine excepta, cuius Episcopus firmiter provinciae *Africae* sic dictae Metropolitanus habebatur, in reliquis provinciis, primatus, seu ius metropoliticum de civitate alia in aliam transferebatur, et semper cum seniore provinciae Episcopo migrabat; uti ex concilii Milevitano I. (6), et ex pluribus Augustini epistolis, perspicuum est.

V. Quinimmo et Episcopo seniori ubi contigerit haud recte suo munere fungi, auferri poterat, quo in casu ad proximum in ordine, qui se ante reliquos omnes consecratum probasse, devolvebatur (7) In aliis etiam provinciis quid simile accidebat, ubi Metropolita a recta legum norma desciscerel; tunc enim munere ei ad tempus abrogato, primatus plerumque seniori in provincia committebatur (8).

VI. Metropolitae igitur sunt Episcoporum provinciae Praesules, dicti Metropolitae ex eo, quod in urbe, quae civili politia metropolis erat, plerumque constituti essent. Quinimmo IV., et V. saeculo ius metropoliticum ecclesiasticum cum civili adeo coniunctum erat, ut synodus taurinensis an. 397 (9). decreverit: *qui ex iis comprobaverit suam civitatem esse metropolim, is totius provinciae primatum obtineat.* Et chalcedonensis (10): *si qua vero civitas potestate imperiali novata est, aut si protinus innovetur, civiles dispositiones, et publicas, ecclesiasticarum quoque parochiarum ordines subsequantur:* hinc, uti ad rem observat Christ. Lupus (11), *divisa per principem provincia quomodo duos proconsules, aut rectores civiles, ita duos acciperet metropolitas.*

VII. In regionibus, quae modo regnum neapolitanum constituunt, num antiquitus fuerint Metropolitani gravis inter eruditos, nec adhuc finita lis est. Plerique ad VIII. usque saeculum nullos fuisse censent, atque adeo R. Pontificem Ecclesiarum suburbicariarum Metropolitam duntaxat faciunt. At contra Petrus de Marca (12) contendit iam inde ab IV. sacculo, tum in reliquis, tum vel maxime in iis suburbicariis provinciis, quae ad regnum neapolitanum pertinent, metropolitas, Metropoles, et provincias ecclesiasticas agnoscendas, idque pluribus, nec contemnendis ex antiquis monumentis desumptis rationibus demonstrat. Quaenam hoc in capite nobis sententia adrideat, in nostris *antiquitatibus christianis* aperiemus.

(1) Can. LVIII. — (2) Lib. V. cap. XXIII. — (3) Can. XXVI.— (4) Can. XC. —(5) Epist. CXXXVI. CXLIX. CLII. CCXXXV.—(6) In cod. afric. can. CCXXXIV. — (7) August. ep. 261. — (8) Eusebius cap. XXIII.
(9) Can. I. — (10) Can. XVII.—(11) Schol. in can XII. chalced.—(12) Conc. sac., et imp. lib. I. cap. 7.

VIII. Saeculo VIII., uti *tit. super.* indicavimus, quum Sicilia, ac plures regni neapolitani praesertim maritimae Ecclesiae ab Romano Patriarchatu avulsae, throno constantinopolitano adnexae fuerint, patriarcha constantinopolitanus, uti Episcopum syracusanum per Siciliam, ita Episcopos rheginum, et S.Severinae per Calabriam Metropolitas constituit: Nilus doxopatrius (1), et nov.Leonis imp.apud Leunclavium (2). In eadem novella recensentur Episcopi eorumdem trium Metropolitarum suffraganei:scilicet num. *XXXII. Rhegiensi, sive Calabriae 1. Bibonensis. II. Taurianae. III. Locridis. IV. Rusiani. V. Scilacii. VI. Tropaei. VII. Amanteae: VIII. Crotonae. IX. Constantiensis. X. Nicoterensis. XI. Bisuniani. XII. Novocastrensis. XIII. Cassani.* Num. *XLIX. Severianae, Calabriae. 1, Eurysatensis. II. Acerentinus. III. Callipolitanus. IV. Aisylorum. V. Castriveteris. Sub Syracusano Siciliae 1. Taurominitanus. II. Messanensis. III. Agrigentinus. IV. Croniensis. V. Lilybei. VI. Drepani. VII. Panhormitanus. VIII. Thermarum. IX. Cephaludii. X. Alesae. XI. Tyndarii. XII. Melitensis. XIII. Liparensis.*

IX. Idem constantinopolitanus Patriarcha nonuullis Episcopis, quos ad metropoliticam dignitatem evehere ipsi non licuit, honorificum duntaxat Archiepiscopi titulum est elargitus:uti prae ceteris neapolitano,et messanensi. Unde in eadem Leonis novella occurrunt *Archiepiscopatus XIV. Neapolis. XV. Messana. LV. Hydrantino qui subsit, nullus est thronus.* Profecto Sergius Episcopus neapolitanus.,uti scribit Ioannes diaconus (3): *dum a graecorum Pontifice archiepiscopatum nancisceretur, ab Autistite Romano correptus veniam impetravit.* Denique secutis temporibus quum et aliae regni neapolitani civitates ab ditione langobardica a graecis subtractae fuissent earumdem quoque Ecclesiae throno constantinopolitano adscriptae sunt, uti Tarentum, Brundusium,Tranum.Unde Doxopatrius (4): *Melodusae poeta dominus Marcus, Hydruntum a constantinopolitano missus fuisse comperitur. Cum autem universae Longobardiae ducatus, quae vetus hellas erat, sub imperatore erat constantinopolitano, Papa vero separatus cum aliis gentibus vivebat, propterea Patriarcha Ecclesias obtinebat;nam Brundusium,et Tarentum a constantinopolitano sacerdotes accipiebant; idque nullum latet.* Quinimmo Episcopus bariensis ad Metropolitae dignitatem evectus est, ipsique duodecim suffraganei adsignati sunt.Auctor hist. civil.neap.(5). Uti quoque Luitprandus cremonensis Episcopus (6) refert Episcopos acheruntinum, turcicum, gravinensem, materanum, et tricaricensem fuisse per Nicephorum Phocam subiectos Metropolitae hydruntino.

X. Dum res ita se habebant in provinciis throno constantinopolitano subiectis, in reliquis regni neapolitani medio saeculo IX. R. Pontifices quasdam magis conspicuas Ecclesias in Metropoles ecclesiasticas evehere coeperunt. Ac primo eiusmodi dignitatem promeruere campana, beneventana, neapolitana, salernitana, amalphitana, et surrentina, quibus suffra-

(1) De quinque thronis patriarchalibus apud Allatium de Ecc. orient. et occid. perpet. cons. — (2) Iur. graec. rom. tom. I. — (3) In Chron. Episc. neap.
(4) Ibidem. — (5) Lib. VIII. cap. VI. —(6) Legat. ad Nicephorum Phocam pro othonib.

ganeae adtributae sunt Ecclesiae. Quod institutum dein in omnibus regni provinciis servatum est, ac postremo complementum accepit postquam northmanni principes nostri, graecis devictis suas R. Pontificibus Ecclesias restituerunt.

XI. Episcopi igitur, qui Metropolitis subsunt, vocantur *suffraganei*, hoc est *auxiliares* (1). Qui licet olim decem minimum esse deberent, tamen usu receptum est, ut etiam longe minores numero esse possint. Metropolita neapolitanus quatuor habet suffraganeos Episcopos, scilicet acerranum, isclanum, nolanum, et puteolanum. Quinimmo Metropolita nomen, et dignitatem metropoliticam perpetuo retinet, licet suffraganeos amittat.

Metropolitarum iura

XII. Ad iura quod spectat, praecipua erant 1. Episcoporum suffraganeorum electiones confirmare, eosdemque Metropolita a sua provinciali synodo confirmandus erat.

2. Controversias inter suffraganeos subortas auctoritate sua decidere, ab iisque acceptare provocationem.

3. Indicere synodum provinciae, eidemque praesidere.

4. Totius provinciae Ecclesias invisere, et in inductos canonum neglectus, aliasque pravas consuetudines inquirere. Verum ex concilio tridentino (2). hoc iure Metropolita, uti nequit, nisi sua dioecesi prius lustrata, et ex caussa cognita, probataque in synodo provinciali.

5. Episcopus in suo munere adimplendo negligentes instar patris, et doctrinis monere, et corrigere.

6. Ecclesiasticos canones, ac imperiales sanctiones ad ecclesiasticum regimen pertinentes evulgare, suffraganeis communicare, et providere, ut observentur.

7. Ubi sedes aliqua episcopalis intra suam provinciam vacaret, eius curam gerere, negotia dirigere, reditus in tuto ponere, maturamque novi Episcopi electionem procurare.

8. In diem, quo pascha celebrandum esset, inquirere, de eoque provinciae Episcopos admonere.

9. Denique iure decretalium vicarium capitularem sede vacante constituere, si Capitulum infra octo dies ab Episcopi morte eum eligere neglexerit (3).

XIII. Iure tridentini, veluti ordinarius Coepiscoporum superior, potest eos quolibet saltem triennio ad provincialem synodum cogere (4): negligentes ad officium revocare, absentes vero a suis Ecclesiis etiam per fructuum subtractionem ad residendum compellere (5).

XIV. Porro iure novo Metropolitis in dioeceses suffraganeas, sive in Coepiscoporum subditos nullam exercere licet iurisdictionem, nisi 1. in caussa adpellationis. 2. in actu visitationis. 3. in casu devolutionis (6) ex ale-

(1) Cap. II. de electione — (2) Sess. XXIV. ref. cap. III.
(3) Cap. IV. de supplenda negligentia Praelatorum in VI. — (4) Trid. sess. XXIV. ref. cap. 2. — (5) Idem sess. XXIII. ref. cap. I. et Pius IV. in const. X. quae incipit: *de salute gregis*. — (6) Can. I. seq. caus. 9. qu. III. in cap. 1 de officio legati.

xandri III. decret. sancitur: *Archiepiscopus metropolitico iure audire non debet caussas de episcopalibus, nisi per adpellationem deferantur.*

TITULUS XIV.

DE PALLIO METROPOLITICO

I. Praecipuum Metropolitarum insigne est *pallium*, dictum a graecis Ωμοφοριον, lanea scilicet fascia nigris crucibus distincta humeris imposita in circuli forma, atque ante pectus, inque humeros deorsum pendens, significans pastoralis officii pro ovium salute sollicitudinem, et amplitudinem potestatis, sumptum ex altari, ubi conditum est B. Petri corpus, adeo ut ex eodem B. Petri corpore sumptum vulgo dicatur (1).

II. Pallium quod secutis temporibus Metropolitarum potius ornamentum fuit, quam indumentum, antiquitus peculiare quoddam vestimenti genus erat, quo totum corpus amiciebatur (2): *corpus eius texit suo pallio*, et *Hyppias gloriatus est pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se manu sua confecisse* (3). Idem ex binis Pelagii ad Sepandum arelatensem epistolis, et ex altera Gregorii M. ad Marinianum ravennensem perspicuum est.

III. Quinimmo principio ab imperatoribus caussa honoris, et dignitatis Patriarchis, ac forte etiam insignioribus quibusdam Metropolitis concedebatur, quippe qui Christi Sacerdotium imperialibus insignibus condecorare voluerint: istud, tum ex facto Antimi constat, qui e constantinopolitana sede expulsus pallium, quod habuit, imperatoribus reddidit (4), tum quoque ex Gregorio M. (5), qui pro Anastasio antiocheno Patriarcha apud imperatorem intercedens rogat, ut *eum concesso usu pallii romani transmitteret, quatenus si ei ad suam Eclesiam minime reverti liceret, saltem Romae in honore viveret suo.* Plura huc spectantia videsis apud Petrum de Marca (6), et apud Thomass. (7). Igitur VI. saeculo iam in usu erat pallium, quo ex imperatorum liberalitate utebantur Patriarchae.

IV. Illud quoque constat, Patriarchas acceptum ab imperatore pallium, nonnisi de eius adsensu aliis communicasse, ita Vigilius (8), et Gregorius M. (9). Verum dein factum est, ut Pontifices pallium, non requisito imperatorum adsensu, atque adeo iure nato, ac propria auctoritate concederent, ita ut neque Patriarcha constantinopolitanus, nisi permittente Pontifice, pallio uteretur. Qua in re licet per aliquod tempus (si fides Luitprando apud baronium ann. 934). varia fuerit Ecclesiae constantinopolitanae disciplina, attamen saeculo XIII. iam per latinos subacto graecorum imperio, in synodo lateranensi IV. sancitum est, ut Patriarchae, nonnisi a Pontifice pallium accipiant, quod suis deinceps impertiant suffraganeis metropolitis.

V. Occidentem quod spectat, principio Pontifices hoc honore decorarunt tantummodo Metropolitas ad suam pertinentes consecrationem, et Epi-

(1) Cap. IV. de electione. — (2) Tullius II. de divinat. 143. — (3) Idem III. de orat. 125. — (4) Liberatus in breviar. cap. XXI. — (5) Lib. I. epist. XXII. — (6) Lib. VI. cap. 6. — (7) Part. I. lib. II. cap. 35.
— (8) Epist. I. ad Auxanium. — (9) Lib. VII. epist. 5.

scopos Sedis Apostolicae vicarios, quos posterior actas *legatos natos* dixit. Istud ex epistolis Vigilii ad Auxanium, Pelagii ad Sapaudum, et Gregorii M. ad Augustinum perquam manifestum est. Unde accidit, ut Metropolitae pallii essent cupidissimi. Et quamvis initio Pontifices, nonuisi parce illud concederent, tamen post liberaliores hac in re fuerunt, adeo ut omnibus generatim Archiepiscopis illud petentibus elargirentur, donec tandem haec petitio in necessitatem abierit.

VI. Igitur iure novo in pallio pastoralis officii plenitudo cum archiepiscopalis nominis adpellatione confertur (1). Undo ne nomen quidem quis Archiepiscopi mereiur, antequam pallium receperit, sine quo prohibetur concilium provinciale celebrare, chrisma conficere, Episcopos consecrare, aliaque pastoralia exercere munia, quae cum missae sacrificio sunt obeunda (2).

VII. Archiepiscopo intra tres menses a consecratione pallium petendum est, et quidem enixis effusis praecibus ***instanter***, ***instantius***, ***instantissime*** a Summo Pontifice in concisturio Cardinalium personaliter,si adsit, absens per procuratorem, qui iuramento spondeat se reverenter delaturum illud, vel ut deferatur, curaturum. Tum pallium non conceditur, nisi praestito prius fidelitatis, et obedientiae erga Summum Pontificem iureiurando (3). Demum electus praesens in urbe pallium a primo Cardinali diacono accipit, absens vero ab aliquo Archiepiscopo, cui papa id delegaverit.

VIII. Papa quum consecratur ipse sibi pallium imponit, eoque ubique gentium, et semper utitur, quippe cuius potestas per universum christianum orbem diffunditur, caeteri veru nonuisi intra iurisdictionis suae limites, ceterisque determinatis diebus.

IX. Pallii insigne Metropolitae personae, eiusque ecclesiae ita adhaeret, ut neque alteri commodari possit, et secundum, ac tertium petendum sit, si iterum, ac tertium Ecclesiam mutet. Demum ubi Archiepiscopus sepelitur, cum eo simul pallium, vel pallia, si plura receperit, humanda sunt (4).

TITULUS XV.

DE EPISCOPIS

I. Ac primo in vocis *Episcopi* etymon inquiramus. Επισκοπος igitur graece, latine interpretatur ***inspector***, hinc Plutarchus θεοι Χρεστων επισκοποι και πονηρων εργων, ***dii bonorum inspectores***, ***iniquorumque operum***. Item ***alicui rei gerendae praefectus***, hinc idem Plutarchus in Pericle: ***omnia curabat Phidias*** παντων επισκοπος Φειδιας. Exponitur etiam ***custos*** apud Theocr. Idyl. VI. Recte igitur apud christianos sacri gregis inspectores, primique custodes, ut et aeternae salutis procurandae praefecti a primis usque temporibus dicti sunt episcopi.

II. Non modo episcopatum reliquis ecclesiasticis ordinibus praeminere,

(1) Cap. III. do auctorit., et usu pallii.—(2) Hostiens. in summa hoc tit. cap. 18. cap. 28. §. super eo de electione dist. 100 per tot.
(3) Can. IV. dist. 100. — (4) Cap. II. de auct; et usu pallii. cap. IV. de postul. praelat.

verum et Episcopos presbyteris etiam iure divino, ordine, et potestate praestare posset hic petitis ex ima ecclesiastica antiquitate monumentis demonstrari. Quod sane christianae doctrinae caput adversus haereticos sic dictos *presbyterianos* in synodo tridentina definitum est (1). Quare eius tractationem theologis relinquere iuvat, ne in alienam messem immittere falcem videamur.

III. Hac igitur ratione, quod presbyteris divina institutione praecellant, pluribus in antiqua Ecclesia honorum titulis ornati sunt. Ac 1. adpellati sunt *Apostoli*, ut a presbyteris distinguerentur: aevo namque apostolico Episcoporum, et presbyterorum nomina utriusque communia illos ab his non distinguebant (2): at dein *Apostolorum successores* dicti sunt (3), unde quaelibet Episcopi sedes *cathedra*, vel *sedes apostolica* dici consuevit (4).

2. Aliquando nuncupati etiam sunt *principes*, *rectores*, *praepositi*, *praesides*, *antistites*, et quidem plerumque cum addito *Ecclesiae*, ut a principibus saeculi distinguerentur.

3. Quinimmo quum Episcopi non populo tantum, sed etiam clericis praeessent, idcirco dicti quoque sunt *summi sacerdotes*, *pontifices maximi*, *principes sacerdotum*.

4. Quod non modo filios per Baptismum, verum et patres per sacramentum ordinis matri Ecclesiae pariant, adpellati sunt: *patres patrum*, *Episcopi Episcoporum*, *Patriarchae*, atque etiam *Papae*.

5. Demum quod ab ipsomet Christo Episcopi positi sint ad regendam Ecclesiam Dei, nuncupari quoque consueverunt *vicarii Christi*, *angeli*, *Dei*, *ac dii terreni*. His, aliisque honorifice titulis Episcopi antiquitus in Ecclesia donati sunt, quorum aliquot partim cum secundi ordinis sacerdotibus communes habebant, partim etiam cum ipso Summo R. Pontifice, sed illi speciali ratione tributos, uti suo loco diximus.

IV. Iam vero Episcopi nonnisi frequentioribus civitatibus praeficiendi: hinc synodus sardicensis constituit (5): *non licet simpliciter Episcopum constituere in aliquo pago, vel parva urbe, cui vel unus presbyter sufficit, non necesse est enim illic Episcopum constitui, ne Episcopi nomen, et auctoritas vilipendantur*. Verum haec regula non ubique adcurate servata est, quum non desinit in veteri ecclesiastica historia exempla episcopatuum etiam in parvis oppidis constitutorum, e. g. *Nanzianzus*, *Geras*, prope Pelusium, *Cucusus* in Armenia, *Dolicha*, *Olbia*, aliaque, nonnisi parva erant oppida, et tamen Episcopos habebant: idem dicas de provinciis romanis, et africanis, in quibus frequentissimi vel in oppidulis episcopatus, uti patet ex subscriptionibus conciliorum (6).

V. Porro Episcopi sive in parvis oppidulis, sive in magnis urbibus sint constituti, eamdem omnino habent Sacerdotii plenitudinem, quam Christus in sinum Patris reversurus apostolis infudit suis dicens: *sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos*. Qua de re, uti modo notavimus, *summi sa-*

(1) Sess. XXIII. cap. 7. — (2) Theodor. comm. in 1. Timot. 3, et in philipp. 1, et 2.—(3) Cyprianus epist. XLII. ad Cornelium. — (4) Sidon. Apoll. lib. VI. epist. I; et Paullinus epist. XLV.
(5) Can. VII. — (6) Videsis dissert. de Ecclesia selina cl. viri Georgii.

cerdotes passim a veteribus adpellati sunt, atque adeo S. Ignatius M. episcopis Christi adpingit personam (1): *revereamur*, inquit, *omnes Episcopum, ut Iesum Christum existentem Filium Patris.*

VI. Igitur Episcopi ἀμέσως a Christo plenitudinem accipiunt Sacerdotii; id constat.

1. Ex iisdem modo productis Christi verbis, quibus Apostolos est adlocutus: *sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos: accipite Spiritum S., quorum remiseritis*, etc: atqui Apostoli quam potestatem a Christo recte acceperant, eamdem in suos successores transfuderunt.

2. S. Paulus excitando studio, et charitati episcoporum erga Ecclesiam, eo utitur argumento, quod a Spiritu S. ad illam regendam positi sint (2): *attendite vobis, et universo gregi, in quo vos* ἔθετο *posuit* (designavit, constituit) *Spiritus S. Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

3. S. Cyprianus aperte docet Episcopos, aeque ac Apostolos fuisse, atque adeo in ipsis Apostolis fuisse, tanquam in semine, a Christo Domino institutos (3): *Apostolos, idest Episcopos, et praepositos Dominus elegit.* Quum igitur Apostoli ἀμέσως a Christo potestatem accepissent, idem profecto de Episcopis sentiendum, praesertim quum idem Cyprianus de Episcopis scribat (4): *Episcopos Ecclesiis dominicis in toto mundo divina dignatione praepositos.*

4. Ex eodem Cypriano (5), Hieronymo (6), Nicolao I. (7), aliisque veterum testimoniis perspicue educitur Episcopos Apostolis *vicaria ordinatione succedere;* tum quoque *Ecclesiam a Christo Apostolis, ac per eos, tamquam haereditario iure successoribus eorum fuisse commendatam:* denique *Episcopos, tamquam apostolico gradui succedentes, Ecclesiam Christi sponsam gubernare.* Porro de ratione successoris est suam potestatem ab eodem habere, a quo habuit praedecessor, alioquin vera successio non esset, sed nova institutio. Igitur Episcopi, iaeque ac Apostoli recte a Christo suam habent potestatem. At de his fusus theologi.

VII. Per priora Ecclesiae saecula quum simul in synodo provinciae et electio confirmaretur, et novus electus Episcopus consecraretur, hinc in potestate episcopali nulla facta est distinctio. At quum secutis temporibus confirmatio a consecratione disiungi coeperit, atque adeo opinio invaluerit solam electionis confirmationem Ecclesiae pastorem constituere, hinc in potestate episcopali *iurisdictio* ab *ordine* separata est, ita ut nomine iurisdictionis omnis potestas intelligatur, quae ordini non est adfixa: ordo vero ea tantummodo complectatur, quae Episcopo vi sacrae ordinationis conveniunt, quaeque aliis committere nequit.

VIII. Adhaec quum iure antiquo omnes prorsus hominum ordines dioecesim incolentium Episcopo subiicerentur; adeo ut S. Cyprianus scripserit (8): *scire debes episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo, et si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse*, post multa tamen saecula monachi, aliaeque conditiones hominum ab episcopali potestate eximi coepissent, hinc factum est, ut *lex dioecesana* a *lege iurisdictionis*

(1) Epist. ad tratt. — (2) Act. XX. — (3) Epist. LXV. — (4) Lib. de unitate Eccles. — (5) Epist. LXIX. — (6) Epist. I. — (7) Epist. XLVII.
(8) Epist. LXIX. ad Papian.

distingueretur: et legis iurisdictionis nomine omnis Episcopi potestas intelligeretur, quae in dando, vel faciendo consistit; ideoque utraque simul potestas modo explicata *ordinis* scilicet,et *iurisdictionis*. Nomine vero *legis dioecesanae* potestas significaretur in res ecclesiasticas,et iura Episcopo debita: qualia *cathedraticum, synodaticum*, similia, quae enumerantur (1), atque ita a lege dioecesana monachi exempti haberentur; haud vero a lege iurisdictionis, nisi eiusmodi exemptionem speciali privilegio obtinuerint.

IX. Episcopalis potestas primaeva sui origine nullis personarum, aut locorum finibus divinitus circumscripta fuit. Namque dioeceseon, sive paroeciarum distinctio nonnisi iure positivo primum inducta est: id quod pluribus constat: et quidem.

1. Apostoli, quibus Episcopi succedunt, in universum mundum ad praedicandum evangelium a Christo Domino missi sunt, qua de re ex communi, mutuoque consilio,ut Evangelium facilius disseminari posset, totum orbem, veluti in quasdam dioeceses diviserint, quarum singuli singulas erudiendas susceperunt, attamen non inde vetabantur, quocumque pervenissent, populos docere, Ecclesias fundare, iisdemque Episcopos constituere.

2. Apostoli aliquando discipulos a se rite institutos, et ordinatos ed amplas etiam dioeceses, quo ipsi pertingere non poterant, ablegare consueverunt, et quidem cum potestate alios constituendi, et ordinandi, cuius rei exemplum habemus in D. Paulo,qui Titum reliquit Cretae,*ut ea*, ait, *quae desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.*

3. Idem mire adstruitur ex ipsa episcopatus essentia, qui natura sua unus est Episcoporum multorum concordi universitate diffusus, haud secus ac ipsa Christi Ecclesia, cuius praecipuus character unitas est, licet per varias diversasque orbis regiones diffundatur. Ad rem Cipryanus (2): *episcopatus unus est, cuius a singulis pars in solidum tenetur*, institutione divina nimirum ita constitutus episcopatus, ut et potestas esset amplissima, et locus non esset circumscriptus, circumscribi tamen posset communi consilio, ac suprema Ecclesiae potestate. Qua de re quum id prestitit Ecclesia, non potestatem, sed potestati locum circumscripsit.

X. Licet antiquissimo ecclesiastico iure, atque adeo etiam institutione apostolica,Episcoporum potestas, ne confusio in Christi corpus induceretur, certis inclusa fuerit locorum limitibus, unde subdit Cyprianus (3): *singulis pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque, et gubernet*, attamen non defuerunt sanctissimi, iidemque sapientissimi Episcopi, qui ultra statutos limites, proprias scilicet paroecias, episcopalem exercerent iurisdictionem, ubi necessitas, aut salus populi, deficientibus, corruentibus, abscissis pastoribus id postularet, eo forte principio, quod episcopatus unus sit, cuius in solidum pars tenetur a singulis, adeo ut singuli in solidum obligati ad gregis salutem adcurrerent, ubi deficerent, corruerent, abscinderentur alii, quorum et locum, et onus ex charitate communi subibant. At extra necessitatem suo cuique Episcopo pars gregis circumscripto territorio, extra quod moliri aliquid vetitum, ex apostolica disciplina est. Atque hinc de S. Cypriano scribit Gregorius Nanzianze-

(1) Cap. XVI. de officio Ordinarii.—(2) Lib. de unitate Ecclesiae.—(3) Ibidem.

nus (1), quod non Ecclesiae solum carthaginiensis, ac totius Africae, verum et aliarum Ecclesiarum etiam per Orientem curam egerit. Hoc quoque faciunt exempla Athanasii, et Eusebii samosatensis: ille namque, teste Socrate (2): *ex exilio redux per pelusium iter faciens Alexandriam. . . in quibusdam Ecclesiis ordinationes fecit*; hinc vero ex theodoreto (3): *Syriam, Phoeniciam, et Palestinam militari habitu indutus peragrans presbyteros ordinavit, et diaconos, aliosque suffecit ordines ecclesiasticos: et per Syriam, Ciliciam, aliasque provincias plures Episcopos crearit* (4). Profecto hi ss. Episcopi, quum de Fidei christianae veritate adversus gliscentes haereses ageretur, suarum partium esse duxerunt manum admovere, et pro quibusvis aliis non minus, quam pro suis ipsorum dioecesibus necessitate urgente laborare, id quod nunquam praestitissent, si iure divino dioeceseon distributio instituta fuisset.

Praecipua Episcoporum munia

XI. Quod vero ad Episcoporum munia spectat, profecto primum, ac praecipuum est verbi Dei praedicatio, hoc sane munus adeo Episcoporum proprium est, ut Apostoli ad illud liberius exequendum, mensarum, et viduarum servitium in diaconos reiecerint (5): et Apostolus non dubitaverit adserere se non ad baptizandum, sed ad evangelizandum fuisse missum (6). Porro nomine praedicationis quidquid ad fidelium institutionem spectat intelligimus sermones nempe publice in Ecclesià habendos, privatas admonitiones, cathecheses pro informandis pueris, et rudibus; epistolas ad populum erudiendum, et in fide, ac in bonis operibus instituendum, aliaque huius generis (7).

XII. Feliciter per quinque priora Ecclesiae saecula Episcopi hoc munere functi sunt, nunquam enim sacer fidelium conventus ad Missae Sacrificium peragendum habitus est sine scripturarum praelectione, eamque consequente praedicatione, quam nonnisi admodum raro per substitutos exercuerunt. Atque hinc in africanas Ecclesias, teste possidio (8), nonnisi a Valerio primum inducta est consuetudo, ut presbyteri coram Episcopo, et ex eius mandato concionarentur. Verum in Ecclesiis orientalibus facilius ab episcopis verbum Dei praedicare presbyteris committi consuevit, uti ex eodem Possidio (9), Socrate, Theodoreto (10), aliisque constat.

XIII. At labentibus saeculis Episcopi plures praedicandi munus adeo neglexerunt, ut omnino conticuisse viderentur: qua de re concilium lateranense IV (11) mandavit, ut saltem per alios viros idoneos illud obirent. Verum tridentina synodus ad veteris Ecclesiae disciplinam, quoad eius fieri poterat, instaurandam, mandavit Episcopis, *ut in Ecclesiis suis ipsi, per se, aut si legitime impediti fuerint, per eos, quos ad pradicationis mu-*

(1) Orat XVIII.
(2) Lib. II. cap. 24. — (3) Lib. IV. cap 12. — (4) Lib. V. cap. 4. — (5) Act. VI. — (6) Epist. II. ad corin. I. — (7) Trid. sess. VI. ref. cap. 2., sess. XXIV. cap 4.
(8) In vita Augustini cap. 5. — (9) Lib. V. cap. 22., et lib. VII. cap. 22. — (10) Lib. I. cap. 2. — (11) Can. X.

nus adsument, in aliis autem Ecclesiis per parochos, sive iis impeditis, per alios ab Episcopis, impensis eorum, qui eas praestare vel tenentur, vel solent, deputandos, in civitate, aut in quacumque parte dioecesis censebunt expedire, saltem omnibus diebus dominicis, et sollemnibus diebus festis, tempore autem ieiuniorum quadragesimae, et adventus domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras Scripturas, divinamque legem adnuntient, et alias quotiescumque id opportune fieri posse iudicaverint.

XIV. Adhaec quum prohibuerit regularibus praedicare in *Ecclesiis non suorum ordinum sine Episcopi adprobatione, vel in Ecclesiis suorum ordinum sine Episcopi benedictione* (1), tum de eadem hac re pleniore concilio disputatum est, unde absolute sancitum est (2): *nullus autem sive saecularis, sive regularis etiam in Eclesiis suorum ordinum contradicente Episcopo praedicare praesumat*

XV. Alterum Episcopi munus est Sacramentorum administratio, quam provinciam antiquitus per se procurarunt. Qua de re S. Ignatius (3): *non licet*, inquit, *sine Episcopo, neque baptizare, neque agapem facere.* Verum temporis lapsum illam presbyteris aucto fidelium numero demandarunt, ita tamen, ut nunquam ex suo ipsorum arbitrio, atque adeo contra Episcopi voluntatem, sed tantummodo ex eius mandato illud munus obirent: ad rem Hieronymus (4): *sine iussione Episcopi neque presbyter, neque diaconus ius habeant baptizandi.*

XVI. At vero Episcoporum, presbyterorum, et diaconorum ordinatio iure divino adeo Episcopis reservata est, ut presbyteris committi nequeat. Veteres enim Ecclesiae Patres, et concilia de Sacramenti Ordinis administratione loquuntur, tanquam de peculiari quadam praerogativa, qua Episcopi a presbyteris distinguuntur: *Quid enim facit*, inquit Hieronymus *excepta ordinatione Episcopus, quod presbyter non faciat* (5): et Chrysostomus (6): *inter Episcopum, et presbyterum interest ferme nihil. . . sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plus, quam presbyteri habere videntur.* Idem quoque aperte tradunt concilia nicaenum (7), antiochenum (8), chalcedonense (9) carthaginense III (10).

XVII. Quinimmo ordinationes per presbyteros factae semper ab Ecclesia, tanquam irritae habitae sunt. Unde in synodo alex. Ischiras, aliique a Colutho ordinati *ad priorem reversi sunt conditionem*, quippe qui *ordinati a Columbo presbytero qui falso Episcopi nomine gloriabatur* (11). Idem omnino de presbyteris quibusdam in synodo sardicensi constitutum est, quippe qui ab eutychiano, et Musaeo, qui presbyteri tantum erant, Sacerdotio initiati erant.

XVIII. Potestatem confirmandi neophytos Episcopis quoque fuisse antiquitus omnino reservatam perspicua demonstrant patrum testimonia: Hieronymus contra Luciferum (12) docet *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem,*

(1) Sess. V. ref. cap. 2. — (2) Sess. XXIV. ref. cap. 4. — (3) Epist. ad smyrn. n. 8. — (4) Dialogo contra lucifer. pag. 139. — (5) Epist. LXXXV. ad Evagrium. — (6) Hom. XI. in I. Timoth. 3.
(7) Can. XIX. — (8) Can. IX. — (9) Can. II. — (10) Can. XLV. — (11) Athan. apol. p. 732. — (12) Can VI.

ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros, et diaconos, baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti spiritus manus impositurus excurrat. Et paullo post*: in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipit Spiritum S.*,tum Chrysostomus in illud actuum Apost. *imponebant manus, et accipiebant Spiritum S.* sic commentatur: *igitur hoc erat in Apostolis singulare:unde* Κορυφαιους (praecipuos,hoc est Episcopos), *et non alios videmus hoc facere.* Verum in specialibus quibusdam casibus posse presbyteros accepto mandato,ac facultate R. Pontificis, tanquam extraordinarios ministros Sacramentum Confirmationis conferre plerique tenent theologi.

XIX. Ex Ecclesiae instituto ordini episcopali sacrae quaedam functiones adeo adfixae sunt, ut ab Episcopis aliis delegari nequeant: huiusmodi sunt: consecratio olei cathecumenorum, et infirmorum (1): consecratio Ecclesiarum, et altarium (2), benedictio abbatum (3), benedictio maior, seu sollemnis (4). Antiquitus poenitentium reconciliatio Episcopo quoque erat omnino reservata.

XX. Tum inter praecipua Episcopi munia locum sibi vindicat oratio, quae apostolis adeo cordi erat, ut viduarum, et mensarum cura in diaconos abiecta, illam aeque, ac praedicationem sibi reservarent. Orationis vero nomine publica indicatur liturgia, atque ea liturgiae pars potissimum, qua Sacrificium pro vivis, atque defunctis offertur. Episcopi nempe, praesertim dum sacrosanctum Missae Sacrificium peragunt, pro concredita sibi plebe ferventes Deo preces fundere ex animo debent. Unde synodus tridentina (5) sic decernit: *quum iure divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre.*

XXI. Ex eadem ratione ad Episcopum pertinet pro Ecclesiae necessitatibus, aliisque iustis de caussis publicas preces indicere, orationum formulas concipere, libros eo spectantes evulgare, receptos repurgare, orandi formulas minus pietati congruas abolere, aliaque huiuscemodi, quorum nonnulla consecutae apostolicae constitutiones Romano Pontifici reservarunt. At de his fusius *in nostris antiquitatibus christianis.*

XXII. Sequuntur Episcoporum munia externam potestatem spectantia. Episcopi igitur partes sunt Fidei, et doctrinae evangelicae depositum sartum tectum custodire: et quidem ex Apostoli mandato (6), unde ne aliquis in doctrina Fidei, vel morum error obreperet, synodus tridentina decrevit nemini *licere imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi prius examinati, probatique fuerint ab Ordinario sub poena anathematis* (7). Id quod de libris etiam profanis intelligas, cum ex bulla Leonis X. edita in concilio lateranensis an. 1512, tum etiam ex iam inolita regni neapolitani consuetudine, quam probavit, ac omnino servandam constituit novissimum concordatum an. 1741. (8). At vero multa pecuniaria in typographos hanc legem perfringentes animadvertere ordina-

(1) Innoc. I. epist. ad Decentium. — (2) Can. VIII. de consecratione dist. I. — (3) Can. I dist. 96. — (4) Can. VI. dist. 21, — (5) Sess. XXIII. ref. cap. 1.
(6) Epist. I. ad Timoth. cap. 6. — (7) Sess. IV. — (8) Cap. VII. n. 2.

riis regia potestas non permittit. Huc faciunt binae constitutiones pragmaticae neapolitanae sub Carolo V. austriaco ab Petro de Toledo prorege editae, quarum altera sancitur, ne quis libros theologicos, aut biblicos Capellano maiore inconsulto edere audeat, aut per fraudem clanculum editos retinere. Altera vero omnino vetat libros quoscumque sine regis venia typis cudere, aut venales habere. Utraque gravissimas in transgressores constituit poenas (1).

XXIII. De Sanctorum quoque cultu cognoscere, et iudicare: tum eorumdem miracula, ac reliquias probare proprium Episcopi munus est: quinimmo antiquitus servi Dei qui mortem obibant, ab Episcopis in Sanctorum canonem referebantur, id quod deinde posteriores apostolicae constitutiones Summo Pontifici reservarunt.

XXIV. Episcopo etiam cura incumbit, ut sacri canones exacte custodiantur, quique de novo fiunt, canonice evulgentur; qua de re dioecesim lustrare, et synodum dioecesanam cogere praecipuae episcopalis potestatis partes sunt.

XXV. Episcopum specialiorem quarumdam personarum curam gerere oportet, uti pauperum, orphanorum, viduarum, peregrinantium, virginum Deo dicatarum, atque etiam monachorum, quos speciali Episcoporum curae subiecerunt Patres chalcedonenses (2), quamvis posterioribus temporibus in id unice incubuerint, ut Episcoporum excuterent iugum.

XXVI. Postremo ad Episcopum spectat, tum caussas omnes ecclesiasticas, *civiles* dictas, ex sensu sacrorum canonum suo iudicio definire, tum in eos, qui divinam legem, vel ecclesiasticas constitutiones transgrediuntur etiam criminali iudicio animadvertere, tum demum bona suae Ecclesiae temporalia administrare. Verum de his fusius opportuniori loco agemus.

XXVII. Duo hic tantummodo liceat subnectere, veluti extraordinaria quaedam Episcoporum officia. Primum: dissidentes fidelium animos in concordiam revocare, litesque ex bono et aequo componere: id quod ex Apostoli verbis *I. ad corinth.* 5. nonnulli patres, ac praesertim Augustinus derivarunt. Alterum, apud magistratus pro reis intercedere, id quod tum patres sardicenses decrevere (3), tum veteres Episcopi haud raro praestiterunt. In hac officii pastoralis parte eluxit Ambrosii, et Augustini charitas, qui saepius magistratus ad veniam reis implorandam convenerunt.

XXVIII. Ex hactenus explicatis Episcoporum muniis illud prono alveo fluit, eos ad residendum obstrictos esse, et quidem iure divino, id quod tridentinum, licet tanquam Fidei dogma definire noluerit, tamen pro certo omnino habet, praesertim (4), ubi recensitis pluribus, iisdemque gravissimis muneribus Episcopis *praecepto divino* mandatis, statim subiungit: *ea nequaquam praestari posse ab iis, qui gregi suo non invigilant, et assistunt.* Quinimmo uti ex Caietano refert Fagnanus (5): *nullus antiquorum contradicebat, quin pastores animarum tenerentur sub praecepto divino ad personaliter residendum.*

XXIX. Merito igitur synodus tridentina tum (6) omnes innovat antiquos

(1) Prag. 1. et 2. de impressione librorum. — (2) Can. IV., et VIII. — (3) Can VII. (4) Sess. XXIII. ref. cap. 1. — (5) Ad caput *ex parte* n. 21. — (6) Sess. VI. ref. cap. 1.

canones ad eam rem facientes, tum novis poenis illos coercet, qui ultra duos, vel tres menses in singulos annos a dioecesi absunt, atque adeo etiam in hac duorum, vel trium mensium absentia, eadem tridentina synodus requirit, ut si *aequa ex caussa sine ullo gregis detrimento, sit extra festos dies Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, et Corporis Christi* (1).

XXX. Legitimae caussae a synodo tridentina ibidem probatae, cur Episcopus etiam diutius dioecesi abesse potest, sunt: *christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiae, reique publicae utilitas.* At eadem synodus statim subdit, easdem has legitimae absentiae caussas *a beatissimo R Pontifice, aut a Metropolitano, vel eo absente, a suffraganeo Episcopo antiquiore in scriptis esse approbandas, nisi quum absentia inciderit propter aliquod munus, et reipublicae officium episcopalibus adiunctum: cuius quoniam caussae sunt notoriae, et interdum repentinae, nec eas quidem significari Metropolitano necesse erit.*

ADDITAMENTA

DE EPISCOPIS TITULARIBUS

I. Quum nonnulli Episcopi primis aerae christianae saeculis Ecclesias suas florentissimas infidelium iugo subactas derelinquere adigebantur, tunc episcopatus titulum retinuerunt. Ne vero illarum memoria penitus obliteraretur, Summi Pontifices quandoque ad earumdem titulum Episcopos creare usi fuerunt. Unde Benedictus XIV. (2): *Sedes Apostolica*, inquit, *iurisdictionem suam designandi Pastores in illis Ecclesiis dimittere noluit, nec ullo modo pati debuit, ut ipsarum memoria oblivione deleretur*,

II. Iamvero iustissimae caussae urgent Romanum Pontificem, ut ad nudum Cathedralium titulum Episcopos promoveant (3), nimirum I., ut sibi assistant in apostolico obeundo ministerio. II., ut eorumdem officio in iis utatur, quae nonnisi Episcopis decet committere. III., ut tamquam suffraganei pastoralia expleant munia in aliqua dioecesi, propter cuius amplitudinem proprius Episcopus alieno ministerio indigere videatur. At ex tridentino cautum quod de expressa Ordinarii licentia titulares Episcopi pontificalia exerceant, nec clericos ad Ordines promoveant, nisi ex ipsius Ordinarii litteris dimissoriis (4).

Praeterea Summus Pontifex nonnullos titulares Episcopos ad praedicationis munus apud infideles, et haereticos obeundum mittit, qui *missionarii* apostolici audiunt: alios apud christianos Principes apostolica legatione functos ad res ecclesiasticas pertractandas. Unde Benedictus XIV. sa-

(1) Sess. XXIII. — (2) Tom. II. Bullar. const. 36 — (3) Videsis Thomassinum de vet; et nova Ecc. discip. par. 1. lib. 1. cap. 27. et Fagnanum in cap. Episcopali n. 45; et 53 de privileg. — (4) Sess. XIV. cap. 2 de reform.

pientissime docet Episcopos titulares rectissime consecrari, quoties iusta intercesserit caussa, si nempe iis muneribus perfungi debeant, quae characterem episcopalem necessario requirant, et quae ecclesiastico regimini prodesse maxime iudicantur (1).

III. Illud quoque observatu dignum, quod non recens institutum est, ut Romanus Pontifex aliquos ad episcopatum promoveat, quin ullius specialis Ecclesiae actualem administrationem illis tradat, sed tot, tantisque illustribus exemplis confirmatum, et plerisque Ecclesiae canonibus comprobatum. Et sane ut cetera omitto vetustissima exempla a Thomassino collecta (2), Epiphanius existimat Linum, et Clementem a Principe Apostolorum fuisse Episcopos ordinatos, ut nulli tunc Ecclesiae praeesent, sed duntaxat sibi, prout opus esset, in Ecclesiae regimine adessent (3). Tum saeculo II. Caium Romanae Ecclesiae presbyterum Episcopum consecratum fuisse nullius Ecclesiae cura illi commissa testatur Franciscus Bianchinus (4). Hinc vides satis ineptire Ioannem Georgium Pertsch (5), et Gersonium (6), qui inanem, et monstruosum esse in Ecclesia deblaterant episcopalem sine plebe statum, et potestatem sine operatione.

TITULUS XVI.

DE CHOREPISCOPIS

I. Chorepiscopi hoc nomine donati sunt, quod essent της Χωρας Επισκοποι *ruris Episcopi*. Illud hic primum non immerito quaeritur, Episcopi ne fuerint, an vero tantummodo presbyteri. Presbyteros eos fuisse communis poene est Canonistarum sententia: at contra Barlovius, Hammondus aliique censent Chorepiscopos omnes antiquis commemoratos canonibus veri nominis Episcopos fuisse.

II. Verosimilior videtur Cabassutii, Bellarmini, ac doctissimi Thomassini opinio, nimirum Chorepiscopos suapte natura inspecta, meros fuisse Presbyteros, etsi aliquando contigerit, ut Episcopi essent, quippe qui Episcopi ordinati, antequam Chorepiscopi constituerentur. Id in nicaena synodo accidit, quae novatianis Episcopis ad catholicam redeuntibus Ecclesiam ita consultum voluit, ut vel ad presbyteri oppidani, vel ad Chorepiscopi officium admitterentur (7).

III. Ceterum meros fuisse Presbyteros plura demonstrant. 1. Ad similitudinem septuaginta discipulorum constituti dicuntur (8). Atqui secundum Veterum sententiam presbyteri discipulos, Episcopi Apostolos repraesentant (9).

2. Episcopi ex apostolica traditione a tribus saltem Episcopis ordinandi: at Chorepiscopi ab uno tantum civitatis Episcopo constituebantur (10).

(1) Const. *cum a nobis* §. I. tom. 2. bullar. — (2) De vet., et nova Ecc. discipl. cit. loco. — (3) Haeresi XXVII. — (4) Tom. II. Anastasii in notis ad vitam S. Eleutherii pag. 42. — (5) Part. I. element. iuris canonici lib. I. tit. 27. — (6) Consid. VIII. de statu praelat.

(7) Can. VIII. — (8) Conc. neocesar. can. VIII. — (9) Hier. epist. ad Fabiolam. (10) Conc. antioch. can. X.

3. Patres concilii hispalensis severe increparunt Agapium quemdam cordubensem Episcopum, eo quod Chorepiscopos ad episcopalia munia exercenda delegarit, et rationem subdunt: *quia Chorepiscopi, et presbyteri iuxta canones unum sunt.*

4. Concilium metense (1) praecipit, ut basilicae a Chorepiscopis consecratae ab Episcopis consecrentur: *quia iuxta decreta Damasi Papae, Innocentii, et Leonis vacuum est, atque inane quidquid in summi sacerdotii Chorepiscopi egerunt ministerio, et quod ipsi iidem sint, qui et presbyteri.*

II. Tandem quaecumque antiquis Ecclesiae canonibus Chorepiscopis adsignantur officia, eadem et presbyteros quoque obiisse nemo dubitat.

IV. Iam vero Chorepiscoporum haud exigua erat potestas: nam 1. hypodiaconos, lectores, exorcistas, aliosque inferiores clericos ordinabant (2), tum si episcopatus charactere insigniti fuissent, presbyteros quoque, et diaconos ordinare poterant: verum consulto prius *Urbis Episcopo, cui subiicitur ipse, et regio*, uti statuit ipsamet synodus antiochena (3).

2 Potestatem habebant dandi clericis ruralibus, quibus in aliam dioecesim proficiscendum esset, epistolas dimissorias, sive, ut alias vocabantur, canonicas, et pacificas (4).

3. Curabant agrorum presbyteros, et Ecclesias rurales, quas et in credita sibi regione visitabant.

4. In Ecclesia oppidana sacris operabantur, etiam praesentibus episcopo, et presbyteris Urbis, quod sane presbyteris ruralibus non licebat (5).

5. Tandem privilegio fruebantur sedendi, et suffragia ferendi in conciliis: hinc synodorum nicaenae, ephesinae, neocesareensis definitionibus nonnullos Chorepiscopos subscripsisse eorumdem acta probant.

V. Caeterum non semper, et ubique eamdam fuisse Chorepiscoporum potestatem ingenue fatemur: namque, ubi contigisset ipsos Episcopos esse, ex Episcopi Urbis voluntate, non modo presbyteros,et diaconos ordinabant, uti mox ex concilio antiocheno observavimus, verum et aliquando neophytos confirmabant, virgines consecrabant, aliaque episcopalia munia exercebant.

VI. Verum Chorepiscoporum potestati grave vulnus inflictum est, ubi Περιοδευταὶ, hoc est *circumcursatores*, sive *visitatores* constitui coeperunt. Horum prima occurrit mentio in concilio laodiceno (6), dein et in synodis Chalcedonensi (7), et constantinopolitana sub Menna (8), adeo ut in Oriente aetate Balsamonis iam prorsus exoleverint.

VII. In occidente, ac praesertim in Gallia, quum ex perperam intellectis canonibus quibusdam orientalibus episcopalia sibi munia vindicare ausi fuissent; hinc tum per gallicanas synodos, tum et per ipsos R. Pontifices paullatim esse desierunt Chorepiscopi, quibus successisse videntur decani, sive archipresbyteri rurales, de quibus suo loco agemus.

(1) Can. VIII. — (2) Syn. antioch. can. II. — (3) Ibidem. — (4) Synod. antioch. can. III. — Thomass. part. I. lib. II. cap. I. n. 15.
(5) Conc. neocesar. Can. XIII. — (6) Can. LVII. — (7) Act. IV. — (8) Act. I.

TITULUS XVII.

DE COADIUTORIBUS

I. Illa semper in Ecclesia viguit disciplina, ut posset Episcopus vel diuturna morbi pertinacia divexatus, vel senectute confectus, vel alio impedimento obstrictus *coadiutorem* sibi adiungere, qui ipsi ad episcopale onus substinendum impari opitularetur, ac veluti suppetias ferret. Sic S. Petrum orbis praesertim occidentalis regiones evangelica praedicatione perlustraturum Linum, et Cletum in Romanae Ecclesiae regimine sibi coadiutores adscivisse scribit Epiphanius (1).

II. Iam vero coadiutoria vel temporalis est, vel perpetua. Temporalis, quum Episcopo ob adfectam valetudinem, aliudque impedimentum praepedito adiutor datur, qui tantummodo dum impedimentum durat, vel Episcopus vivit, in Ecclesia ministret. Verum de his coadiutoribus, quos proprie beneficiarios haud dicendos, probant Thomassinus (2), et Gonsalesius (3), non est hic nobis sermo, quum iidem sint, ac Vicarii apostolici, de quibus alibi. Coadiutoria perpetua est, quae sublato impedimento, Episcopoque defuncto non cessat, atque adeo in eius locum succedit coadiutor.

III. Eiusmodi coadiutorum genus iam inde ab prioribus saeculis in Ecclesia videtur obtinuisse. Sic Narcissus Episcopus hierosolymitanus propter longius protractum senium Alexandrum sibi coadiutorem delegit, qui una secum hierosolymitanam Ecclesiam moderaretur (4). Tum Orionem palaebiscensis Ecclesiae Episcopum aetate grandaevum Siderium sibi coadiutorem adiunxisse, et successorem per ordinationem designasse, auctor est Synesius *epist.* 67. Plura hanc rem spectantia passim in ecclesiastica historia occurrunt exempla, et quidem etiam post tempora concilii nicaeni.

IV. Profecto Patres niceni (5) de Novatianis omnino interdixere, ne duo in eadem Ecclesia simul essent Episcopi: Cyprianus quoque iam antea scripserat: *unus in Ecclesia ad tempus sacerdos*, *et iudex vice Christi*. Qua de re Augustinus hipponensium Episcopus vivo adhuc Valerio ordinatus, canonem nicaenum edoctus, nimia animi perturbatione, ac moerore perculsus est, quasi in canones ecclesiasticos impegisset. At regula ecclesiastica, quae in una Ecclesia duos non patitur Episcopos, non ita a veteribus videtur fuisse intellecta, tanquam si bini in unaquaque civitate Episcopi omnino prohiberentur, sed duntaxat deficiente iusta caussa, nec Ecclesiae utilitate, necessitate, aliave *περιστασει circumstantia* id omni prorsus iure requirente.

V. Iam vero Augustinus in ea videtur fuisse opinione, scilicet non suam cum futura in episcopatu successione electionem canonibus adversari, sed tantummodo consecrationem Valerio adhuc in vivis agente. Ipse enim Eradium, Ecclesia consentiente, successorem suum nominavit, licet ordinare, dum viveret, noluerit, dicens: *quod reprehensum est in me*, *nolo repre-*

(1) Haeres. LVII. — (2) Part. II. lib. 2. cap. 57. — (3) In cap. VI. de cler. aegrot. — (4) Eusebius. lib. VI. cap. 2. hier. de script. eccles. in Alexandro.
(5) Can. VIII.

hendi in filio meo. Erit presbyter ut est, quando Deus voluerit, futurus Episcopus. Haec Augustini opinio dein in Ecclesia videtur obtinuisse. Bonifacius namque Archiepiscopus moguntinus quum a Romano Pontifice Zacharia petiisset, ut ipsi vitam adhuc agenti liceret successorem constituere, quod ab ipsius praedecessore iam fuerat postulatum, Zacharias ipsi indulsit, ut moratum sacerdotem deligeret, quem interea in episcopalibus muneribus instrueret, quemque deinde, inspectante Clero, ac populo universo, sibi successorem renunciaret, modo tamen adhuc vivens manus illi imponere non auderet.

VI. Demum idem colligi posse videtur ex Regesto epistolarum Gregorii M., ac praesertim ex *lib. IX. ep.* IV. ad Anatolium diaconum constantinopolitanum de Ioanne Episcopo primae Iustinianae, qua ipsi iniungit, ut Ioanni gravi morbo aegrotanti coadiutorem dari curet, novum vero Episcopum haud ordinari permittat. *Et quidem*, scribit, *nusquam canones praecipiunt, ut prae aegritudine Episcopo succedatur... sed dispensator illi requiratur talis, qui possit eius curam omnem agere, et locum illius in regimine Ecclesiae implere.*

VII. His accedit in antiquis Ecclesiae monumentis quam frequentia occurrere exempla coadiutorum, qui Episcopis vel grandaevis, vel infirmis dati sunt, ut iisdem postea in episcopatu succederent, at hi simul Episcopo adhuc vivente ordinati non sunt (1). Id quod haud ita intelligas, quasi perpetui coadiutoris ordinatio irrita habenda sit, vel dispensatione locum habere nequeat. Sane Augustinus suam ordinationem improbavit quidem, at irritam non habuit. Id quod etiam indicant modo producta Narcissi hierosolymitani, et Orionis palaebiscensis exempla.

VIII. Perpetuum Episcopo coadiutorem dare antiquitus synodi provincialis, plebe etiam consentiente, ius erat eodem prorsus modo, quo Episcopi eligebantur: at iure novo cuiuscumque generis coadiutores nonnisi a R. Pontifice dantur Episcopis, duntaxat in Ecclesiis nimis ab urbe dissitis, auctoritate apostolica, vel ipse Episcopus cum adsensu Capituli unum, vel plures sibi coadiutores adsciscit, vel, Episcopo impote, duae partes Capituli coadiutorem constituunt. Demum ubi Episcopus coadiutorem, quo ipsi omnino opus est, accipere nolit, apostolicis rescriptis est Ecclesiae providendum.

TITULUS XVIII.

DE SACRA EPISCOPALI VISITATIONE

I. Iam inde ab IV. Ecclesiae saeculo exempla occurrunt Patriarcharum, qui suas dioeceses, Metropolitarum, qui suas provincias, et Episcoporum, qui suas paroecias circumlustrarunt. Athanasium aegyptiacae dioeceseos Ecclesias visitare consuevisse constat ex eiusdem *apologia II.* In concilio totius Africae plenario Episcopi Mauritaniae Aurelium Primatem carthaginensem rogant, ut mauritaniae provinciae Ecclesias visitet: *dignemini etiam, quod hoc anno secundum ordinem distulistis, vel alio anno*

(1) Videsis Thomass. part. I. cap. 57. et seq.

Mauritaniam Provinciam visitare (1). Concilium taurinatense an. 397. (2) dum Metropolitis arelatensi, et viennensi episcopatus adsignat, qui eorumdem Ecclesias metropoles constituerent haec habet: *unaquaeque de his viciniores sibi intra provinciam vindicet civitates, atque eas Ecclesias visitet; etc.* Demum visitationis paroeciae, quam modo dioecesanam dicimus, illustria habemus exempla in Martino, Augustino, et Chrysostomo. Martinum *asello impositum in veste hispida nigro pendulo pallio circumtectum* suas paroecias visitantem, et ubique in vicis idololatriae reliquias debellantem describit Severus Sulpitius (3). Tum Augustinus in fussalensi castro, cuius cives a Donatistarum schismate ad Ecclesiam catholicam traduxerat, Episcopum constitutum voluit, quod, quum is locus longius ab Hippone distaret, eum frequenter invisere non posset (4). Tum easdem visitationes perspicue indicat scribens (5): *quoniam visitandarum Ecclesiarum ad meam curam pertinentium necessitate profectus sum.* Demum Chrysostomus inter praecipua Episcopi munia Ecclesiarum recenset visitationem (6).

II. Non negaverim in quibusdam orientalibus Ecclesiis morem viguisse, ut Episcopi per περιοδευτας circuitores, sive visitatores, vel per chorepiscopos suas Paroecias visitarent (7). Verum quum et periodeutae, et Chorepiscopi nec ubique, nec diu viguerint, hinc nonnisi Episcoporum praecipua, ac primaria ea videtur fuisse et cura, et potestas.

III. Ecclesia quidem Occidentalis stabiles illos visitatores non agnovit, at vero permisit Episcopis aegritudine, aliove detentis impedimento opera uti presbyterorum, vel diaconorum (8), quo in munere post secutis temporibus archidiaconi, et decani rurales successere (9); id quod synodus tridentina (10) pro iis locis confirmavit, *ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt.* At tria de integro constituit 1: ut nonnisi per semetipsos, et quidem adsumpto notario de consensu Episcopi visitare debeant. 2: ut non ideo Episcopus, vel eo impedito, eius visitator easdem Ecclesias seorsum ab iis visitare probibeatur. 3: ut archidiaconi, vel alii inferiores visitationis factae Episcopo, eiusve visitatori infra mensem rationem reddere, et depositiones testium, atque integra acta exhibere teneantur. Demum provinciales visitationes quod spectat, Metropolitanos iubet suorum comprovincialium dioeceses non visitare, nisi prius propria plene lustrata dioecesi, et ex caussa cognita, et probata in concilio provinciali.

IV. At quorsum episcopales institutae visitationes? inquiet fortasse quispiam. Paucis praecipuas complectitur rationes tridentinum ibidem: *visitationum praecipuus sit scopus, sanam, orthodoxamque doctrinam expulsis haeresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus, et admonitionibus ad Religionem, pacem, innocentiamque accendere, caetera, prout locus, tempus, et occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere.* Uti providere, ut Ecclesiae, quae reparatione indigent, reparentur, cura animarum, si quae illis immi-

(1) Cod. Eccles. african. Can. LII. — (2) Can. XXI. — (3) Dial. II.
(4) Epist. CCLXI. — (5) Epist. CCXXXVII. — (6) Hom. I. in epist. ad Titum. — (7) Conc. laod. can. LVII. — (8) Can. tolet. IV. can. XXXV. — (9) Concil. lator. III. can. IV. — (10) Sess. XXIV. de ref. cap. 3.

neat, aliisque debitis obsequiis non defraudentur, etc. Hosce sane visitationum veterum ss. Episcoporum uberrimos fuisse fructus iam supra innuimus, neque post synodum tridentinam Carolum Borromaeum, Franciscum Salesium, aliosque ss. Praesules minus uberes sacris suis visitationibus fructus tulisse neminem latere arbitror.

V. Personalem totius dioeceseos visitationem Episcopo iure divino incumbere communiter tradunt Canonistae (1). Profecto antiquitus Episcopi non modo catholicas omnes suarum dioeceseon personas, verum et Ecclesias, monasteria, hospitalia, aliaque loca pia, eorumque bona proprio iure visitabant (2). Atque adeo synodus aurelianensis (3), et Gregorius M. (4), Episcopis iniungunt, ut non semel, sed saepius in anno pro suo ipsorum arbitrio monasteria visitent, id quod imperiali etiam sanctione firmatum est (5).

VI. Successu temporum, frequentibus inductis ab Episcopali potestate exemptionibus, Episcopi visitantis auctoritas multum decrevit: at synodus tridentina disciplinam ecclesiasticam pristinae puritati, qua fieri posset, restituere satagens, plura visitationem spectentia Episcopis iura restituit, licet pleraque potestate duntaxat delegata, scilicet ut visitare possint: Capitula Cathedralium quomodolibet exempta. 2: beneficia omnia unita, curata, vel non curata, vel qualitercumque commendata. 3: omnes et quascumque aeque saeculares, ac regulares Ecclesias. 4: monasteria commendata, in quibus non viget regularis disciplina. 5: demum hospitalia, collegia quaecumque, et confraternitates laicorum, non tamen quae sub Regum immediata potestate sunt sine eorum licentia, et pia loca omnia, etiamsi eorum cura ad laicos pertineat. Verum novissima concordatorum lege an. 1741 (6) constitutum est, ut Episcopi duntaxat *in spiritualibus* Ecclesias, extauritas, capellas, confraternitates, et alia loca pia gubernata visitare possit. At de hoc capite opportunius libro sequenti.

De procurationibus

VII. Iam alibi demonstravimus, clericorum ius esse de ecclesiasticis proventibus, decimis, aliisque populi oblationibus vitam transigere, mirum igitur non sit, si Episcopi visitantes ab clericis locorum procurationes accipiunt, nimirum vel sumptus ad frugalem victum necessarios, vel ipsa victualia. *Procurare* enim apud latinos quandoque est cibaria praebere. Faciunt huc Christi verba: *in quamcumque civitatem intraveritis, et receperint vos, manducate quae apponuntur vobis* (7).

VIII. At vero illud summopere mirandum, mediis saeculis, quando scilicet Ecclesiae praediis, aliisque reditibus abundabant, procurationes in tantam abiisse abusionem, ut synodus lateranensis III. an. 1179. (8) iisdem quemdam imponere modum volens, exemplum Apostoli primum proponat, qui praedicationi, et evangelicae propagationi incumbens se, suosque pro-

(1) Fagnan. ad cap. *ex parte* XXII. de cler. non resid. — (2) Syn. chalced. VIII. — (3) Can. XXIX. Can. 18. quaest. II. — (4) Can. XXVIII. ibid.
(5) L. XLVI. §. 3. C. de Episcopis. — (6) Cap. V. art. 1.
— (7) Luc. cap. X. — (8) Can. IV.

priis manibus sustentabat, dein constituat, *ut Archiepiscopi paroecias visitantes pro diversitate provinciarum, et facultatis Ecclesiarum quadraginta, vel quinquaginta evectionum numerum numquam excedant. Episcopi viginti, aut triginta, Cardinales viginti quinque, archidiaconi vero quinque, vel septem: decani constituti sub Episcopis duobus equis contenti existant.... Non cum canibus venatoriis, aut avibus procedant. Nec sumptuosas epulas quaerant, sed cum gratiarum actione recipiant, quod honeste, et competenter illis fuerit ministratum* etc. Hoc lateranense statutum alicui forte offensioni erit, quippe quod nimium visitatoribus indulgeat, at recte hic ad rem advertit doctissimus Thomassinus (1) eo canone non multum exigi, sed multum recidi: tum damnari quidem quod prohibetur, at statim, quod toleratur, probari, praesertim quum ibidem, et Episcoporum, qui modestiore comitatu uti consueverint, mos retinendus decernatur, ut statutum illud, tanquam gravi morbo pro temporis ratione adhibitum lenimen, tolerantiae uni, et indulgentiae tribuatur, et demum in pauperioribus paroeciis ea omnino tenenda praescribatur mensura, ut Episcopi visitantes iisdem nec oneri sint, nec offendiculo.

IX. Atqui eodem hoc medio aevo non desunt ss. Episcoporum exempla qui more apostolico suas lustrarent paroecias. Radulphus Episcopus cicestrensis, uti a Willelmo (2) perhibetur, ter quolibet anno suam circuibat dioecesim, nihil a quoquam exigens, spontanea licet dona non respuens: tum Malachias Hiberniae Episcopus, auctore S. Bernardo, omnes suae dioeceseos Ecclesias visitans, *nec vehebatur equo, sed pedes ibat, erogabat vel ingratis caelestis pabuli mensuram:* apud Thomassinum *ibidem.*

X. Denique synodus tridentina, uti in caeteris, ita quoque in hoc capite sacras visitationes ad veteris disciplinae normam exegit. Sanxit enim 1: ut Episcopi nihil caussa visitationis, etiamsi ultra oblatum, recipiant, exceptis tantum victualibus, quae sibi, ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, et non ultra erunt ministranda. 2: ut in optione eorum, qui visitantur sit, num pecuniam, de qua antea iam conventum fuerat, an vero ipsa in specie victualia praebere malint. 3: ut si qui gratuito visitare consueverint Episcopi, ab receptis moribus ne discedant. 4. si qui autem aliquid amplius exigere non vereantur, duplum intra mensem restituant, poenisque vel in iure, vel in statutis synodi praescriptis subiaceant. Verum per haec decreta tridentini Patres nihil immutatas velle antiquas cum Ecclesiis, monasteriis, aliisque piis locis conventiones, expresse edixerunt.

XI. Quaenam in visitatione ab Episcopo praecipue intendenda sint, iam supra ex synodo tridentina notavimus, pauca hic observanda supersunt. 1: Episcopo visitanti non iudiciali, sed potius paterno more procedendum (3). 2: Episcopus in visitatione nec processus conficiat, nec sententias ferat, nec ordinarias irroget poenas, sed in iis, quae morum emendationem respiciunt, sine strepitu iudicii decernat (4). 3: ubi hosce limites

(1) Part. II. lib. III. cap. 80. n. 3. (2) Lib. de gestis Pont. Angl.
(3) Cap. 1. §. Sane de censibus in VI. — (4) Sacr. Congr. conc. 24 apr. 1595; et 1 feb. 1607.

non excedant Episcopi, decretorum visitationis executionem nulla exemptio, aut adpellatio impedire potest (1).

XII. Postremo consuevere Episcopi dioeceses visitantes suas, regios sibi adsciscere ministros *missos dominicos* sic dictos, ut fideles enormium criminum reos, vel iuvitos publicae poenitentiae subiicerent, vel etiam poenis corporalibus addicerent (2), tum ut quae corrigi oporteret, facilius corrigerentur (3). Hincmarus rhemensis (4) quod ad imminutionem, vel usurpationem ecclesiasticae potestatis factum non est, sed tantummodo, ut episcopalia decreta facilius exequerentur. Id quod et ipsi Reges diserte fassi sunt (5). *Ut si quos* (verba sunt syn. arelatensis an 813. cap. 17.) *sacerdotalis admonitio non flecteret ad iustitiam, regalis potestas ab improbitate reduceret ad pietatem, et obedientiam.*

TITULUS XIX.

DE ELECTIONE CONFIRMATIONE ET CONSECRATIONE EPISCOPORUM

I. Apostolica, eique proxima insecuta aetate quatuor potissimum fuisse videntur clericos qua superiores, qua inferiores deligendi rationes: nimirum 1. *sortitione*, 2. *selectione primitiarum ex conversis gentilibus*, 3. *speciali mandato, et inspiratione Spiritus S.* 4. demum via ordinaria *examinationis, et electionis.*

II. Prior in Matthiae ad apostolatum designatione ex communiori interpretum sententia observata est (6). Eadem in Hispania VI. duntaxat saeculo viguit; quod ex *canone III.* concilii barcinonensis colligere licet, ubi post plura ad clericorum electionem spectantia haec subnectuntur: *duobus, aut tribus, quos antea consensus Cleri, et plebis elegerit, Metropolitani iudicio, eiusque Coepiscopis praesentibus, quem* sors *praeeunte Episcoporum ieiunio,* Christo Domino terminante, *monstraverit, benedictio consecrationis adcumulet.*

(1) Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 10. — (2) Synod. mogunt. cap. XX. — (3) Illud hic subnectere iuvat, omnia nempe, quae Episcopi in visitatione dioecesis gerunt, Congregationi Concilii significanda esse, idque iure, meritoque, tum ut Ecclesiae communionem cum Sede Apostolica ostendant, tum ut ipsarum status Supremo universi dominici gregis Pastori aperiatur. Vide Bened. XIV. (in append. tom. 1. eius bullar. num. 1. pag. 370 edit. Romae 1754.).

Praeterea Abbates, Priores, Praepositi, caeterique omnes, etiam Cardinales, qui monasteria, aut Ecclesias habent, quique iurisdictione quasi episcopali gaudent, ex const. *quod sancta* ipsius Pontificis, eadem visitationis lege adiguntur. (tom. 1. eius bullar. pag. 12. edit. cit.) His adde quod Episcoporum decreta in visitatione lata appellationem devolutivam, non suspensivam admittant, illam scilicet, quae ad iudicem superiorem caussae cognitionem transmittit, non vero decreti executionem suspendit. (Concil. trid. cap. X. sess. XXIV. de ref. Bened. XIV. const. *ad militantis* XLVIII. §. 21. tom 1. pag. 81. edit. cit.)

Denique novissima conventione anno 1818. art. XX. statutum, *quod Episcopi in sacris visitationibus suarum dioecesium peragendis*, *necnon in dioecesanis synodis indicendis liberi forent.*

(4) Tom. II. pag. 131. Thomass p. II. lib. II. cap. 79. — (5) Lib. II. capit. 17.
(6) Act. I.

III. Alterius, nimirum per selectionem primitiarum ex conversis gentilibus praeclarissimum nobis praebet monumentum S. Clemens romanus in priori ad corintbios (1), in qua scribit: *Apostolos per regiones, et urbes verbum praedicantes primitias eorum, spiritu probantes, Episcopos, et diaconos eorum, qui credituri erant constituisse.*

IV. Tertius sacros ministros eligendi modus erat per speciale Spiritus S. mandatum. Hac ratione haud paucos primis illis Ecclesiae temporibus ordinatos novimus, uti Paulus, et Barnabas (2): Ecclesiarum asianarum clerici, quos S. Ioannes ex Patbmo insula redux ordinavit, id attestante Clemente alexandrino *apud Eusebium* (3): Fabianus Romanus Pontifex ex eodem Eusebio (4), Alexander hierosolymitanus Episcopus (5), Alexander itidem sic dictus Carbonarius (6).

V. Quartus denique, et communior, magisque ordinarius ad sacrum ministerium, praecipue vero ad animarum regimen promovendi modus erat *electio* stricto sensu sic proprie dicta, quam recte definies: *est personae idoneae ad Ecclesiae vacantis, aut personarum regimen canonice facta vocatio.* Haec definitio aeque Episcopos, ac reliquos etiam Praelatos inferiores complectitur. Adhaec vocula illa *canonice* adiecta est, tum ut a tribus prioribus extraordinariis sacros ministros deligendi rationibus distingueretur, tum vel maxime ad indicandum, semper in Ecclesia secundum peculiares quosdam statutos canones fuisse peractam, licet non eadem semper hac de re fuerit Ecclesiae disciplina; quam per diversas, variasque iuris canonici epochas, qua fieri poterit, distincte, ac exacte expendemus.

De electione Episcoporum per octo priora Ecclesiae saecula

VI. Hoc temporis spatio quod ius canonicum *primigenium*, sive *arcanum*, et *adultum*, sive *publicum* complectitur, ad electionem ex aequo aliquid conferebant Metropolyta, synodus provinciae, Clerus, et plebs, eo tamen ordine, ut plebs proponeret, peteret, testaretur, Clerus vota, petitiones, testimonia plebis expenderet, expensis aut accederet, aut refragaretur, ac plebem ad alium designandum diverteret, dirigeretque. Synodus provinciae electionem a plebe, Cleroque paractam examinaret, indicioque suo confirmaret. Metropolita denique adstantibus saltem duobus, aut tribus proviuciae Episcopis electum consecraret. Quod quidem communi iure receptum patet ex omnium Ecclesiarum prisca consuetudine.

Et quidem 1. de Romana Ecclesia id innuit Cyprianus de Cornelio Papa loquens (7): *factus est Cornelius Episcopus de Dei, et Christi eius iudicio, de clericorum poene omnium testimonio, de plebis, quae tunc adfuit, suffragio, et de sacerdotum antiquorum, et bonorum virorum collegio.*

2. De Africana tum ipse Cyprianus (8); *quum ipsa*, inquit, *maxime plebs habeat potestatem, vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi:* tum et coucilium carthaginense IV. (9): *cum consensu clerico-*

(1) Epist. I. ad corinth. n. 42. — (2) Act. XIII. — (3) Lib. III cap. 23. — (4) Lib. VI. cap. 29. — (5) Eusebius ibid. cap. 11. — (6) Nyssenus in vita S. Gregor. thaumat. — (7) Lib. II. epist. 2. — (8) Lib. I. epist. 4. — (9) Can. I.

rum, et laicorum, et conventu totius Provinciae Episcoporum, maximeque Metropolitoni vel praesentia, vel auctoritate ordinetur Episcopus.

3. De Alexandrina testatur Theodoretus (1): *reiectum a Petra Alexandrino Lucium, quod non in orthodoxarum Episcoporum synodo, non suffragio legitimorum clericorum, non postulatione plebis electus fuerit, siculi ecclesiasticae leges requirunt.*

4. De Caesareensi in Cappadocia refert Nazianzenus de Eusebio, *quod quum in plures sententias multitudo distraheretur, aliique alium proponerent (quemadmodum in huiusmodi rebus fieri consuevit)... tandem plebs tota uno consensu primarii ordinis virum in sacrario collocarunt, et Episcopis obtulerunt, ab iisque petere instituerunt, ut eum initiarent, et Antistitem proclamarent* (2). Et Basilius: *nunc vestrum quidem est petere animis a contentione, et ambitione repurgatis, Domini vero ostendere* (3).

5. De Asia universa idem innuit Iulius I. (4), ubi Gregorium in alexandrinam sedem ab Arianis intrusum eo reiicit, quod homo externus non illic baptizatus, nec a presbyteris, vel Episcopis, vel a plebe postulatus fuerit.

6. De Oriente testem habemus synodum oecumenicam constantinopolitanam I., in qua haec habentur (5): *Nectarium in concilio generali communi omnium consensu, praesente imperatore, totius denique Cleri, totiusque civitatis suffragiis, Episcopum constituimus.*

7. Eadem quoque disciplina in Ecclesiis Galliarum vigebat. Id quod evincitur ex synodi aurelianensis III. (6): *De comprovinciolibus ordinandis cum consensu Metropolitani, cleri, et civium iuxta priorum canonum statuta, voluntas, et electio requiratur.*

8. Tum et in Hispaniis: ita concilium toletanum IV. (7): *nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec populus propriae civitatis elegit.... quicunque ergo deinceps ad ordinem Sacerdotii postulatur... cum omnium clericorum, vel civium voluntate ab universis comprovincialibus Episcopis, aut certe a tribus in socerdotem die dominica consecrabitur.*

9. De Ecclesia mediolanensi testis producatur Theodoretus, qui Ambrosii electionem referens haec habet (8): *cives illius urbis tumultuabantur, dum alii hunc, alii illum ordinari contenderent..... omnes una voce clamare coeperunt, Ambrosium sibi Pastorem constitui poscentes.*

10 In nostra quoque neapolitana Ecclesia eamdem obtinuisse consuetudinem colligimus ex pluribus Gregorii M. epistolis, ac praesertim ex VIII. lib. X: *nec novum*, inquit, *nec reprehensibile est in eligendo Episcopo populi se vota in duas portes dividere, sed grave est, quod in huiusmodi caussis non ex iudicio, sed de solo favore venit electio.... cum decreto a vobis facto ad nos eum venire necesse est, ut de vita, moribusque ipsius sollicitius inquirentes vestra in eo, adiuvante Domino, desideria compleamus.*

11. Postremo de toto occidente, immovero de Ecclesia universa testatur,

(1) Lib. IV. cap. 22. — (2) Orat. XIX. — (3) Epist. 28. ad neocaesarcenses. — (4) Epist ad Orientales apud Athan. apol. II. — (5) Epist. ad Damasum. (6) Can. III. — (7) Can. XVIII. — (8) Lib. IV. cap. 7.

et sanxit Leo M. pluribus in locis (1): *per pacem, et quietem sacerdotes, qui futuri sunt, postulentur. Teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus, et plebis. Qui praefuturus est omnibus, ab omnibus eligatur.* Tum ep. LXXXIV. ad Anastasium cap. V: *quum de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus praeponatur, quem cleri, plebisque consensus concorditer postularit.... expectarentur vota civium, testimonia populorum, quaereretur honoratorum arbitrium, electio clericorum: quae in sacerdotum solent ordinationibus ab his, qui noverunt Patrum regulas, custodiri.* Et epistola ad Rusticum cap. 1: *nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus Episcopis cum Metropolitani iudicio consecrati.* Idem iam antea constituerat Coelestinus (2): *nullus invitis detur Episcopus. Cleri, plebis, et ordinis consensus, et desiderium requiratur.* Nihil hisce clarius, disertius nihil.

VII. Cur autem plebis et votum, et petitio, et testimonium prisco iure requireretur, non una, sed multiplex causa intercessit. 1, ut arcerentur indigni, quorum mores plebs reprobaret: *Episcopus*, ait Cyprianus, *deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit, et uniuscuiusque actum de eius conversatione prospexit* (3).

2. Ut facilius optimi quique vulgo probati dignoscerentur: Origenes populi praesentiam in christianorum Antistitum electionibus requisitam scribit (4): *ut constaret optimos quosque, ad Sacerdotium promoveri:* et S. Cyprianus expresse docet (5): ordinationes sacerdotales nonnisi sub populi adsistentis conscientia fieri oportere, *ut plebe praesente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicentur, et sit ordinatio iusta, et legitima, quae omnium suffragio, et iudicio fuerit examinata.* Ad rem quoque facere videtur Tertullianus (6): *praesident apud nos probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.*

3. Ne populo invito daretur Episcopus (7): *quum de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus praeponatur, quem Cleri plebisque consensus concorditer postularit... nullus invitis, et non petentibus ordinetur, ne plebs invita Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit.* Et alibi (8): *expectarentur*, inquit, *vota civium, testimonia populorum, quaereretur honoratorum arbitrium, electio clericorum.... qui praefuturus est omnibus, ab omnibus eligatur.* Quiuimmo aliquando plebe, et Episcopis consilio divisis Episcopi contra ipsam animi sui propensionem ad suffragia plebis se conformare consueverunt, uti ex Martini turonici (9), et Demophili Patriarchae constantinopolitani (10) electionibus comprobatur.

VIII. Verum id oeconomiae duntaxat caussa factum recte dici quiverit, quum ex adverso haud raro plebis petitio omnino ab Episcopis reiecta sit, unde Coelestinus I. (11) *nullus, ait, invitis detur Episcopus; Cleri, plebis, et*

(1) Epist. X. cap. 6. — (2) Epist. II. cap. 5. — (3) Epist. LXVIII. — (4) Hom. II. in Levit.
(5) Lib. I. epist. IV. — (6) In apolog. cap. 39. — (7) S. Leo epist. LXIV. ad Anastasium. (8) In epist LXIX. ad Episc. vienn. — (9) Sulpit. Sev. vit. Mart. cap. VII. — (10) Philostorg. lib. IX. cap. XIII. — (11) Epist. II. ad Episcopos Galliae.

ordinis consensus requiratur; (1) idem ipse Pontifex ad Episcopos Apuliae, et Calabriae epist. IV. *docendus*, inquit, *populus est, non sequendus nosque si nesciunt, eos quid liceat, quidve non liceat, commonere, non his consensum praebere debemus.*

IX. Verum quum secutis temporibus plebs inter se divisa, et dissentiens plerumque in coitiones, factiones, et interdum etiam in cruentos tumultus erumperet, uti in electione Damasi Papae accidisse narrant Socrates (2), et Ammianus Marcellinus (3); hinc pro turba advocati sunt proceres, et magistratus, nec tamen omnino plebs exclusa, unde S. Gregorius M. epistolas dedit *Clero, nobilibus, ordini, et plebi neapolitanae,* eos hortando, ut Episcopum eligerent, qui eam non dedecoraret sanctissimam dignitatem. Eadem de causa epistolas quoque dedit *Ursicino duci, Clero, ordini, et plebi Ariminensi, Clero, ordini, et plebi perusinae, Clero, ordini, et plebi nepiensi.* Idem in Gallia, aliisque Occidentis regionibus obtinuisse late probat Thomassinus (4).

X. Quin et aliquando, ne plebs in incerta difflueret, tres ab Episcopis nominati sunt, data Clero, et plebi optione unum ex tribus eligendis (5): *tres ab Episcopis nominentur, de quibus clerici, vel cives erga unum habeant eligendi facultatem.* Idem quoque sancitur concilii bracarensis can. III. Uti ex adverso quandoque plebi datum est tres eligere personas, ex quibus melior seligeretur electione, et iudicio ordinantis (6): *praesenti lege sancimus, ut quoties in qualicunque civitate sacerdotalem sedem vacare contigerit decretum fiat ab iis, qui eam civitatem incolunt super tribus personis rectae fidei... ut ex ipsis idoneor ad episcopatum promoveatur.*

De confirmatione, et consecratione per octo priora Ecclesiae saecula

XI. Ubi Clerus, et plebs de novo eligendo Episcopo inter se convenissent, Metropolitae partes erant cum Episcopis provinciae in urbe vacantis Ecclesiae convocatis in electam personam inquirere, quae si idonea comprobaretur, id quod confirmationis loco erat, statim sequebatur consecratio: nam iure antiquo uno ferme actu, scilicet *manuum impositione* et electio confirmabatur, et electus consecrabatur. Id tum ex pluribus, tum vel maxime ex eo evincitur, quod in antiquis canonibus nullibi occurrat confirmationis mentio, sed absolute decernatur, ut electus a Clero, et a plebe Metropolitae, et Episcoporum provinciae iudicio probetur, et ordinetur (7).

XII. At si contra electio minus legitima videretur, vel si electioni ambitus, vel pecunia intercessisset, synodus electionem rescindebat, unde nova instituenda erat electio, in qua praecipuae Metropolitani partes erant. Uti quoque divisis Cleri, et populi votis Metropolitae ius erat illum praeferre, qui maioribus meritis iuvaretur (8).

XIII. Verum si Metropolitanus in electione coram adesse non posset,

(1) Can. XIII. dist. 61, et can. XXVI. dist. 65. — (2) Lib. IV. cap. 29. — (3) Lib. XXVI. cap. 3. — (4) Part. II. lib. II. cap. 10. — (5) Conc. arel. II. can. LIV. (6) L. XLII. cod. de episc. — (7) Conc. charthag. III. can. XI., et IV. can. 1; Nanziaz. orat. XXI. — (8) Leo M. epist. 84 relatus in can. 84. dist. 63.

decretum praecipuorum a clero, et populo subscriptionibus munitum ad eum deferebatur, ut illud ratum, et firmum esse iuberet. In antiquo ordine romano formula quaedam decreti habetur, cui Clerus, et populus, quum Episcopum eligerent, subscribebant, ut Metropolitano ac synodo provinciae exhiberetur.... *ut omnium nostrorum vota in hanc electionem convenire noscatis, huic decreto canonico promptissima voluntate singuli manibus propriis roborantes subscripsimus*. Eiusdem disciplinae perspicua habemus testimonia apud Symmachum Papam (1), et apud Gregorium M. pluribus in locis, ac praesertim lib. XI. epist. 16. *qui dum*, scribit, *fuerit postulatus cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, et dilectionis tuae testimonio litterarum ad nos sacrandus occurrat.*

XIV. Quod vero Metropolitarum electionem spectat, profecto Patriarchae, Exarchi, vel Primatis ius erat illam confirmare. Haec disciplina aeque in Oriente, ac in Occidente vigebat. Concilii chalcedonensis can. XXVIII., quo Episcopo constantinopolitano primatus honoris tribuitur post Romanum, eidem quoque potestas datur ordinandi omnes Metropolitas in asiana, pontica, et thracia dioecesibus. Quinimmo, uti observavimus agentes *de Patriarchis*, Patriarcharum Romani, et Alexandrini ius erat ordinandi non modo Metropolitas, verum et Episcopos omnes suarum dioeceseon.

XV. Ubi vero de Metropolitis illis ageretur, qui nulli Patriarchae, Exarcho, vel Primati suberant, eorum electiones vel a Romano Pontifice, vel a synodo provinciae confirmabantur. Atque hinc Gregorius M. (2) electionem Ioannis in Archiepiscopum sive primatem Iustinianae Primae datis ad synodum illyricanam epistolis confirmavit. Tum idem Gregorius de Episcopis Dalmatiae, quod Maximum Salonae Metropolitam ipso inscio ordinassent, graviter conqueritur.

XVI. At contra in Galliis, Hispania, Anglia, atque etiam Africa, ubi metropolitae nullis suberant Primatibus, Metropolitanorum electio a Synodo provinciae confirmabatur (3).

Romani Pontifices Episcoporum electionibus aliquando intercesserunt

XVII. Romanorum Pontificum iure patriarchico stricte sumpto licet tantummodo ius esset Metropolitas ordinandi, atque adeo Episcopos omnes decem provinciarum suburbicariarum (4), attamen non deerant aliquando extraordinariae quaedam rerum, locorum, temporumque caussae, quibus necesse fuerit intervenire Sedem Apostolicam, quo stabiliretur Episcoporum quorundam electio. Et quidem 1, ubi Episcopus legitime electus, quominus ordinari, suamque Ecclesiam ingredi posset, inexpugnabiles quidam obices opponerentur. Hinc Hieronymo in lausanensem Episcopum canonice electo, quum Carolus Crassus tunc Italiae rex huic obstaret electioni, Ioannes VIII. ad ipsum regem, tum ad Metropolitam vesuntionensem, et ad Episcopum vercellensem litteras dedit, ut huic amoliendo obici operam navarent.

(1) Epist. V. cap. 6.
(2) Lib. IV. epist. 7. — (3) Conc. aurelian. II. can. III: et III. can. VII; tolet. IV. can. IV. — (4) Videsis nostra additamenta de Romano Patriarchatu.

2. Ubi praeter canones peractam electionem Metropolitanus confirmaret. Atque hinc quum Herimannus coloniensis Metropolita, ut Gilleberto Lotharingiae duci faveret, Hilduinum leodinensem Episcopum ordinare praesumeret, huic facinori statim restitit Ioannes X. Herimanno praecipiens, ut potius Richerium a Clero, et populo canonice electum in Episcopum leodinensem ordinaret.

3. Ubi Episcopi alicuius electio, ut confirmaretur, dispensatione opus esset. Hinc pro confirmanda Wlfadi in Archiepiscopum bituricensem electione Carolus Calvus litteras dedit ad Nicolaum I, propterea quod ex una parte ab Ebbone Metropolita rhemensi iam abdicato diaconus ordinatus esset, ex altera vero in concilio suessionensi restitutio eorum, qui ab Ebbone post suam abdicationem ordinati essent, Sedi Apostolicae reservata fuerat.

4. Ubi Metropolitanus electionem iam a Clero, et a plebe legitime peractam confirmare negligeret. Hinc Ioannes VIII. electionem Optati in Episcopum gebevensem sua auctoritate firmavit, id negligente Metropolita viennensi, qui, ut partes Bosonis regis tueretur, Optati ordinationem differebat.

5. Demum, ubi dissidia partium sedari non potuerint, nisi interventione Summae Sedis. Atque hinc Ioannes VIII. videns vercellensem Clerum, et plebem impacato dissidio in duos competitores fluctuare, utrumque episcopatus spe deiecit, ac ipse adsentientibus provinciae Episcopis, Gospertum Episcopum ordinavit.

XVIII. Atque hae praecipuae sunt caussae, in quibus Episcoporum electionibus Sedes Apostolica aliquando intervenit. In quibus cave putes veteres illos Romanos Pontifices metropolitica iura ulla ratione violare intendisse, quum tantummodo canonicae devolutionis iure, utilitate, ac necessitate Ecclesiae id exigente, Episcoporum, et Metropolitarum extra Italiam electiones confirmaverint. Quamvis negandum non est tenuia haec fuisse initia, ex quibus tam varia in Ecclesia manarunt mutationum documenta, ut tandem postrema hac aetate Episcoporum confirmatio ab Apostolicae Sedis examine, et adsensu toto poene christiano orbe suspensa, et relegata sit, uti recte advertit cl. Thomassinus de veteri, et nova Ecclesiae disciplina (1).

De regio adsensu in electionibus Episcoporum.

XIX. Per eadem tempora regius quoque adsensus in Episcoporum electionibus requiri consuevit. Licet enim veteres christiani imperatores nullis ecclesiasticis se interposuerint electionibus, nisi ut exortas dissensiones compescerent, uti in electionibus Nectarii, Nazianzeni, Chrysostomi, aliorumque accidit: attamen paullatim plurimum hac in re imperatoribus tributum est, praesertim ubi de praecipuis ageretur Ecclesiis. Hinc IV. exeunte saeculo Ecclesia mediolanensis sacro viduata pastore *concilium Episcoporum,* id attestante Theodoreto (2), *contendit ab imperatore, ut ipse, utpote sapientia, et pietatis insignibus praeclare exornatus Episcopum*

(1) Part. II. lib. I. cap. 3.— (2) Lib. IV. cap. 16.

deligat. Tum in Oriente imperatores interdum Episcopum constantinopolitanum nominarunt, praesertim ubi populus, et Clerus in diversa scinderentur. Atque hinc defuncto Chrysostomo *visum est imperatori*, scribit Socrates, *propter homines inanium rerum appetentes neminem ex illa Ecclesia ad episcopatum illum eligere, sed advenam Antiochia arcessere* (1).

XX. Romanam Ecclesiam quod spectat, primus Odoacer Italiae rex defuncto Simplicio an. 483. edicto evulgato vetuit, ne novus se inconsulto Pontifex eligeretur (2). Tum an. 498. clero, et plebe romana ob novi Pontificis electionem acriter inter se contendentibus, res ad Theodoricum delata est, cuius iudicio Symmachus Romanam Sedem obtinuit (3). Adhaec cleri populique concertationibus non adhuc sopitis, Felix IV. per eundem Theodoricum ad Romanam Sedem evectus est, uti narrat Cassiodorus (4). Porro haec veluti quaedam videntur fuisse praeludia illius potestatis, qua imperatores, deinde, re in consuetudinem abeunte, sibi vindicarunt, ut nec Romae, nec in famosioribus aliis Italiae urbibus Episcopi crearentur, nisi quos constantinopolitanus imperator confirmasset.

XXI Atque hinc Pelagius I. *epistola ad Narsetem Italiae ducem* (quam Holstenius in collectione romana integram refert, Gratianus in plura dissectam fragmenta) enarrat Paullinum aquileiensem, et Honoratum mediolanensem inconsulto imperatore contra receptam Italiae consuetudinem Episcopos fuisse constitutos, petitque brachium Principis ad eos coercendos ob schismatis crimen, et Gregorius M. Mauritium imperatorem praevenit, ne electioni de se factae consentiret.

XXII. Hoc imperatorum ius secutis temporibus modo remissum est, modo revocatum pro variis temporum conditionibus. At X. ineunte saeculo iterum vigere coepit, postquam in synodo ravennatensi an. 904. Othoni imperatori promissum est de non creando Pontifice *praeter consensum, atque electionem domini imperatoris.* Quod deinceps fere stetit usque ad abdicatas ab Honorio V. per annulum, et baculum investituras. Moribus praesentibus Cardinalibus ad Pontificis electionem coactis, quem sibi ex Cardinalibus infensum habent, modeste denunciant, sicque quominus in Pontificem eligatur, sunt impedimento.

XXIII Quod vero ad reliquas attinet Ecclesias, iam inde ab VI. saeculo plerumque Episcoporum electiones imperiali, vel regio adsensu vel ante, vel post accedente, celebratae sunt. Id moris primum in Gallia obtinuit, uti ex concilio aurelianensi I. perquam manifestum est. Quinimmo in Hispania Episcopi ad regis nominationem eligi consueverunt (5).

XXIV. At negandum non est in Episcoporum electionibus praecipuas Episcoporum provinciae, ac Metropolitani partes fuisse. Concilia namque, atque adeo ipsi principes sollicite caverunt, ne ob requirendum civilis potestatis consensum, antiqua electionum disciplina praecipue quod ad eligentium libertatem vel minimum laederetur.

XXV. Igitur ut paucis rem omnem complectar: octo prioribus Ecclesiae

(1) Lib. VII. cap. 29.
(2) Can. I. dist. 96.—(3) Anastasius in eius vita.—(4) Lib. VIII. epist 15.
(5) Concil. tolet. XII. can. VI.

saeculis in Episcoporum electionibus praecipuas sibi vindicabant partes Clerus, et populus: populus proponendo, petendo testando, Clerus vota, petitiones, testimonia plebis expendendo, expensis accedendo, aut refragando, simulque plebem ad alium designandum divertendo, dirigendoque. Tum Synodus provinciae electionem a Clero, et a populo peractam examinabat, iudicioque suo confirmabat. Demum Metropolitano reservata erat consecratio. Regius quidem adsensus requiri consuevit, at ea adiecta cautione, ne eligentium libertas ulla ratione violaretur. Plebs quidem successu temporis exclusa, at in eius locum advocati proceres, et magistratus. Tandem extraordinariis quibusdam in casibus R. Pontifices Episcoporum electionibus etiam extra Romani Patriarchatus fines intercessere. Atque haec ad octo priora Ecclesiae saecula quod spectat.

De electione et confirmatione electionis saeculo IX. X. et XI.

XXVI. Nono saeculo requirendus principis consensus, ac regiae Episcoporum nominationes in solemnes abiere investituras, nomine *investiturae significabatur regius adsensus electionibus adhibitus, et concessio bonorum ecclesiasticorum solemni baculi, et annuli pastoralium facta traditione*. Hic mos ex eo ortum duxisse videtur, quod quum feuda Ecclesiis donata sint, Episcopi, et abbates, non secus ac alii feudatarii investituras acciperent, quae deinde ad caetera ecclesiastica bona extensae sunt. Vi investiturae principes rogandi erant, ut canonicas electiones permitterent, electi regibus ad recipienda bona ecclesiastica sistebantur, ac tandem sequebatur ordinatio.

XXVII. At quum huiusmodi mos in eam evaderet abusionem, ut Episcopi sola principis auctoritate, nullo Cleri, synodi provinciae, aut Metropolitarum iudicio instituerentur, atque adeo, passim pretio concessae Ecclesiae, et monasteria, hinc R. Pontifices, et Episcoporum synodi recentem invasionem totis viribus reprimere conati sunt, donec saeculo XII. abolendis investituris tandem consentirent principes pactis cum Sede Apostolica conventis. Henricus imperator pro regnis Germaniae, dissidiis cum Romana Sede compositis in synodo lateranensi I. sub Callisto II. primus omnium ecclesiasticis personis liberam dimisit Episcoporum, et abbatum electionem: at ea adiecta conditione, ut electi regalia per sceptrum iura ab imperatore reciperent, qui suum Episcoporum provinciae iudicio adsensum praeberet.

XXVIII. Iure neapolitano concordia inita inter Hadrianum IV., et Willelmum I. Northmannorum regem neap. an. 1156. de electionibus inter ipsos ita convenit, ut fierent quidem a clericis, quas tamen non promulgarent, nisi post praestitum a rege adsensum.

XXIX. Reginae Constantiae, et Friderico eius filio Innocentius III. regii in electionibus consensus ius confirmavit, uti colligitur ex Pontificiis investiturae litteris apud Rainaldum *ad an.* 1198. *n.* 67. Unde ipsemet R. Pontifex tauquam balius eiusdem Friderici II. Svevi minorensis electiones confirmavit Episcoporum campani, et pennensis vice regia, sive Regis nomine (1).

(1) Cap. XVIII, et XVII. de electione.

XXX. Sequenti saeculo Clemens IV. investiturae litteris ad Carolum I. andegavensem datis cavit, id quod rex se observaturum promisit, nimirum, *ut in eligendis Ecclesiarum Praelatis nec ante, nec post, neque in electione regis adsensus, vel consilium ullatenus requireretur, salvo iure patronatus solum in Ecclesiis regii patronatus*. Idem capitulis Caroli II. andegavensis ab Honorio IV. probatis firmius constitutum est.

XXXI. Regio adsensu vix abdicato statim praesto fuit auxilium *placiti regii*, sive *regii exequatur*, sine quo reges neapolitani nunquam passi sunt Episcopos iam electos, et consecratos Ecclesiarum administrationem, possessionemque inire. Id iuris agnovisse videtur Nicolaus IV. dum Carolo II. andegavensi indulsit, ne quis Regi suspectus ulli regni Ecclesiae praeficeretur (1). Atque adeo ipsemet Carolus II. Manfredo Gifonio regium placitum petenti concedi vetuit; id quod, ne Ecclesiam melitensem regendam ingrederetur, ipsi impedimento fuit (2). Porro in Ecclesiis regii iuris patronatus integrum regibus andegavensibus ius restitit adsensus electionibus praestandi, uti ex epistola Benedicti IX. ad eundem Carolum II. perspicuum est.

XXXII. Igitur saeculo XII. abolitis investituris Episcoporum electiones solis cathedralium Capitulis cessere, exclusis non modo plebe, nobilibus, magistratibus, verum et reliquo Clero: quippe quod soli Canonici unum cum Episcopo corpus constituere universumque referre presbyterium censerentur (3).

Variae electionis formae iure decretalium

XXXIII. Porro Capitulis cathedralium tres eligendi formae iure Decretalium propositae sunt, ut ex ipsis quam mallent, sequerentur, nimirum *inspiratio, compromissum*, *et scrutinium* (4). Inspiratio, quum omnes, qui in electione ius habent suffragii, veluti numine ducti ad unum eligendum conveniunt (5): id si in R. Pontifice eligendo accidat, electio dicitur facta *per adorationem*.

XXXIV. Per compromissum electio fit, quum universum Capitulum omne ius suum in unum, aut in plures sive ex suo corpore, sive extraneos transfert, ut illius vel eorum sit eligendi arbitrium. Atqui compromissariis mandati forma omnino observanda est, adeo ut si contra egerint, electio nulla sit (6). Hac electionis forma summum adsecutus est Gregorius X.

XXXV. Denique per scrutinium celebratur electio, ubi Capitulum ex eligentium numero tres deligit fide dignos, qui secreto, et sigillatim suffragia singulorum diligenter exquirant, eaque in scriptis redacta mox in communi evulgent, ut is demum collatione habita electus habeatur, in quem omnes, vel maior, et sanior Capituli pars consenserit.

XXXVI. Dicitur *maior*, *et sanior pars*, quae eligentium non modo

(1) Apud Bart. Chioccarell. archiv. tom. IV.
(2) Ughellus Ital. sacr. tom. I. in Episc. melit. n. 16. — (3) Cap. IV. et V., de iis, quae fiunt a Praelatis sine consensu Capituli. — (4) Cap. XLII. De electione. — (5) Cap. LV. eodem. — (6) Cap. 32. eodem.

numero, verum et sapientia, ac meritis praestat: at maior pars, nisi scienter indignum elegerit, semper saniorem vincit, ubi duplo eam superaverit (1). Verum ex Bonifacii VIII. constitutione non sanior pars minor, sed maior duntaxat vocum numerus attendendus ob aequale singulorum eligentium ius: idque abrogata antiqui iuris sententia (2).

XXXVII. Per scrutinium quoque dicitur fieri electio, quum eligentium quisque suffragium suum secreto in schedula scriptum in urnam immittit, ut suffragiis numeratis is, in quem plura conveniunt, electus intelligatur.

XXXVIII. Priore scrutinii forma eliguntur Episcopi, et praelati inferiores, qui Ecclesiarum suarum perpetuo titulares existunt. Altera vero ex iure concilii tridentini prorsus eligi oportet temporales monachorum, aliorumque regularium superiores, qui antea nullam ex iure communi certam scrutinii formam habebant (3). Tum eadem prorsus electionis forma eligendi quoque sunt eorumdem superiores generales, licet perpetui, uti sunt illi praedicatorum, et augustinensium: cisterciensi tantummodo, et cluniacensi exceptis, qui si scrutinio eligi velint, haud posteriori, ut reliqui regularium praelati, at priori prorsus scrutinii forma eligantur necessum est, quum ambo sint titulares perpetui abbatiarum cisterciensis, et cluniacensis.

De iis quae ad electionem requiruntur iure decretalium

XXXIX. In electione iure decretalium plura requiruntur, et quidem tum ex parte ipsius electionis, tum ex parte eligentium, tum demum ex parte eligendorum. Igitur ex parte ipsius electionis 1. requiritur, ut Ecclesia vacet, id quod morte Episcopi praecipue contingit: quo casu exequiae prius celebrentur oportet (4).

2 Omnes citandi sunt,qui ius habent suffragii,dummodo sint in provincia (5): quod si vel unius citatio neglecta fuerit, irrita per iudicis sententiam declaranda erit electio, nisi is, qui vocatus non fuerat, suo saltem silentio illam adprobet (6).

3. Legitime absens potest, impedimento iurciurando probato, suffragium suum, et instrumentum procurationis uni ex canonicis mandare, vel etiam extraneo, Capitulo consentiente. Tantummodo in electione Summi Pontificis nec Cardinales citari oportet, nec eorundem absentium mandatum procurationis admittitur.

4. Qui nomine alterius eligit, et suo, non potest ancipiti conscientia dividere suffragia in diversos, sed utrumque debet in eamdem personam conferre, nisi ad certam determinatam personam eligendam fuerit speciatim constitutus (7).

5. Tandem electionis locum Ecclesiam vacantem esse convenit: eamque intra tres menses a die vacationis omnino fieri oportet (8). Ubi tamen de minoribus dignitatibus, perpetuis tamen, agatur, spatium sex mensium

(1) Cap. 42. eodem. — (2) In cap. XLIII. §. si qua eodem in VI. — (3) Sess. XXV. ref. cap. VI.

(4) Cap. XXXV. de electione. — (5) Eodem cap. de electione. (6) Cap. XXIII. de electione in VI. (7) Cap. XLVI, §. *porro* de electione. — (8) Cap. XLI de electione.

conceditur: quibus elapsis temporibus ius eligendi cum iisdem spatiis ad proximum superiorem devolvitur, ab eoque ad alios, si qui sunt, donec ad Summum Pontificem perveniatur (1).

XL. Quod vero ad eligentium attinet qualitates: 1. iure communi nonnisi cathedralis Ecclesiae Canonicorum ius est Episcopum eligere. At alii etiam ex consuetudine, pacto, vel privilegio illud cum ipsis commune habere possunt, modo laici non sint (2).

Immo 2. nonnunquam et illi, qui in Capitularium collegium sunt cooptati eligendi iure destituuntur, et quidem vel impedimento naturae ob consilii inopiam, uti impuberes, furiosi, mentecapti (3), vel impedimento legis, uti suspensi, interdicti, excommunicati per sententiam iudicis (4). Item haeretici, schismatici, apostatae, si publice denunciati, seu non tolerati sint, vel opposita saltem exceptione repulsi (5), ac demum qui sacros ordines nondum susceperunt (6).

3. Eligendi facultatem ad tempus amittunt, tum qui laicos ad ius suffragii in electione ferendum admittunt, quae electio ab Innocentio III. dicitur facta per saecularis potestatis abusum (7); tum qui electionem, si iustum impedimentum non obstiterit, ultra tempus a iure praescriptum protraxerint (8): ii denique, qui vel normam a iure praescriptam in electione servare contempserint, vel scienter indignum eligere voluerint.

XLI. Illud hic omnino animadvertendum, in electione per scrutinium, qui iure suffragii gaudet, non posse illud in semetipsum convertere (9). At quorsum hoc? profecto tum ob alias rationes, tum vel maxime, ne ambiendarum dignitatum ecclesiasticarum daretur occasio: at contra in electione per compromissum, data compromissariis facultate eligendi unum ex ipsis, compromissarii recte poterunt eligere unum ex se, et electus electioni de se factae recte consenserit, neque ambitionis nomine accusari poterit, quippe quod ex forma compromissi licuit compromissariis unum ex se eligere, atque adeo compromissarius (10), quisque totius Capituli sententia dignus est, qui promoveri possit.

XLII. Postremo eligendorum qualitates paucis explicabimus. Ac 1, ex concilii lateranensis III. *cap.* 11. Episcopus eligi nequit, nisi qui trigesimum aetatis annum iam exegerit, legitimo sit matrimonio natus, atque adeo vita, et scientia commendabilis comprobetur.

Tum 2. Ex tridentino (11) in Episcopo eligendo requiritur idonea scientia. Qua de re qui episcopus eligi velit, necessum est, ut antea in aliqua studiorum universitate magister, sive doctor, aut licentiatus in sacra theologia, aut iure canonico merito sit promotus, vel publico alicuius Academiae testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur.

3. Nedum ab episcopatu, verum et a presbyteratu arceantur neophyti (12), scilicet ne superbiant. Quamobrem ex eodem tridentini decreto Epi-

(1) Eodem cap. de electione: cap. V. de concess. praebendae: cap. VI. eodem in VI. — (2) Cap. VIIJ. de consuetudine: cap. XXXIt. de electione. — (3) Cap. LIII. de electione in VI. — (4) Cap XVI. §. fin. de electione, et cap. 1. de cleric. excom. — (5) Extravagan. ad evitanda. — (6) Clementina II. de aetate, et qualitate.
(7) In cap. XLIII. de electione. — (8) Cap. XLI. ibid. — (9) Cap. XXVI. de iure patronatus. — (10) Cap. XXXV. de electione. — (11) Sess. XXII. de ref. cap. 2. — (12) Epist. I. ad Timoth. 3.

scopus eligi nequit, qui saltem hypodiaconus ante sex menses non fuerit ordinatus.

4. Prohibentur etiam ab electione irregulares omnes, de quibus plenius suo loco. Quinimmo qui a Rom. Pontifice in defectu natalium impetrata venia ad Ordines sacros admittitur, non censetur ideo legitimus, qui dignitatem, personatum, curam animarum, ac potiori iure episcopatum consequatur, nisi speciale novum haec ipsi indulgeat R. Pontificis rescriptum (1).

5 Excluduntur criminosi, vel gravi quadam infamia notati, uti haeretici, eorumque filii, schismatici, excommunicati etiam excommunicatione minori, suspensi, interdicti, eunuchi, bigami etc.

6. Tandem electione prohibentur aliarum Ecclesiarum Episcopi, monachi sine superiorum licentia, atque exteri populi, cui praeficerentur, idioma haud callentes.

De postulatione iure decretalium

XLIII. Antequam ulterius progrediamur, illud hic omnino animadvertendum, scilicet ubi persona eligatur, cui canonicum aliquod obest impedimentum, dispensationem a R. Pontifice petendam esse. Unde huiusmodi electio in iure nostro *postulatio* dicitur, quae quidem nonnisi in eo ab *electione* differt, quod electio ius tribuat electo, secus vero postulatio, quousque fuerit ex gratia a R. Pontifice probata (2).

XLIV. Ubi vero statuimus postulationem eius esse, qui ab aliquo canonico impedimento eligi vetatur, hoc de iis duntaxat impedimentis intelligas, in quibus venia dari consueverit. Postulatio enim dispensationis species est, caussamque requirit (3). Quinimmo ubi simul electus, et postulatus concurrant, ille huic est praeferendus: tantummodo quum duplo maior fuerit postulantium numerus, poterit postulatus electo praeponi (4).

De confirmatione, et consecratione iure decretalium

XLV. Electione peracta 1. exquirendus est electi consensus, qui sane omnino post electionem petendus; namque ubi ante electionem exquiratur, electio propter ambitus suspicionem non subsistit (5). Unius mensis spatium electo conceditur, ut deliberet, num impositum onus subire velit.

2. Tum praestito consensu, nisi quaesito iure excidere velit, omnino intra tres menses confirmationem petat, quam novo decretalium iure solus impertitur Metropolita, examine praemisso, ac omnibus, quorum interest, auditis. Ubi vero electionis examen, et confirmationem Sedi Apostolicae vel immediata subiectio reservet, vel interposita adpellatio devolvat, tunc electus ex Nicolai III. constitutione (6) iter ad Sedem Apostolicam intra mensem adripiat, sumpto tempore ad itineris longinquitatem necessario (7).

XLVI. Per confirmationem spirituale inter Electum, et Ecclesiam con-

(1) Cap. ult. de filiis presbyter. cap. VII. de elect.
(2) Cap. III. de postulatione. — (3) Cap. I. de postulatione. — (4) Cap. III. de postulatione. — (5) XLVI. de electione. — (6) Cap. XVI. de electione in VI.
(7) Ibidem.

trahitur coniugium (1). Unde electus impetrata confirmatione omnia, quae episcopalis iurisdictionis sunt, exercere potest. Solis Episcopis, et abbatibus extra Italiam, qui vel ἀμέσως Romano Pontifici parent, vel ab ipso confirmationem petere debent ob locorum distantiam indultum est, ut concordibus suffragiis electi interim Ecclesias administrent (2).

XLVII. Consecrationem quod spectat, profecto licet confirmationem non statim sequatur, id quod, uti suo loco vidimus, per undecim priora saecula obtinuit, attamen intra tres menses proxime a confirmatione elapsos differenda non est (3): et quidem ab eodem celebranda Antistite, a quo confirmatio obtenta est, adstantibus provinciae Episcopis, vel saltem eorum duobus (4): ita ut si in provincia nullus praeter Metropolitam Episcopus fuerit, vicinae provinciae Praesules advocandi sint (5). Ubi vero Metropolitanus iusto detineatur impedimento, quominus ipse consecrationem perficiat, non prohibetur vices suas alteri committere (6).

XLVIII. Igitur spirituale foedus coniugii inter Episcopum, et Ecclesiam consecratione veluti consummatur, unde consecratus non modo quae iurisdictionis, verum et quae ordinis sunt episcopalis iure exercet. Tum qui nonnisi *Episcopus electus* post confirmationem nuncupabatur, post consecrationem simpliciter *Episcopus* dicitur (7). Praeterea hunc *venerabilem fratrem* adpellat Pontifex, illum vero *dilectum filium*.

De electione Episcoporum iure novissimo

XLIX. Porro non diu steterunt penes Capitula cathedralium Episcoporum electiones; paullatim enim pontificiae induci reservationes coeperunt. Et quidem primus Clemens IV. generatim Ecclesias cathedrales, dignitates, personatus, aliaque beneficia apud Rom. Curiam vacantia Sedi Apostolicae reservavit (8): mox alii Pontifices novas induxere reservationes; ac tandem Paullus II. ann. 1467 per constitutionem *ad Romani Pontificis providentiam* (9): aliique deinceps Pontifices per regulam II. Cancellariae omnes prorsus Ecclesias sive patriarchales, sive metropolitanas, sive simpliciter episcopales, etiam apud Romanam Curiam non vacantes, Sedi Apostolicae reservarunt.

L. Per hasce reservationes antiqua electionum disciplina, quae iam immutari coeperat, ad nihilum poene redacta est. At nemo inficiabitur, cur huiusmodi reservationes inducerentur, in caussa fuisse tum electiones ultra tempus protractas, tum frequentes Reges inter, ac Pontifices, praesertim avenionensi schismate vigente, discordias, tum demum vel maxime gravia eligentes inter, et electos dissidia plerumque ad Sedem Apostolicam delata.

LI. Verum quum huiusmodi reservationibus non modo Canonicorum collegia, verum et reges, ac principes undique, ac fortiter reclamarent;

(1) Cap. II. §. *sicut enim* de translatione. — (2) Cap. XLIV. de electione. — (3) Can. I. dist. 100. — (4) Can. I. dist. 91: et dist. 65 per totum. — (5) Can. ult. eadem dist. 65. — (6) Cap. X de officio iudicis ordinarii.

(7) Fagnanus in cap. VII. de rescriptis num. 6; et 7. — (8) Cap. II. de praebendis in VI. — (9) Extravag. comm. lib. III. cap. XIV.

hinc primum in concilio basileensi prorsus abrogatae sunt, illa tantum excepta qua beneficia in Curia vacantia R. Pontifici reservabantur. At non ubique basileense decretum aeque obtiunit; quinimmo ipsamet Gallia, ubi non modo summo plausu exceptum, verum et in comitiis bituricensibus an. 1431. auctoritate regis probatum est, atque adeo in pragmaticam sanctionem coniectum, non diu canonicas electiones retinuit, Pontificibus adversus pragmaticam sanctionem strenue agentibus. Qua de re successu temporis concordatis inter ipsos Romanos Pontifices, et saeculares Potestates initis res varie transacta est.

LII. In Germania pactis conventis inter Fridericum III, aliosque Principes, et Nicolaum V. electiones Capitulis cathedralium restitutae sunt. In Gallia ex concordato inter Franciscum I, et Leonem X. Rex nominat Episcopos. Ac demum catholici hispaniarum reges tum indulto Adriani IV., tum vel maxime antiquissimo regii patronatus iure omnes hispaniensium Ecclesiarum Episcopos eligunt.

LIII. Pro regno neapolitano ex concordato inter Clementem VII., et Carolum V. ann. 1529. inito Rex nominat, eligitque Episcopos ad viginti quinque Ecclesias cathedrales regni neapolitani tanquam regii patronatus; octo scilicet archiepiscopales, et septendecim episcopales, archiepiscopales sunt: Acheruntina cum Materana, Brundusina, Hydruntina, Rhegina, Tarentina, Tranensis, Salernitana, et Lancianensis: episcopales vero sunt, Acerrarum, Aquilae, Ariani, Caietae, Casertae, Cassani, Castri Stabiensis, Crotonae, Gallipolis, Iuvenatii, Monopolis, Motulae, Uriae, Potentiae, Puteolorum, Tropeao, et Ugenti (1).

LIV. Illud postremo in regno neapolitano servatur, ut episcopatus, ac reliqua beneficia omnia nonnisi regnicolis, vel iura civitatis habentibus omnino conferenda sint ex Caroli VI. imperatoris rescripto (2): id quod ratum habuit lex concordatorum ann. 1741.

LV. Hinc observare abs re non esse videtur, moris olim fuisse in nostro regno neapolitano ut bonorum Ecclesiarum vacantium administrationem baiuli, sive inferiores iudices in civitatibus, oppidisque constituti susciperent. Quod vero hi non ita *fideliter, et studiose hoc servitium peragebant, sed male tractabant, et custodiebant res ipsarum Ecclesiarum*, hinc Rogerius Rex North-

(1) Conventione novissima an. 1818. art XXVIII. Pius VII. Ferdinando I. utriusque Siciliae Regi, Eiusque successoribus concessit in perpetuum indultum nominandi dignos, et idoneos iuxta canones ecclesiasticos ministros ad omnes episcopales, et archiepiscopales Ecclesias Regni utriusque Siciliae. Quamobrem ex hodierna disciplina a Pientissimo Rege nostro Ferdinando II. Apostolicae Sedi directa nominatione Antistitum, fiunt necessarii processus, et nominati canonicam institutionem modis, et formis consuetis obtinent. Indultum istud confirmatum quoque legimus litteris apostolicis ab eodem Pontifice missis nonis martii eiusdem anni 1818.

Praeterea art. XXIX. cautum ut Archiepiscopi, et Episcopi fidelitatis iuramentum coram maiestate Regia emittant hac formula — « Ego iuro, et promitto ad » Sancta Dei Evangelia obedientiam, et fidelitatem Regiae Maiestati: item promitto me nullam communicationem habiturum, nullique consilio interfuturum, nullamque suspectam unionem, neque intra, neque extra conservaturum, quae tranquillitati publicae nocet; et si tam in dioecesi mea, quam alibi noverim aliquid in Status damnum tractari, Maiestati Suae manifestabo. »

(2) Tom. II. privileg. neap.

mannus constitutione *pervenit*,tit. *de administrat. rer.eccles.* in hunc modum sancivit : *quia omnes Ecclesias regni nostri, et specialiter ipsas, quae pastoribus carent, in manu, et protectione nostra habemus, nolentes, ut res Ecclesiarum illarum in aliquo minuantur, vel defraudentur; statuimus, et sancimus, ut deinceps si quis Archiepiscopus, vel Episcopus regni nostri decesserit, res ipsius Ecclesiae in custodia, et cura trium de melioribus, et fidelioribus, necnon et sapientioribus personis ipsius Ecclesiae, ad custodiendas, et conservandas eas ad opus Ecclesiae, usquedum de pastore in eadem Ecclesia provideatur. Eo tamen modo ut de reditibus, et proventibus ipsius Ecclesiae ad usum servientium ibidem morantium necessaria rationabiliter, et sufficienter ministrentur: et ex eius ipsi Ecclesiae multum bene, et rationabiliter serviatur, residuum ab ipsis custodibus ad opus ipsius Ecclesiae salve, et integre custodiatur, donec ibi pastor fuerit constitutus. Constituto autem in Ecclesia Pastore, quidquid de rebus, et introitibus ipsius Ecclesiae remanserit, ipsi Pastori eorum assignent, et ei rationem inde reddant* Secutis temporibus in episcopalibus duntaxat regiae nominationes hoc iure usi sunt reges neapolitani:

De confirmatione, et consecratione iure novissimo

LVI. Per pontificias reservationes sicuti Capitula cathedralium iure eligendi, ita Metropolitae iure confirmandi, et consecrandi exciderunt. Unde iure novissimo omnium prorsus Episcoporum, etiam illorum, qui a Regibus nominantur, et eliguntur confirmatio et consecratio R. Pontifici est reservata. Illud duntaxat discriminis agnoscitur inter electos a Papa, et nominatos a regibus, quod hi confirmatione omnino indigeant, contra vero illi, quum ipsa per R. Pontifices ad episcopatum promotio confirmationis robur habeat.

LVII. Quamvis autem vetus ecclesiastica de electione disciplina poene abolita sit, adhuc tamen de persona eligenda adcurata inquisitio facienda est. Ergo R. Pontifex electionem confirmaturus tria potissimum de electi persona inquirit: scilicet aetatem legitimam, morum honestatem, et sufficientem doctrinam. Ex quibus omnibus acta conflari debent, et quidem ex constitutionibus Gregorii XIV., et Urbani VIII.

LVIII. Huiusmodi porro acta Romae conficiuntur, si quaestio sit de Episcopis Italiae atque Insularum adiacentium: componuntur vero in provinciis, si agatur de Episcopis, qui sedem episcopalem habent extra maria, et montes. Quoniam vero ob gentium, et morum varietatem ubique eadem norma observari nequit: hinc scite tridentini Patres sanxere, ut in unaquaque provincia Metropolita cum Episcopis provincialibus methodum, quae obtinere debeat, hac de re praescribat. Porro in episcopatibus Italiae, atque insularum adiacentium ex constitutione Clementis VIII. pars, et quidem praecipua actorum est improvisum examen coram Pontifice, Cardinalibus, praelatis, theologis, et canonistis ad id selectis ab promovendo subeundum, a quo, si Cardinales excipias, nemo sane potest eximi.

LIX. Actis Romae concinnatis, vel ex provinciis Romam perlatis, in iisque electi praerogativis expositis, statim ea committuntur examini Cardi-

nalis relatoris, et aliorum trium Cardinalium, qui iis subscribunt simul profitentes se omnino adhibita cura, et diligentia ea in electo invenisse, quae a iure, et a synodo tridentina requiruntur. Haec a Cardinali relatore Pontifici exponuntur in concistorio: in quo tamen Pontifex electionem confirmare nequaquam solet, sed rem in alio concistorio definiendam relinquit. In priori *praeconizatio*, in altero *propositió* fieri dicitur (1).

LX. Ceterum iure neapolitano novis electis, vel etiam consecratis Episcopis nullum permittitur episcopalis potestatis munus exercere, nisi prius litteris pontificiis regium placitum accesserit, et corporalem adepti sint possessionem.

ADDITAMENTA

DE EPISCOPORUM CONSECRATIONE

I. Potiores ritus, qui in consecrandis Episcopis a Christi Ecclesia adhibentur, breviter heic recensere e re nostra duximus (2).

II. Et principio animadvertendum Episcopi electi consecrationem Romae esse conficiendam, si ille in eadem Urbe sit, ideoque Summus Pontifex alicui Cardinalium ipsam committit. Quare si Electus sit absens, tunc eam peragit Metropolitanus, vel Episcopus ab ipso Pontifice per litteras delegatus: interdum vero in iis adhibetur formula, a quocumque Episcopo catholico. Praemittitur quoque die Sabathi ieiunium cum precibus (3), et duobus adsistentibus Episcopis, qui utique non ad consecrationis validitatem requiruntur, sed dumtaxat ne furtive, et clam Sacerdotii plenitudo collata videatur, Episcopus Consecrator concelebrat die dominico, vel alio festivo, si id Pontifex specialiter indulserit, in ipsius Consecrandi Ecclesia cathedrali, vel plerumque in alia intra provinciam.

III. Praeterea ante consecrationem recitantur litterae apostolicae de episcopatus collatione. Tum Consecrandus Petri Successori obedientiam iureiurando firmatam promittit coram Episcopo consecratore genuflexus. Huiusce iuramenti formam septem articulis comprehendit Divus Gregorius VII. his conceptis verbis = « (4) Ego N. Episcopus ab hac bora in antea

(1) Isthaec provisio concistorialis habet vim *electionis*, et *confirmationis* canonicae, uti monet Fagnanus (in cap. nihil de elect. n. 77) postquam collectis Cardinalium suffragiis Pontifex electum Episcopum confirmat formula consueta = « auctoritate Dei Omnipotentis Patris, Filii, et Spiritus Sancti, et BB. Apostolorum Petri, et Pauli, ac nostra Ecclesiam N de persona M providemus, ipsumque illi in Episcopum, et Pastorem praeficimus, curam, et administrationem ipsius eidem in spiritualibus, et temporalibus committendo. » Id ipsum constituit Benedictus XIV. in constit. *cum a nobis 36*. §. ac primo tom. II. bullarii.

(2) Videsis Pontif. rom. tit. de consecratione Electi in Episcopum — (3) Can. ordinationes 1. dist. 75. — (4) Extat in cap. ego N. 4 de iureiur.

» fidelis ero S. Petro, Sanctaeque Romanae Ecclesiae, Dominoque meo » Papae N., eiusque Successoribus canonice intrantibus. II. Non ero ne» que in consiliis, neque in facto, ut vitam perdat, aut membrum, vel ca» piatur mala captione III. Consilium, quod mihi aut per se, aut per lit» teras, aut per nuncium manifestabit ad eius damnum, nemini pandam. » IV. Papatum s. Romanae Ecclesiae, et regulas ss. Patrum adiutor ero » ad defendendum, et retinendum (salvo ordine meo) contra omnes ho» mines. V. Vocatus ad synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica » praepeditione. VI. Legatum Apostolicae Sedis, quem certum esse cogno» vero in eundo, et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus » adiuvabo. VII. Limina Apostolorum singulis annis (nunc trienniis) aut » per me, aut per certum nuncium visitabo, nisi eorum absolvat licentia. » Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Evangelia. » Secutis temporibus vero duos alios articulos additos fuisse neminem latet, scilicet VIII. « De observandis decretis, reservationibus, et mandatis Sedis Apostolicae. IX. De bonis suae episcopalis mensae non alienandis. »

IV. Praestito iureiurando solemnis consecratio inchoatur. In ea sacro oleo caput, et manus Electi inunguuntur ad designandum sacerdotii plenitudinem. *Baculus* benedicitur a parte superiori *curvus*, quipped quod vires suas in eo conferre debet Episcopus, ut e Christi vinea sibi commissa pravos mores evellat, et errantes oves in ovili congreget, *acutus* ab inferiori, quo fideles ad vias Domini percurrendas benigne impellat. *Annulus* quoque benedictus ei traditur ad inviolabile fidei depositum exprimendum, quam illibatam debet Ecclesiae suae Sponsae. Tum liber Evangeliorum et scapulis imponitur, et in manus traditur, quod profecto praedicationis munus designat ab Episcopo assidue obeundum.

V. Denique peracto Missae Sacrificio ab Episcopis Consecratore, et Consecrato, in quo ambo de eadem Hostia, et Calice communicant, benedicitur *mitra*, et capiti Consecrati imponitur, cuius pars anterior *Novum*, posterior *Vetus* denotat Testamentum, ut Ecclesiae hostes utriusque legis doctrina deterreat. *Chirotecis* quoque illius manus induuntur, ut novi hominis munditiem praeseferat. Rursus parvam *Crucem* accipit, quam profecto ab antiquis temporibus omnes Antistites e collo pendentem gestare consueverunt. Illud postremum occurrit hic observandum, quod in Ecclesiis novi Pastoris iurisdictioni subiectis anniversaria consecrationis diei commemoratio celebratur (1), aeque ac Pontificis in omnibus per universum orbem Ecclesiis.

De antistitum sanctimonialium electione.

LXI. In antistita eligenda plura requiruntur. 1, aetas quadraginta annorum. 2, octennium saltem professionis. 3, Episcopus, vel eius Vicarius electioni praesit, at non intra claustra, sed ad crates colligat suffragia. 4. superior regularis, cui monasterium subditur, vetatur suum suffragium cum suffragiis monialium conferre. 5, tandem antistita non eligatur, nisi ad triennium, neque iterum eligi quiverit, nisi alio integro elapso triennio: ita sacra Congregatio apud Nicolaum.

(1) Can. solemnitates 16 de consecr. dist. 1.

TITULUS XX.

DE TRANSLATIONE RENUNTIATIONE ET DEPOSITIONE.

I. Spirituale coniugium ab Episcopo per consecrationem cum Ecclesia initum, praeter mortem, quae omnia solvit, tribus potissimum modis accidere potest, ut dissolvatur, nimirum translatione, renuntiatione, et depositione. De depositione sermo redibit lib. III.: hic igitur de translatione, et renuntiatione tantummodo agendum nobis est.

De translatione

II. Episcopi ab Ecclesiis, quas semel regendas susceperunt, ad alias transire ecclesiasticis canonibus omnino vetantur, ita concilia nicaenum (1), antiochenum (2), sardicense (3), et alia quamplurima, quorum canones ex parte congessit Gratianus (4). Qua de re Constantinus M. summis laudibus Eusebium caesareensem extulit, atque adeo tanquam Apostolicae, et ecclesiasticae regulae custodem commendavit, quippe qui antiochenam, ad quam vocatus erat, Ecclesiam refutarit.

III. Huiusce canonici interdicti duplex potissimum antiquis Patribus profertur ratio. Prima: spiritualis necessitudo coniugii, quod individuam, ac perpetuam Episcopi cum Ecclesia coniunctionem requirit (5). Altera: ad compescendam ambitionem, et avaritiam Episcoporum, qui ob sua privata commoda sedem mutare adpetunt, quum nonnisi de minori ad maiorem transferri postulent Ecclesiam: concilii sardicensis verba hic placet exscribere: *non tam mala consuetudo, quam perniciosa rerum corruptela est ex ipsis fundamentis penitus exstirpanda, ne cui Episcopo liceat a parva civitate in aliam migrare: eius enim caussae praetextus est manifestus, propter quem talia tentantur: nullus enim Episcopus adhuc inveniri potuit, qui a maiori civitate in minorem transferri studuerit: unde constat eos habendi plura cupiditate succendi, et arrogantiae servire, ut videantur maiorem habere potestatem* (6).

VI. Utramque rationem eleganter complectitur Hieronymus (7): *et hoc*, inquit, *in nicaena synodo a Patribus decretum, ne de alia in aliam Ecclesiam transferatur Episcopus, ne virginis pauperculae societate contempta, ditioris adulterae quaerat amplexus.*

V. Quinimmo tantum ambitionis, avaritiaeque facinus gravissima poena mulctandum Patres sardicenses decreverunt, scilicet Episcopos, qui illud admiserint, laica etiam communione privandos, nec in morte Ecclesiae paci restituendos (8).

VI. Sed ad Ecclesiae utilitatem, necessitatemque non modo iure decretalium, verum et antiquissimo Ecclesiae usu Episcoporum translationes admissae sunt. Id indicant quamplurima Episcoporum in synodis translatorum

(1) Can. XV. — (2) Can. XXI. — (3) Can. I. et II. — (4) In caus. VII. quaest. 1.
(5) Innoc. III. cap. I; et cap. III. de translat. — (6) Conc. sardic. can. I.
(7) Epist. 83. ad Oceanum. — (8) Can. I; et II.

exempla (1). Quinimmo in ipsa nicaena synodo Eustathius Beroeae Episcopus ad Sedem antiochenam translatus est (2). Igitur illa veterum canonum interdictione ambitiosae duntaxat Episcoporum translationes vetabantur, haud vero quae caussa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiae fierent. Ad rem Pelagius II: *non mutat sedem, qui non mutat mentem, idest, qui non caussa avaritiae, aut dominationis, aut propriae voluntatis, vel suae delectationis migrat de civitate in civitatem, sed caussa necessitatis, vel utilitatis, mutatur.* Adhaec synodus carthaginensis V.(3): *Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis clericus. Sane si id utilitas Ecclesiae faciendum poposcerit, decreto pro eo clericorum, et laicorum Episcopis porrecto in praesentia synodi transferatur.... inferioris vero gradus sacerdotes, vel alii clerici concessione suorum Episcoporum possunt ad alias Ecclesias transmigrare.*

VII. Ex hoc carthaginensi canone bina eruuntur veteris disciplinae capita: I. apud africanos Episcoporum translationes, earundemque caussas fuisse in synodo provinciae examinandas, ac probandas. Idem iuris apud orientales quoque obtinebat, uti ex concilio antiocheno (4) colligere est. Verum procedente tempore Patriarchae ius translationum usu suum fecere (5), donec tandem Romano Pontifici reservaretur. Porro huiusce pontificiae reservationis iam inde ab V. saeculo tenuia licet quaedam initia repetunt; Socrates enim modo indicatis locis translationibus perigenis e patrensi oppido in Corinthi Metropolim, et Procli e cizico in constantinopolitanam sedem R. Pontificis auctoritatem intervenisse scribit.

VIII. Alterum, quod ex carthaginensi canone efficitur, illud est, nimirum inferiorum praelatorum translationes facilius admittendas, quippe quod inter Ecclesias, et clericos Episcopis inferiores tanta necessitudo non est, quanta inter Episcopos, et Ecclesias, quibus spirituali quodam coniugii foedere arctissime copulantur, haud secus ac ipsemet Christus cum Ecclesia; id quod *magnum Sacramentum* dixit Apostolus (6). Igitur inferiores illi antistites, ubi proprii Episcopi accedebat auctoritas, relictis suis Ecclesiis, ad alias recte migrabant. At contra invito proprio Episcopo ad aliam transire Ecclesiam clericis omnino vetitum: concilia nicaenum (7), et antiochenum (8).

De renuntiatione

IX. Ex eadem mox explicata spiritualis coniugii ratione prohibentur Episcopi proprio arbitrio ab suis se abdicare Ecclesiis, ut vitam deinceps agant privatam. At ubi legitima subsit caussa, episcopalis muneris abdicatio canonibus ecclesiasticis permissa. Hinc ex una parte Cyrillus alexandrinus epistola ad Domnum *praeter ecclesiasticas leges esse*, scribit, *quod nonnulli Sacerdotes recusationum libellos offerant; quippe si digni sint,*

(1) Socrates lib. III. cap. 36. — (2) Pagius critic. in Baronium ad annum 324. — (3) Can. XXVII.
(4) Can. XXIII. — (5) Socrates lib. V. cap. 8; et lib. VII. cap. 36. — (6) Epist. ad Ephesios, V. 32. — (7) Can. XVI. (8) Can. III.

ministerium sacrum obire : sin autem minus, non renuntiare, sed velut damnatos excedere oportere. At ex altera Augustinus (1) : *longe est gloriosius,* inquit, *episcopatus sarcinam propter Ecclesiae vitanda pericula deposuisse, quam propter regenda gubernacula suscepisse.*

X. Iam vero huiusmodi abdicatio duobus modis fieri potest: scilicet gradum duntaxat episcopalem dimittendo, vel gradum simul, et dignitatem. Qui posteriori hac ratione se episcopatu abdicat. licet episcopalis characterem ordinis retineat, attamen in simplicium presbyterorum classem omnino redactus censetur, adeo ut quae ordinis sunt episcopalis neque ex dioecesani Episcopi permissu rite exercebit: atque adeo qui ordines ab eis susceperint, sunt suspensi (2).

XI. At qui priori modo suam dimittit Ecclesiam, iurisdictionem tantummodo episcopalem exercere vetatur, honorem tamen, et dignitatem retinet, unde quae ordinis sunt episcopalis ab Episcopo dioecesano rogatus rite exequetur (3). Concilium ephesinum de Eustathio Episcopo Pergae sic decernit (4): *nomen retineat Episcopi, et honorem et communionem, ea tamen lege, ut neque ordinandi ipse auctoritatem habeat, neque in ulla Ecclesia ex propria sacrificet auctoritate : nisi id sibi, vel adiuvandi caussa, vel concessionis ratione, adfectu, amoreque christiano a fratre, et coepiscopo, si ita contingerit, liberaliter deferatur*

XII. Quinimmo his suo muneri renuntiantibus Episcopis etiam antiquitus nonnunquam ex dimissi episcopatus redditibus ad vitam substentandam canonica pensio indulta. Concilium chalcedonense (5) in caussa Domni antiocheni, qui ecclesiasticae pacis caussa antiochenam Ecclesiam libenter dimisit: *dignemini et statuere ei certos sumptus de Ecclesia, quae sub me est,* ita Maximus, qui Domno succedebat: universa synodus vociferata est: *omnes cogitatum eius laudamus.* Notanda omnino haec chalcedonensis synodi sanctio, inde enim primaeva pensionum ecclesiasticarum origo simul et ratio hauritur.

XIII. Iustae renuntiationis caussae sex enumerantur 1, conscientia criminis. Prioribus Ecclesiae saeculis quodcunque grave delictum sufficiens abdicationis caussa erat. Quare Potamius Episcopus bracarensis quum se carnali quodam crimine polluisset, oblato in synodo toletana libello, admissum facinus confessus, sese episcopatu abdicavit (6). Porro iure decretalium nonnisi crimine, cui irregularitas illigata sit, adigitur Episcopus ad se munere suo expoliandum.

2. Debilitas corporis vel ex infirmitate, vel ex senectute. Hac de caussa in concilio Pamphyliae congregati Patres renuntiationem admisere Eustathii eiusdem Pamphyliae Metropolitani (7).

3. Defectus scientiae, quae in Episcopo oppido est necessaria; verum licet Episcopo eminenti opus sit scientia, mediocris tamen satis habetur, praesertim ubi charitatis perfectione suppleatur.

4. Malitia plebis, quae eo veniat, ut Episcopum commisso sibi gregi

(1) Epist. 238. — (2) Tit. de ordinatis ab eo, qui episcopatum renunciavit. — (3) Cap. I. de ordinatis ab eo. — (4) Epist. ad syn. Pamphyl.

(5) Act. X. — (6) Acta conc. tolet. X: decretum pro Potamio. — (7) Epist. syn. ephes. ad syn. Pamphyliae.

regendo reddat inhabilem: praesertim si plus vice simplici animorum dissidentium reconciliatio tentata, perfici nunquam potuerit. Hoc nomine Martyrius Ecclesiam antiochenam dereliquit his verbis: *clero rebelli*, *populo inobedienti Ecclesiae contaminatae nuntium remitto*, *reservata mihi Sacerdotii dignitate:* Theodorus Lector (1), et Nicephorus Callixtus (2).

5. Grave occasione Episcopi ob ortum scandalum, quod alias reparari nequeat. Eam ob caussam Nazianzenus sedem constantinopolitanam ultro dimisit.

6. Denique irregularitas personae: at vero irregularitas ob defectum natalium iusta renuntiandi caussa non est: hoc enim casu, quum culpa lateat, iniuncta congrua poenitentia facile venia datur.

XIV. Abdicatio iusta ex caussa admissa necesse est, ut simplex sit, non subdola, nec in favorem, aut gratiam alicuius fiat. Ab huiusmodi in certae personae gratiam conceptis renuntiationibus mirum quantum veteres Patres abhorruerint. Ad rem Origenes (3): *propinquis agrorum*, *et praediorum relinquatur haereditas: gubernatio populi illi tradatur*, *quem Deus elegerit.* Concilium quoque antiochenum sic decernit (4): *Episcopo non licere pro se alterum successorem sibi constituere*, *licet ad exitum vitae perveniat. Quod si tale aliquid factum fuerit*, *irritum esse huiusmodi est constitutum.* Idem et alia antiqua concilia sancitis canonibus decrevere. At secutis temporibus frequentes evaserunt huiusmodi conditionatae renuntiationes. Nostra hac aetate rigidior videtur esse hac in re disciplina, saltem non adeo facile admittuntur.

XV. Nihil tamen prohibet, quominus Episcopus sese episcopatu abdicans legitimis superioribus proponat, qui sibi magis ad relictum a se munus suscipiendum idoneus videatur. In quo veterum Episcoporum vestigiis insistet, qui ut tumultibus solitis in electionibus concitari irent obviam, ipsi sibi successorem deligebant, quem adhuc viventes eligi curabant. Quemadmodum etiam par aequumque est, ut Episcopo episcopatum relinquenti pars aliqua ecclesiasticorum redituum adiudicetur, qua possit commode vitam transigere. At de hoc capite *lib. II. tit. de pensionibus* redibit sermo.

XVI. Renuntiationes antiquitus in synodo provinciae rationibus expensis vel admittebantur, vel reiiciebantur. At post inductas falsas decretales Sedi Apostolicae reservari coeperunt (5). Tum ex binis Innocentii III. decretalibus (6), necnon et ex aliis posteriorum Pontificum constitutionibus, ac praesertim ex *LVIII.* Pii V. auctoritatem R. Pontificis omnino requirunt.

XVII. Postremo huiusmodi renuntiationes, sive resignationes vulgo dictae *in favorem*, ut suum sortiantur effectum, plura requiruntur. Praecipua sunt: 1, ut resignans ante diem a facta resignatione vigesimum non decedat (7). 2, ut si beneficium sit iuris patronatus, patroni adsensus habeatur. 3, ut beneficium non sit litigiosum, vel coniunctum, sive unitum, etiam antequam coniunctio, sive unio perficiatur (8). 4, in beneficiis epi-

(1) Lib. I. — (2) Lib. XV. cap. 18. — (3) Hom. XXII. in Levit. — (4) Cap. XXIII.
(5) Can. XXXIV. causs. 7. quaest. 1. — (6) Cap. 1., et cap. II. de renuntiatione. — (7) Regula Cancellariae 18. — (8) Trid. sess. XXIII. de ref. cap. 15.

scopatu inferioribus servanda omnino est constitutio Gregorii XIII., quae incipit : *humano vix iudicio*. 5. Denique renuntiatione a legitimo superiore admissa, non est, cur renuntiantem facti poeniteat, quum omne in beneficium, quo se abdicavit, ius prorsus exuerit.

ADDITAMENTA

Novam dioecesium citra Pharum circumscriptionem heic in medium proferre duximus, atque Ecclesias tum metropolitanas, cum episcopales recensere,quae iure novissimo ab Apostolica Sede vel coniunctae, vel suppressae fuerunt. Illud vero animadvertendum est, quod Ecclesiae coniunctae aeque principaliter concathedrales sunt, ideoque Antistites, qui eisdem praesunt, utriusque Ecclesiae titulum assumunt, et in utraque proprium Capitulum, puerorum ecclesiasticum seminarium, distinctam curiam, et peculiarem Vicarium generalem habent. Quare intra anni orbem per aequale spatium, quoad fieri poterit, apud utramque ipsi residere debent.

Ecclesiae Archiepiscopales

Neapolitana Ecclesia habet suffraganeas episcopales
Ecc: Acerrarum
Iselanam
Nolanam
Puteolanam

Surrentina habet suffraganeam
Ecclesiam Castri Maris

Capuana habet
Ecc: Iserniensem
Calvensem
Suessanam
Casertanam

Salernitana habet
Ecc: Caputaquensem
Policastrensem
Nuscanensem,
Ecc: Nuceriae Paganorum
Acernensis quoque Ecclesiae, ac Dioecesis administratio Salernitano Archiepiscopo perpetuo committitur.

Amalphitensis nullam suffraganeam habet.

Acheruntina suffraganeas habet
Ecc: Anglonensem, et Tursiensem
Potentinensem
Tricaricensem
Venusinensem

Compsana habet
Ecc: S. Angeli Lombardorum
Laquedoniensem
Muranensem

Beneventana Dominio Sedis Apostolicae etiam in temporalibus subiecta habet
Ecc: Abellinensem
Arianensem
Asculanensem
Bovinensem
Lucerinensem
S. Severi
Cerratenensem, et
Telesinensem coniunctas
Bojanensem
Thermularum
Larinensem
S. Agathae Gothorum

Sypontina nullam suffraganeam Ec-

clesiam habet: huiusce Antistiti vero episcopalis Ecc. Vastanensis administratio perpetua tribuitur: ideoque nuncupatur Sypontinus Arch. et Vastanensis Arch. Ecc. administrator.

Barensis habet
Ecc. Bituntinensem
Rubensem, et Conversanensem

Tranensis habet
Ecc. Andriensem
Archiepiscopo Tranensi vero commissa fuit Episc. Ecc. Vigiliensis perpetua administratio: quapropter et Arch. Tranensis, ac Vigiliensis Episcopalis Ecc. Administrator nuncupatur.

Tarentina habet
Ecc. Castellanetensem
Oritanensem
Brundusina nullam Ecc: suffraganeam habet: Ipsi vero addicta fuit perpetua administratio Ecc: Ostunensis.

Hydruntina habet
Ecc: Lyciensem
Uxentinensem
Gallipolitanensem

Cosentinensis, Rossanensis, et Theatina suffraganeas non habent.

Ecc: S. Severinae habet
Ecc. Cariatenensem

Rheginensis habet
Ecc. Hyeracensem
Bovensem
Oppidensem
Cathacensem
Cotronensem
Tropiensem
Nicoterensem
Squillacensem
Neocastrensem
Cassanensem

Lancianensis nullam Ecclesiam suffraganeam habet; huiusce tamen metropoliticae sedis Archiepiscopo commissa fuit Ecclesiae orthonensis perpetua administratio.

Ecclesiae Episcopales coniunctae.

Ecc: Acerrarum cum.	Ecc: S. Agathae Gotorum
Theanensis.	Calvensi
Materanensis	Acheruntina
Campaniensis	Compsanensi
Bisacciensis.	Ecc: S. Angeli Lombardorum
Alliphanensis	Cerretanensi, et Thelesinensi
Rubensis	Bituntinensi
Ostunensis	Brundusinensi
Nicoterensis	Tropiensi
Orthonensis	Lancianensi
Pontis Corvi, et Aquitanensis	Sorana
Gravinensis	Ecc: Montis Pelusii
Sarnensis	Cavensi
S. Marci	Bisinianensi
Iuvenacensis, et Therliticensis	Melphictensi

Ecc: parochialis Ceriniolae erecta fuit cathedralis, et coniuncta aeque principaliter cum	Asculanensi

Illud quoque observatu dignum, quod in Sedium episcopalium coniunctione antiquioris Ecclesiae titulum prius nominari in more positum fuit. Cum vero Episcopus suae iurisdictionis actum exercet, qui ad alterutram pertineat, tunc illa Ecclesia primo loco est designanda, quam profecto ipse actus respicit.

Ecc: Gravinensis, et Montis Pelusii.	Asculanensis, et Ceriniolae
Calvensis, et Theanensis.	Sarnensis, et Cavensis
Nicoterensis, et Tropiensis.	Marsicensis, et Potentinensis
Aquinatensis, Sorana, et Pontis Corvi	Rubensis, et Bituntinensis
Melphictensis, Juveuacensis, et Therlitiensis	S. Marci, et Bisinianensis

Ecclesiae episcopales Apostolicae Sedi immediate subiectae

Caietana	Aversana
Sorana	Miletensis
Montis Pelusii	Valvensis, et Sulmonensis
Cavensis	Pennensis, et Atriensis
Monopolitana	Melphiensis, et Rapollensis
Melphitensis	Troiana
Bisinianensis	Neritonensis
Aquilana	Triventina
Aprutina	Marsicana

Ecclesiae Episcopales suppressae.	*Ecc: Arch:, et Episcopales coniunctae.*
Ecc: Massalubrensis cum	
Vicana	Ecc: Surrentinensi
Capritana	
Litterensis	Ecc: Castri Stabiensis
Venafrensis	Iserniensi
Carinolensis	Suessana
Calatinensis	Casertana
Montis Marani.	Nuscanensi
Scalensis	
Minorensis.	Amalphitensi
Ravellensis.	
Lavellensis.	Venusina
Satrianensis	Compsanensi
Montis Viridis.	S. Angeli Lombardorum
Trivicanensis	Laquedonicnsi

Vulturariensis, et Montis Corbini.	Lucerinensi
Guardiensis	Ecc: Thermularum
Bitectensis	Barensi
Nazarena, et . . . . . . Cannensis	Tranensi
Minervinensis	Andriensi
Motulensis	Castellanetensi
Castrensis	Hydruntina
Alexanensis	Uxentrinensi
Belcastrensis	Ecc: S. Severinae
Geruntinensis . . . . Strongulensis . . . . Umbriaticensis.	Cariatenensi
Insulanensis	Cotronensi
Marturanensis	Neocastrensi
Fundana	Caietana
Polignanensis	Monopolitana
Ecc: Civitatis Ducalis.	Aquilana
Camplensis..	Aprutina
Abbatiae	Montis Cassinensis SS. Trinitatis Montis Virginis
Praepositura	S. Mariae *la Mena* nuncupata civitatis Altimuri
Prioratus	S. Nicolai Barensis

TITULUS XXI.

DE PRESBYTERIS ET PAROCHIS.

I. Alterum ab Episcopis gradum tenent *presbyteri*, nomen quod graeci peculii est, latine *seniorem* significat, seniorem, inquam, sapientia magis, et doctrina, quam aetate. Neque enim πρεσβυτερος ita maiorem natu significat, ut non aliquando gravitatem potius notet, et dignitatem, quae grandaevos comitatur nulla aetatis ratione habita. Quia enim τιμιωματον το πρεσβυτατον ut in *problem.* Aristoteles, hinc simpliciter πρεσβυτατον dictum legimus, quod maximo haberetur in pretio, essetque maxime venerandum. Adhaec Hesychio πρεσβυτατη est ευτιμοτατη. Nec aliter ad *Odyss. XIII.* 142., ubi Iupiter Neptunum fratrem adpellat πρεσβυτατον

Schol. ἐντιμοτατον. Ἀλλαχου γαρ λεγει. Ἀλλα Ζευς προτερος γεγονει h. e. *maximo honore prosequendum. Alibi enim ait* (1): *at prior Iupiter natus.* Ita illud Homero frequens: πρεσβα θεα *veneranda dea.* Huiusmodi nomen primis saeculi Episcopis quoque commune erat, atque, ut notat Balsamon ad *can. XV.* concilii ancyrani, aliquando omnibus clericis datum fuit. Senior igitur, sive presbyter in Ecclesia christiana is est, qui non propter aetatem, sed propter animi dotes, et merita sub Episcopo ius habet omnia poene ecclesiastica obeundi ministeria. Hac notione iam inde ab aetate apostolica voce *presbyter* in suis epistolis saepissime usus est Ignatius.

II. Dici quoque consueverunt sacerdotes, et quidem a sacris, quibus operantur. Profecto hoc nomine Episcopi quoque haud raro donati sunt. Codex canonum Ecclesiae africanae Episcopos alexandrinum, et antiochenum *venerabiles sacerdotes* adpellat. Qua de re distinctionis nomine Episcopi summi sacerdotes, vel in summo, aut in primo sacerdotii gradu constituti, Presbyteri vero sacerdotes minores, vel secundi ordinis nonnunquam dicti sunt: unde Hieronymus (2): *Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet.* At in Hieremiam (3) de presbyteris sic loquitur: *sacerdotes quoque ipsi, secundus in ecclesiastico ordine gradus.* Eamdem loquendi rationem et alii Patres servarunt. Videsis Suicerum in voce ἱερευς *sacerdos.* Eodem adiecto *primi, et secundi ordinis* discrimine dicti etiam sunt antistites tam Episcopi, quam presbyteri. Sidonius Apollinaris (4) de Mamerto Claudiano fratre Mamerti Episcopi viennensis cecinit.

Antistes fuit ordine in secundo
Fratrem fasce levans episcopali.

III. Iam vero quemadmodum aetate apostolica nomen Presbyteri cum Episcopis communicatum est, ita ex adverso nomen Episcopi Presbyteris quoque tribuebatur: ad rem Theodoretus (5), *Episcopos adpellat presbyteros: utrumque enim nomen illo tempore habebant.*

IV. Presbyterorum potestatem quod spectat profecto maxima semper in Ecclesia fuit. Et sane iam inde ab aetate apostolica baptizabant, concionabantur, Eucharistiam conficiebant, et administrabant, ecclesiasticam poenitentibus communionem impartiebantur, aliaque id genus peragebant munia; at nonnisi Episcopo, vel absente, vel, si praesens esset, ipsis eiusmodi negotia committente. Presbyterorum enim potestatem in omnibus ab Episcopo pendere universa ecclesiastica tradit antiquitas. Sic Ignatius (6): *sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad Ecclesiam pertinent.* Et Tertullianus (7): *dandi quidem baptismum ius habet summus Sacerdos, dehinc presbyteri, non tamen sine Episcopi auctoritate.* Idem passim praesceferunt veteres ecclesiastici canones.

V. Maxima quoque Presbyterorum praerogativa in eo erat, quod ipsis cum Episcopo sedere licebat, quod privilegium, ut alibi iam observavimus,

(1) Iliad. XIII. 355.
(2) Hier. adversus Lucifer. cap. VI. — (3) Cap. III. 13. — (4) Lib. IV. epist. 2.
(5) Theodor. ad vers. 1. cap. 1. Epist. ad philipp.
(6) Epist. ad smyrn. — (7) Lib. de Baptismo cap. 12.

diaconis commune haud erat. Immo, quod magis mirum est presbyterorum sedes, non secus ac Episcoporum *throni* adpellabantur. Id tamen discriminis inter presbyterorum, et Episcoporum thronos intercedebat, quod istis competebat *thronus primus*, sive celsus, illis vero *throni secundi*, vel inferiores. Hinc Gregorius Nazianzenus describens quo pacto ipse cum suis presbyteris, et diaconis sederet, sic cecinit in *somnium de templo Anastasiae*.

Sede alta, haud alta considere mente videbar:
Nam neque per somnum mente superbus eram.
Presbyterique graves sellis utrinque sedebant.
Demissis, aetas lecta, ducesque gregis.
Vestibus in niveis at stabat turba ministra
Splendorem referens agminis angelici.

Quoniam vero hinc atque hinc Episcopo adsidentes presbyteri semicirculi formam efficiebant,factum ex eo est, ut saepius *spiritualis corona*, *circulus presbyterii*, *corona presbyterii*, *et corona Ecclesiae* audieriut.

VI. Porro huiusmodi presbyterorum praerogativa haud quidem purum putumque honorarium munus erat, sed magnam conferebat auctoritatem potestatemque. Etenim ipsi senatum ecclesiasticum, sive concilium constituebant, cum quibus imminentes Ecclesiae tempestates, excitatas, et emergentes haereses, aliaeque id genus negotia Episcopus communicabat, atque ab illis consilium petebat. Verum hac de re iam satis *tit. IV.de conciliis*, ubi etiam ex veterum testimoniis luculenter demonstravimus presbyteros in synodis oecumenicis, et provincialibus cum Episcopis consedisse, et aliquando etiam subscripsisse.

VII. Quae sint presbyterorum munia iure novo declarat Pontificale Romanum his verbis: *sacerdotem oportet offerre*, *benedicere*, *praeesse*, *praedicare*, *et baptizare*. Primum igitur Presbyteri munus est oblatio, nimirum Sacrificii eucharistici, quae ex nova Ecclesiae disciplina veluti primaria eorum functio habetur.

VIII. Praeclarum est, quod Morinus hac in re ex antiquis monumentis docet (1) eum nimirum antiquitus morem apud graecos aeque, ac latinos obtinuisse, ut simul plures presbyteri cum suo Episcopo celebrarent, diaconis, ac reliquis clericis unoquoque in suo ordine sacris mysteriis ministrantibus, eamque fuisse communionem ecclesiasticam passim ab antiquis Patribus memoratam, cuius privatio poena erat in clericos delinquentes, utpote qui pro criminis ratione modo ad inferiorem ordinis gradum, modo ad infimum deducerentur. Quod si ita postulante facinoris gravitate omnino illius exsortes essent, ad laicam communionem redacti censebantur. Extat hodie huius disciplinae vestigium in ordinatione Episcoporum, et presbyterorum, qui cum Episcopo ordinante concelebrant.

IX. Proximum modo explicato munus est benedicere. At duplex distinguenda benedictio, prima, quae maior dicitur, quaeque Episcoporum propria,nonnisi ex privilegio aliis inferioribus Praelatis conceditur; altera, quae dicitur minor, cuius emittendae ius est etiam penes presbyteros. Sunt et

(1) Part. 1. de sacr. ordinat. exercit. VIII. cap. 1.

aliae benedictiones, uti aquae, novorum fructuum etc., sed in his servandi Ecclesiarum ritus, et usus, ex quibus quaedam benedictiones vel Episcopis, vel parochis, vel aliis ab Episcopo delegatis presbyteris reservantur.

X. Tertia presbyterorum functio designatur verbo *praeesse*, atque in eo sita est, quod presbyteris in publicis conventibus honoratior post Episcopum locus, et primae partes sint tribuendae. Id quod quum in caeteris, tum praecipuae servandum est, quum totius populi nomine publicis precibus cum Deo agitur, sive in ecclesiastica solemni liturgia, sive in publicis cuiuscumque generis supplicationibus.

XI. Quartum munus exprimitur per verbum *praedicare*. Quod sane de praedicatione verbi Dei, populique in rebus fidei institutione intelligendum nemo inficiabitur. Compertum sane est Episcopum esse primum verbi Dei ministrum, et preconem, qua de caussa quum ordinatur, Evangeliorum liber super ipsius humeros imponitur. At vero quoniam presbyteri in populi institutione socii, et coadiutores Episcopi sunt, ideo concilium tridentinum (1) decernit, ut in presbyteros ordinandi, ad populum docendum diligenti praecedente examine idonei comprobentur.

XII. Quinta demum per verbum *baptizare* expressa Sacramentorum administrationem indicare videtur. Unde et *ibidem synodus* tridentina in promovendis ad Presbyteratum scientiam requirit ad rite administranda Sacramenta necessariam.

XIII. Verum in his duabus, quas postremo loco recensuimus presbyterorum functionibus, uti et in ea, quae significatur per verba, *accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt*, iuvat animadvertere, quod licet presbyteris in sua ordinatione sine ulla restrictione conferantur, per canones tamen, et consuetudinem Ecclesiarum multis modis restrictae sunt, neque omnibus *αδιαφορως indifferenter* ex hodierna Ecclesiae disciplina presbyteris conveniunt. At adeo id ex antiquissimo iure originem ducit, quo fiebat, ut presbyter sine Episcopi venia, a cuius nutu in omnibus pendebat, nihil omnino agere posset. Ad rem Ignatius M. (2): *sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad Ecclesiam pertinent.* Consonant Tertullianus (3), Cyprianus (4). Verum secutis temporibus quum animarum curam duntaxat ex parte Episcopi parochis commiserint, hac delegatione semel facta, parochi agnoscunt quidem Episcopum tamquam superiorem, sed concrediti sibi populi curam iure proprio exercent. Caeteris vero presbyteris, nisi petita Episcopi, aut parochi venia, neque verbum Dei adnuntiare, neque Sacramenta administrare permissum est.

DE PAROCHIS

Parochorum origo

XIV. Antiquitus nonnisi una in singulis urbibus constituta erat Ecclesia *Κυριακον της πολεως dominicum civitatis* dicta, ad quam omnes non mo-

(1) Sess. XXIII. de ref. cap. 14. — (1) Epist. ad smyrn. — (2) Lib. de Baptismo cap. 17. — (3) Epist. X, can. LX. apostol.

do urbis, verum et vicinorum oppidorum fideles confluebant, atque hinc presbyteri in civitatibus tantummodo ordinabantur, ut Episcopis in pastoralis fascis levamen praesto essent, ac sub ipsis curam animarum gererent. Qua de re in synodo antiochena an. 365. adpellantur συλλειτουργοι των επισκοπων *collegae, et comministri Episcoporum* (1), et a Chrysostomo *compastores* (2).

XV. Iam vero aetate progrediente aucto fidelium numero inferiores quaedam Ecclesiae constitui, ac presbyteri per easdem, veluti per certos titulos disponi coeperunt, ut plebis mores inspicerent, et de omnibus ad Episcopum referrent. Hac presbyterorum distributione in frequentioribus potissimum civitatibus opus fuit, veluti Romae, et Alexandriae, in quibus saeculo IV. iam plures Ecclesiae fuere, et in unaquaque peculiaris presbyter, qui populum doceret, Baptismum, et Poenitentiam periclitantibus conferret, sepulturae Martyrum curam haberet, aliaque huius generis praestaret. Id ex *can. XIV. ex sic dictis apostolicis*, ex auctore pontificalis Damaso tributi in *Evaristo, Dionysio, et Marcello*, et ex Athanasio *apol. II.* perspicuum est. Paullo post etiam ruri Ecclesiae aedificatae fuere, quibus presbyteri praefecti sunt, ut rusticanis hominibus, quippe qui urbem adire minus possent, ecclesiastica munera impenderentur.

XVI. Inferiores istae sive urbanae, sive rurales Ecclesiae dictae sunt *parochiae*, quasi sacrae quaedam viciniae, *dioeceses*, quasi divisae quaedam administrationes, et *tituli*, forte quod illis praepositi presbyteri inde suum nomen, titulumque ducerent: auctor pontificalis *ibidem*.

XVII. Presbyteri igitur inferioribus hisce Ecclesiis praepositi a solo titulo, hoc est parochia denominabantur. Verum post ob stabilitatem sedis dicti sunt *cardinales*, et quoniam etiam diaconi ad titulos, vel ad oratoria, quae praesbytero vix digna videbantur, constituti sunt, hinc cardinalium diaconorum nomen ortum habuit. In neapolitana cathedrali Ecclesia, ut alibi iam explicavimus, Canonici extant *cardinales presbyteri, et cardinales diaconi* nuncupati: horum enim canonicatibus praebendae adnexae sunt veterum cardinalium presbyterorum, et diaconorum, qui Ecclesiis, et diaconiis neapolitanae urbis antiquitus praeerant.

XVIII. Parochi per parochias distribuuntur aeque ac Episcopi per Ecclesias. Verum Episcopos inter, et parochos illud intercedit discrimen, quod Episcopi, nonnisi singulis singuli praesint Ecclesiis, at parochi possunt plures, atque adeo ad tempus unam parochiam regere. Quinimmo apud nonnullos etiam superioris subsellii canonistas parochi in censu Praelatorum minorum habentur, qui ab ipso Christo αμεσως *immediate* curam animarum exercendi habeant facultatem, tanquam successores septuaginta duorum discipulorum. Profecto, uti recte observat Thomassinus (3) parochorum officium ea ratione spectatum, qua in episcopatu includitur, ut in fonte, et plenitudine Sacerdotii. divinae originis, et institutionis recte dici posse videtur. Adeundus omnino cl. auctor *ibidem.*, ubi pluribus

(1) Eusebius lib. VII. cap. 24., et ep. syn. ad Dionysium Rom. — (2) Serm. de pseudoprophetis.
(3) Part. I. lib. II. cap. 26.

demonstrat divinam parochorum originem adstruere potius, quam labefactare divinam Episcoporum institutionem (1).

Parochorum munia

XIX. Praecipua parochorum officia ex concilio tridentino (2) sunt. I, Sacrificii oblatio, quam ex bulla Benedicti XIV. edita an. 1744. quilibet parochus sive dives, sive pauper omnibus dominicis, aliisque festis diebus pro populo sibi commisso offerre tenetur, tantummodo ex eadem bulla parochi pauperes festis diebus eleemosynas a pio benefactore licite, ac libere oblatas accipere possunt, et pro ipso Sacrificium offerre: ea tamen adiecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro populo celebrent, quot in diebus festis iuxta peculiarem benefactoris intentionem obtulerint.

XX. Alterum parochi munus est verbi Dei praedicatio. Qua de re synodus tridentina (3) sanxit, ut parochi, aliique Ecclesiis, quibus cura animarum adnexa sit, praepositi sermonem de rebus divinis ad populum habeant cunctis dominicis saltem diebus: quadragesimae vero, et adventus tempore ter minimum in unaquaque hebdomada: adhaec pueros fidei rudimenta doceant. Parochus igitur prae caeteris presbyteris vitae sanctitate praelucere debet, quae, ut ibidem loquitur tridentinum perpetuum praedicationis genus est. Ad rem II. synodus provincialis neapolitana: ***parochus christifideles sibi commissos portet in sinu suo, sicut portare solet nutrix infantulum.... ut verus pastor, qui quum emiserit oves suas ante eas vadit, pascat eas verbo, pascat exemplo.***

XXI. Tertium denique est Sacramentorum administratio, quae generatim (exceptis Confirmatione, et Ordine) a solo parocho licite suscipi monet tridentinum (4).

XXII. Iam vero ex his praecipuis, aliisque propriis parochorum officiis recte colligi datur parochos residentiae fibula obstringi, et quidem, ut explicat eadem syn. provincialis neapolitana ibidem: ***aut in aedibus parochialibus parochi inhabitent, vel intra paroeciae suae fines, si parochiales aedes nullae fuerint.*** Neque ultra bimestre longius abesse ipsis permittitur (5), ***ita tamen, ut quandocumque eos caussa prius per Episcopum cognita, atque probata, abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso Ordinario adprobandum cum debita mercedis adsignatione relinquant*** (6).

(1) Sess. XXIII. de ref. cap. 1 — (2) Sess. V. de ref. cap. 2. — (3) Tit. IX. cap. 4.

(4) Sess. XXIV. de ref. cap. 13. — (5) Syn. trid. sess. XXIII. de ref. cap. 1.

(6) Conventione novissima an. 1818. art. XI. cautum liberam fore Episcopis paroeciarum collationem, quae quovis anni tempore erunt vacaturae. Unde ex hodierna disciplina paroeciae liberae collationis per *concursum* iis inter adprobatos conferre debent Episcopi, quos digniores existimant iuxta tridentini concilii decreta (sess. XXIV, de ref. cap. XVIII). Qua de re permulta sanxerunt Pius V. bulla *in conferendis*, et bulla *apostolatus* an. 1567, tum Clemens XI in encyclica *reverendissime* an. 1721., et Benedictus XIV. bulla *quum illud* an. 1742: qui omnes praedictam formam a tridentina synodo in paroeciarum collatione traditam non modo confirmarunt, verum etiam perspicue illustrarunt. Quum vero paroeciae esse possint iuris patronatus vel ecclesiastici, vel regii, vel laicalis: hinc primo casu iure

XXIII. Illud denique hic restat observaudum, eandem provincialem synodum *ibid.* ex constitutione Innocentii XII. sanxisse, *ut Episcopi a paroeciis ulla pensione gravandis abstineant, ne quum operarius dignus mercede sua portaverit pondus diei, et aestus, capiant alieni labores eius: id quod in omnibus beneficiis conferendis dignissimum est observari.* Verum de pensionibus opportunius libro sequenti.

TITULUS XXII.

DE DIACONIS ET DIACONISSIS

Vocis diacouus *etymon*

I. Vox *διακονος* graece, latine *diaconus*, generatim notat ministrum a *κονειν* quod est *ministrare*, idque iuxta Vossium in *etymolog.* ab Hebraeo כהן *chahan* descendit, quod est *ministrare*, et in specie *Deo*, unde est כוהן *chohen sacerdos, minister.* Qua generali acceptione etiam Episcopi, et presbyteri nonuunquam diacoui dicuutur (1). Porro aetatis progressu strictiori notione *diaconi* dicti suut, qui tertium in ecclesiastica hierarchia ordinem constituuut.

Diaconorum origo

II. Diaconos ab Apostolis electos (2) non solum ut communibus mensis, sed sacris etiam ministrarent ex ipso sacro textu intelligimus. Quorsum enim plenitudo Spiritus S., et sapientia tanta, si temporalium tantum ministerium obituri erant? quorsum ad ipsos creandos advocata fidelium concio? quorsum ieiunio praecedente, et impositis manibus eos consecrare? His accedit, diaconos paullo post Evangelium veluti proprio iure gentibus adnuntiasse (3): iisdemque Iesu Christi ministerium fuisse demandatum: Ignatius M. (4), et Iustinus (5).

III. Septenarium diaconorum numerum semper retinuit Ecclesia Romana Apostolorum exemplum secuta: Sozomenus (6). Ex hac porro eorum paucitate, et praesertim, quum ipsis temporalia Ecclesiae bona concrederentur, factum est, ut tantum sibi honoris comparaverint, ut sese presbyteris praeferre ausi fuerint: quorum merito audaciam reprimere studuit S. Hieronymus (7). Eumdem ubique numerum retinendum constituerat synodus neocaesareusis (8): quod tamen pleraeque non observarunt Ecclesiae.

novissimo illos instituent Episcopi, quos pariter praevio concursu tamquam digniores inter adprobatos patronus ecclesiasticus praesentabit, altero, et tertio casu, praevio examine illos instituent Episcopi, quos patronus praesentabit, dummodo idonei ipsi fuerint ad grave ministerii onus in Ecclesiae utilitatem suscipiendum. Postremo eodem art. XI. excipiuntur paroeciae vacaturae in Curia, aut quarum pastores fuerint ab Apostolica Sede de aliqua dignitate, aut canonicatu provisi. Hae omnes pontificiae collationi reservantur.

(1) Act. I. v. 25: et Epist. II. ad Cor. VI. v. 4· Chrysost. Hom. I. in Philippenses cap. 1. — (2) Act. VI. — (3) Act. VI., et VIII. — (4) Ep. ad Magnes n. 6. — (5) Apol. II. — (6) Lib. VII. cap. 19. — (7) Epist. ad Evagrium. — (8) Can. XV.

Diaconorum munia

IV. Diaconorum munia explicat Pontificale Romanum his verbis: *diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, praedicare*. I. Igitur Sacerdoti sacra praesertim mysteria perficienti praesto sunt: quare *ibidem* vocantur *comministri*, *et cooperatores Corporis*, *et Sanguinis Domini*. Hinc autem tantum sibi licere diaconi crediderunt, ut quidam etiam Sacrificium offerre adtentariut, quos merito damnavit synodus arelatensis I (1). Tum synodus carthaginensis IV. (2): *non ad Sacerdotium*, inquit, *sed ad ministerium consecrantur*. Rursus nonnulli sese non presbyterorum, sed Episcoporum duntaxat ministros esse iactitabant, quos eadem carthaginensis synodus coercuit (3): *diaconus*, inquit, *ita se presbyteri*, *ut Episcopi ministrum noverit*. Quod vero pertinet ad Eucharistiae dispensationem, certum est eam inter diaconorum officia semper fuisse numeratam (4). Verum nicaena synodus (5) vetuit ipsos Eucharistiam presbyteris porrigere et eadem synodus carthaginensis (6) ne populo quidem illam distribuere, praesente presbytero, nisi eo iubente diaconis permittit.

V. Alterum diaconi munus est *baptizare*: at vero baptizandi facultas a Gelasio P. (7) contracta est, ita ut si nulla adsit necessitas, neque desint presbyteri, diaconis solemniter baptizare non liceat.

VI. Ad diaconum denique pertinet verbi Dei praedicatio: id quod non solum de Evangelii lectione in missis solemnibus, sed etiam de vera praedicatione Verbi Dei ad populi institutionem intelligas (8) Id quod exemplis etiam comprobatur tum Stephani, et Philippi (9), tum Origenis, Chrysostomi, et Gregorii M., quos adhuc diaconos praedicasse veteres ecclesiastici scriptores testantur. Verum quod ad praedicationis exercitium attinet, huc revocanda sunt, quae de eo notavimus, ubi de Episcopis, et presbyteris egimus.

VII. Praeter sacrorum ministerium ad diaconos antiquitus etiam pertinuit 1, cura viduarum, orphanorum, et pauperum (10): unde loca egentibus hisce personis destinata *diaconiae* dictae sunt. Tum 2, diaconi curam gerebant (11) confessorum, et martyrum 3, erant tanquam oculi Episcopi oberrantes, et perserutantes proximos praecipitio (12) idest peccato, ut omnia ad eum deferrent 4, anteibant Episcopum (13) quum procederet in publicum 5, demum eorum septem custodire solebant Episcopum praedicantem (14). Verum de his, aliisque bene multis diaconorum muniis fusius in nostris *antiquitatibus christianis*.

DE DIACONISSIS

Diaconissarum origo

VIII. Fuerunt iam inde ab aetate apostolica diaconissae; earum enim haud semel in sacro novi foederis Codice iniicitur mentio. Apostolus (15)

(1) Can. XV.—(2) Can. IV.—(3) Can. XXVII —(4) Iustinus apol. II.—(5) Can. VIII.—(6) Can. XXXVIII.—(7) Epist. IX. (8) Can. I. dist. 95.—(9) Act. V., et VI. (10) Act. V.—(11) Cyprian. epist. 11. 3.—(12) Can. VI. dist. 93.—(13) Palladius in vita Chrysost. cap. 2. —(14) Can. XI. eadem dist. —(15) Epist. ad Rom. XVI,

phoeben adpellat διακονον *ministram* Ecclesiae cenchrensis, in concilio laodiceno (1), et ab Epiphanio (2) dicuntur Πρεσβυτιδες *seniores*, eo quod nonnisi viduae seniores ad tale munus deligerentur. Aliquando etiam virgines in diaconissarum censum recipiebantur, uti constat ex auctore const. (3), et ex Iustiniano (4), at id raro; Tertullianus enim (5) de virgine quadam in diaconissam electam, tanquam *de miraculo*, *et monstro in Ecclesia* loquitur.

IX. Praecipua diaconissarum munia erant 1, Episcopo, vel presbytero foeminas baptizanti praesto esse, ut baptismi ritus ea decentia, qua par erat, peragi possent. 2, catechumenas de praecipuis christianae Religionis capitibus privatim erudire; namque publice in Ecclesia docere ipsis expresse vetitum. 3, foeminas aegrotas, et adflictas invisere, iisdemque ministrare. 4. Episcoporum mandata ad foeminas deferre, ad quas diaconos mittere non expedivisset. 5, martyribus, et confessoribus in carceribus detentis necessaria vitae subsidia praebere. 6, foeminis in Ecclesia suum cuique locum adsignare, easque submonere, quomodo sese gerere oporteret. 7, tandem reliquis viduis praesidere, et earumdem necessitatibus, ubi opus esset, succurrere. Porro de diaconissarum muniis, uti et de legibus in earumdem electione servatis, fusius in nostris *antiquitatibus christianis*.

X. Duo hic iuvat subnectere. 1, diaconissas nullum ecclesiasticum ordinem habuisse, cuius semper foeminae fuerunt expertes, sed meruui tantummodo ministerium, ad quod benedictione, ac, si vis, etiam manuum impositione inaugurabantur. 2, *diaconissae* nomen a scriptoribus ecclesiasticis aliquando fuisse adhibitum ad significandam non veri nominis diaconissam, sed diaconi cuiusdam uxorem, eo sensu, quo *presbytera* uxorem presbyteri, et coniugem Episcopi *episcopa* denotabat. Hac notione vocabula episcopae, presbyterae, diaconissae, et subdiaconissae usurpata loguntur in concilii turonensis *can. XIII, et XIX*, et in concilii autissiodorensis *can. XXI*.

TITULUS XXIII.

DE SUBDIACONIS ALIISQUE INFERIORIBUS ORDINIBUS

Ordinum inferiorum numerus in Ecclesia latina

I. Inferiores Ordines in Romana Ecclesia, et ex ea in reliquis occidentalibus iam inde a primis Ecclesiae saeculi semper quinque fuisse antiquissima produnt ecclesiastica monumenta. Et sane 1, Cornelius P. celebri epistola ad Cyprianum, quam incolumem ad nos usque transmisit Eusebius (6), diserte scribit, fuisse tunc in Ecclesia Romana praeter superiores ordines, subdiaconos septem, duos et quadraginta acolythos, exorcistas autem, lectores, et ostiarios duos, et quinquaginta. Tum 2, auctor libri pontificalis in *Caio* sic habet: *hic constituit ordinationes omnes in Ecclesia sic adscendere: si quis Episcopus esse meretur, ut esset ostiarius*,

(1) Can. XI. — (2) Haeres. LXXIX. — (3) Lib. VI. cap. 18. — (4) Novel. VI. cap. 6. — (5) Lib. de velandis virg. cap. 9. — (6) Lib. VII. cap. 43.

lector, *exorcista*, *sequens*, *subdiaconus*, *diaconus*, *presbyter*, *et exinde Episcopus ordinaretur*. Idem tandem evincitur ex concilio carthaginensi IV. (1): et ex S. Isidoro hispalensi (2).

Ordinum inferiorum numerus in Ecclesia graeca

II. Iam vero Ecclesia graeca, quae pluribus abhinc saeculis ex quinque modo recensitis nonnisi Ὑποδιακονους *subdiaconos*, et Αναγνωστας *lectores* agnoscit, antiquitus plures habuit, quam latina. Namque praeter subdiaconos, lectores, exorcistas, et ostiarios (acolythatus enim graecis semper ignotus) habuit quoque ψαλτας seu *cantores*, *laborantes*, seu *fossarios*, qui effodiendae terrae, ac sepeliendis mortuis operam navabant, atque etiam *parabolanos*, qui aegrotos curabant. Ita doctissmus Thomassinus (3). Et sane quum non ex divina, sed ex ecclesiastica institutione processerint, profecto mirum non est, si alii ab aliis fuerint adpositi, quos aetas posterior probaverit: Idem auctor *ibidem*. Verum de hoc ecclesiasticae antiquitatis capite uberiori calamo agemus in nostris *antiquitatibus christianis*.

Ordinum inferiorum origo

III. Primaevam institutionem quod spectat, profecto certum definiri tempus nequit, quo primum coeperint singuli. Nihil autem probabilius est, quam veluti quasdam portiones esse diaconatus aliis, aliisque temporibus ab eo decerptas: quamobrem aliquo sensu recte dixeris in suo fonte, et origine, idest in diaconatu, unde tanquam surculi, scaturierunt, institutionis esse divinae. Sunt enim veluti quaedam ecclesiastici ministerii partes quod totum est in diaconatu. Eadem prorsus videtur fuisse sententia S. Thomae (4).

De hypodiaconis

IV. Hypodiaconatus antiquitatem diserte testantur Cornelius Papa in celebri *epistola ad Fabium antiochenum*, Cyprianus in pluribus *suis epistolis*, auctor constitutionum (5), canones sic dicti apostolici (6), Athanasius (7), aliique veteres. Porro illud hic iuvat adnotare, hypodiaconus aeque in graeca, ac in latina Ecclesia semper sine Χειροτονια *manuum* scilicet *impositione* fuisse ordinatos; quare Basilius eosdem αχειροτονητους nuncupat (8), idem evincitur ex concilio carthaginensi (9).

Hypodiaconorum munia

V. Subdiaconi munia recenset Pontificale Romanum: *subdiaconum*, inquit, *oportet aquam ad ministerium altaris praeparare*, *diacono mini-*

(1) Cap. VI. VII. VIII., et IX: can. 1 dist. 21. — (2) Lib. VII. etymol. cap. 11., et epist. eiusdem ad Ludifredum.
(3) Part. I. lib. II. cap. 31. — (4) Supplem. part. III. quaest. XXXVII. art. 2.
(5) Lib. III. cap. 2. — (6) Can. LXXXVIII. — (7) Epist. ad solitarios. — (8) Ep. canon. LI. — (9) Can. V.

strare, *pallas altaris*, *et corporalia abluere*, *calicem*, *et patenam in usum Sacrificii eidem offerre*. Porro eiusmodi subdiaconorum officia hodie plerumque per inferiores clericos, ac etiam per laicos exerceri solent, vel in Missis privatis per ipsum sacerdotem. Qua de re ex recentiori disciplina omnis poene hypodiaconi functio ad ministerium altaris in Missa solemni restricta videtur ac praecipua censetur epistolae decantatio: quae tamen inter hypodiaconi munia antiquitus in Ecclesia latina non recensebatur, nec hodie apud graecos recensetur (1): qui et *ibidem* ex antiquis Ecclesiae monumentis demonstrat, librum epistolarum subdiacono in sua ordinatione tradi recentem esse Ecclesiae disciplinam.

De lege coelibatus hypodiaconatui adiecta

VI. Lex coelibatus VI. exeunte saeculo hypodiaconis primum imposita: tum dein facta illis permissio sacra vasa ad altare deferendi, proximeque altari ministrandi in caussa fuere, cur hypodiaconatus sensim sine sensu inter maiores Ordines referretur. Id quod circa finem saeculi XI. decreto Urbani II. generatim obtinuit. At vero graeci adhuc minoribus ordinibus adcensent.

De acolythis

VII. Acolythus, seu Ακόλουθος si etymon quaeras, *servum iuvenem* significat, sive *pedissequum*, qui aliquem κατα ποδα comitatur eique ministrat. Et sane antiquitus.

1. Episcoporum ad Episcopos epistolas deferebant, quibus de gravissimis Ecclesiae rebus consultabant. Cyprianus (2), quo in munere quammaxima requirebatur fidelitas, eo praesertim tempore, quo gentiles undique insidias struebant ad christiana mysteria profananda.

2. Episcoporum erant velut συγκελλοι sive *concancelli*, tanquam perpetui conversationis eorundem testes. Acolythorum testimonio facile amotae sunt maledicorum calumniae, quibus gravius vexatus fuit Symmachus Papa, Ennodius in *libello apologetico*.

3. Ex Concilio carthaginensi IV. (3) acolythi ad accendenda luminaria Ecclesiae mancipati erant, et ad suggerendum vinum in Eucharistiam Sanguinis Christi: unde in ordinatione accipiebant ab archidiacono ceroferarium cum cereo, et urceolum vacuum. Atque hinc acolythi passim *ceroferarii* dicti sunt.

De Exorcistis

VIII. Exorcistae munus, et supra lectorem dignitatem expressit S. Paulinus *carmine IV.* in natali S. Felicis, de quo cecinit.

> ... Primis lector servivit in annis,
> Inde gradum coepit, cui munus voce fideli
> Adiurare malos, et sacris pellere verbis.

(1) Morinus de sacris Ordinat. part. III. exerc. XII. cap. 1.
(2) Lib. II. epist. 8; et 10. — (3) Can. VI.

Traditur igitur exorcistis potestas invocandi nomen Domini super eos, qui ab immundis spiritibus vexantur. Primis Ecclesiae saeculis communis fere erat omnibus fidelibus cinsmodi in daemones potestas, uti testatur Tertullianus (1), qua ratione vetant constitutiones sic dictae apostolicae quemquam ordinari exorcistam, quum *hoc munus*, inquiunt, *spontaneae Dei erga homines misericordiae sit.* Verum Ecclesia maluit, ut per peculiarem ordinem potestas illa conferretur.

IX. Exorcistae, quum ordinatur, traditur liber exorcismorum dicente Episcopo: *accipe, et commenda memoriae, et habe potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.*

De lectoribus

X. Ordinis huius praestantiam duo praecipue commendant. Primum, quod in Ecclesiis quibusdam suum veluti corpus conflarent lectores, cuius caput erat Ἀρχιαναγνώστης sacrosque codices custodirent; quod ipsis saepe cedebat in materiam illustris triumphi. Alterum, quod prae caeteris ordinibus frequentius couferretur in Ecclesia, nam et pueri ipsi facile eius ministeria obire poterant ex Augustino (2).

XI. Praecipuum lectorum munus est sacras Scripturas legere ex suggesto, sive pulpito (3). Unde *super pulpitum imponi*, *et ad pulpitum venire* formulae sunt, quibus haud raro utitur Cyprianus ad indicandum lectoris officium (4). Tum Sozomenus (5) ambonem, seu suggestum *tribunal lectorum* vocat. Qua de re in lectoris ordinatione ea servatur caeremonia, scilicet ut Episcopus sacra Biblia manibus eius tradat, cumque his verbis adloquatur: *accipe, esto zelator verbi Dei, habiturus, si fideliter, et utiliter officium impleveris, partem cum eis,qui verbum Dei ministraverint.* At contra in Ecclesia graeca lectoratus ordo per manuum impositionem confertur.

XII. Iam vero lectorum plura, quam hodie, olim munia fuerunt: enimvero Evangelii partem ab Episcopo explicandam populo legebant, panem, novosque fructus benedicebant etc: adhaec hodiedum in Ecclesia graeca latius eorum munia patent, quam in latina, pleraque enim aliorum ordinum ministeria ipsis etiam sunt communia. Id quod inde originem habet, quod, ut alibi notavimus, ex minoribus ordinibus nonnisi unus apud graecos obtineat lectoratus.

XIII. Plerique canonistae, qui in Ecclesia quinque duntaxat inferiores ordines semper obtinuisse tuentur, lectores ψάλτας et *psaltes*, sive *cantores* unum eundemque ordinem constituisse contendunt. Verum in nostris *antiquitatibus christianis* pluribus adstruemus aeque ψάλτας, *et psaltes*, ac *cantores*, et parabolanos in veteri, praesertim graeca Ecclesia, diversos inter se fuisse ordines.

XIV. Porro acolythi, exorcistae, lectores, et praecipue psaltae, sive cantores in Ecclesia latina primicerium, tanquam suum caput, sive prin.

(1) In Lib. de corona militis cap. 11.
(2) Lib. de consensu Evangelistarum cap. 10.—(3) Can. 1 dist. 2, et 1. dist. 21—(4) Epist. XXXIII. — (5) Lib. IX. cap. 2.

cipem agnoscebant, unde *caput scholae cantorum*, *chori inspector*, et *praecentor* dici consuevit (1). At vero de Primicerii origine, iuribus, aliisque infra sermo redibit.

De ostiariis

XV. Postremum inter minores ordines locum habet ostiariatus, cuius meminit Cornelii P. nuper indicata epistola. Eius ordinis quanta fuerit in Ecclesia dignitas ex eo cognoscimus, quod thesaurarii munus. quod praestantissimum habetur, olim ad ostiarios pertinuerit, unde thesaurarius orat veluti ostiariorum princeps, cui illi suberant (2).

XVI. Ostiario, dum ordinatur, claves traduntur Ecclesiae ab Episcopo his verbis: *sic age, quasi redditurus Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur*(3). Qua de re ostiarii munia sunt claves, ianuamque Ecclesiae custodire, eam fidelibus aperire, claudere infidelibus, et excommunicatis, campanas pulsare; adhaec curare, ne quid pereat eorum quae in Ecclesia servantur, impedire ne quis propius ad sacerdotem rem divinam facientem accedat,atque olim etiam Episcopo concionaturo librum aperiebat.Mandat demum ostiario Episcopus,ut quemadmodum materialem Ecclesiam infidelibus aperit, ita fidelium animas, quae templum sunt spirituale Dei, dictis suis, et exemplis Deo aperiat, et claudat diabolo.

De clericis primae tonsurae

XVII. Quos ad Clerum formandos, et in clericali vita instituendos suscipit Ecclesia, eos tondendis capillis, ac vestibus inter preces, solemnesque caeremonias per Episcopi manus tradendis adsumere consuevit; isque tanquam necessariis ad suscipiendos ordines adparatus universae Ecclesiae disciplina custoditur.

XVIII. Quod ad tonsurae antiquitatem spectat, profecto octo prioribus Ecclesiae saeculis nullos fuisse clericos simpliciter attonsos, scilicet nullo proprio officio demandato; at vero per illud temporis simul cum lectoratu, aliove inferiori ordine, tanquam eius comitem caeremoniam, fuisse collatam pluribus ostendunt Morinus, aliique. Profecto iam inde ab VI. saeculo clericos et vestibus, et tonsura ab laicis distingui coepisse demonstrat Thomassinus (4), et nobis de hoc capite mox redibit sermo.

XIX. Porro Morinus iam inde ab VI. saeculo tonsurae separatim ab quocumque ordine collatae originem repetit: et quidem ex eo, quod quum impuberes ordinum functionibus impares ab parentibus Ecclesiae offerentur ecclesiasticis officiis instituendi, conveniens Episcopis visum est, ut iidem cum veste clericali tonsuram sine ullo ordine acciperent, quippe cum clericis ipsos versari oportebat. Igitur simplex erat habitus mutatio, qua clericatus significabatur desiderium: qua de re non Episcopis reservata erat, sed a presbyteris etiam, atque adeo a laicis conferebatur.

XX. Quum vero secutis temporibus habitus illo inter preces, et solem-

(1) Can. 1. dist. 25. — (2) Ibidem. — (3) Can. IX. conc. carthag. IV.
(4) Part. I. lib. II. cap. 46.

nes caeremonias conferri coepisset, hinc factum est, ut veluti quidam ordo reputaretur, quo homines non ab laicis tantummodo distincti, verum et inter clericos relati haberentur: unde eius collatio Episcopo reservata est. Adhaec quum clericis prima initiati tonsura de foro Ecclesiae censerentur, atque omnibus clericalibus privilegiis donarentur; id in caussa fuit, cur solius tonsurae clericorum numerus augeri coepisset. Hinc enim homines clericalia privilegia, et ecclesiastica beneficia inhiantes, ut prima initiarentur tonsura, undique confluebant. Tum illinc Episcopi, quo latius episcopale forum pateret, facilius quam par erat, quemque ea insignire non recusabant.

XXI. Huic autem malo tandem occurrerunt tridentini Patres decernentes. neminem ab Episcopo prima tonsura initiandum, nisi morali iudicio constet, illum non lucri caussa, sed propter Deum hanc vitae conditionem elegisse. Praeterea in nostro regno iuxta novissimam concordatorum legem clerici tonsurati privilegiis clericalibus non fruuntur, nisi vel in aliquo seminario, vel universitate, quo ad suscipiendos ordines instituantur, versentur, vel Episcopi mandato alicui Ecclesiae inserviant.

XXII. Constitutum praeterea concordatis est, primam tonsuram non aliis conferri, quam illi, qui post decimum aetatis annum per tres iugiter annos, vel in aliquo seminario degerit, vel deferens vestem clericalem alieni Ecclesiae Episcopo iubente festis diebus ministraverit. Hac lege vix excipiuntur *arctati* et quidem tum ii, qui passivum ad aliquod ecclesiasticum beneficium ius patronatus habent, tum quoque ii, quos sine iure passivo unam eandemque familiam cum patronis activis sortitos patroni intra legitima tempora nominaverint: ita censuit tribunal mixtum die 23. augusti 1753 (1).

XXIII. Synodus tridentina (2) vetat cuique vel clerico beneficium ante decimum quartum aetatis annum conferri. Qua de re impuberes arctati, ut possint simul tonsurae gradum, et beneficium consequi, aeque pontificia, ac regia aetatis dispensatione indigent. Hanc autem aetatem in beneficiis ante synodum tridentinam erectis haud requiri lex ipsa concordatorum monet (3).

XXIV. Conferendae tonsurae ritum quod spectat; profecto credibile est antiquitus tonsurandum per manus Episcopi primo vestem clericalem civilem accepisse: namque, uti suo loco observabimus, iam inde ab VIII. saeculo clericorum vestis a laicali distincta inoleverat, et monachalis habitus inter caeremonias sollemnes tradebatur, teste auctore ecclesiasticae hierarchiae (4). Tum vestis mutationem significare haud raro Patres docent. Tametsi autem non ab Episcopo vestem hodie clericalem clerici adsumant, certe sine eius permissu eam induere nemini licet.

XXV. Capillorum attonsio adeo sollemnis in clericis ordinandis est, ut idem sit attonderi, ac clericum ordinari (5). Qua de re Beda clericos vocat *attonsos* (6) Ea vero abiicienda vitia significat: *ut criminibus carnis nostrae, quasi crinibus exuamur* (7). Est praeterea signum mancipa-

(1) Gagliardus lib. I. tit. XXXI. n. 29. — (2) Sess. XXIII. de ref. cap. 6. — (3) Concord. an. 1741. Cap. IV. art. 5. — (4) Cap. VI. — (5) Syn. VII gen. Can. XIV. — (6) Lib. III. cap. 5. — (7) Conc. aquisgran. Cap. IV.

tionis, qua in Dei servitium dedimur, et adoptionis, qua in sortem Domini adsumimur, seu ad eius haereditatem iis adipiscimur. Clericus enim dum attondetur saeculo abrenunciat, professionemque vitae clericalis emittit illa *psalmi XV.* verba recitans: *Dominus pars haereditatis meae et calicis mei, tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.* Adhaec mos fuit apud langobardos, ut iis, qui in servitutem traderentur, capillos tonderent, sicut et iis, qui adoptabantur (1). Fit demum in Crucis formam ad Crucis ignominiam significandam.

XXVI. Postremo Episcopus clerico attonso superpelliceum imponit dicens: *induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, et sanctitate veritatis. Dum autem superpelliceum induit, cogitet* (inquit concilium mediolanense V.) *quam personam sustineat, nempe a sordibus, labeque puram, qualem vestitus ille indicat.* Dimittuntur tandem clerici ab Episcopo prius de privilegiis clericalibus admoniti, de quibus suo loco.

TITULUS XXIV.

DE IURE PROMOVENDI AD ORDINES

I. Antiquitus Episcopo Cleri, quin et populi testimonium exquirendum erat de natalibus, vita, conversatione, moribusque eorum, qui ordinandi erant, adeo ut penes plebem ius esset testimonium ferendi de clerico sive ordinando, sive ab ordinatione reiiciendo. Ad rem s. Cyprianus (2): *coram omni synagoga iubet Deus constitui sacerdotem, idest instruit, et ostendit ordinationes sacerdotales nonnisi sub populi adsistentis conscientia fieri oportere, ut plebe praesente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicentur.* Et Siricius docet diacono presbyterium vel episcopatum dari, *si eum cleri, et plebis evocaverit electio* (3). Tum Augustinus, auctore Possidio in eius vita (4): *in ordinandis sacerdotibus, et clericis consensum maiorem christianorum, et consuetudinem Ecclesiae sequendam esse arbitratus est.* Quinimmo ipsumet Augustinum, et Paullinum nolanum, testimonio, atque adeo vi inflammatae plebis id petentis, summoque studio, et clamore flagitantis, presbyteros sacratos fuisse narrant Possidius (5), et Paullinus (6). Porro plebs suum testimonium dabat per voces Ἄξιος *dignus est,* Ἀνάξιος *indignus est:* const. sic dictae apost. (7), Eusebius (8), Ambrosius (9), Augustinus (10), aliique. Haec christianae Ecclesiae consuetudo ipsis etiam romanis ethnicis imperatoribus adeo probata est, ut non dubitarent illam laudibus extollere, atque in civilium magistratuum electione sibi imitandam proponere. Id de Alexandro Severo testatur Lampridius (11).

II. Porro eiusmodi testimonium deinde loco Cleri, et plebis, ut praesta-

(1) Hallier hoc tit. art. 11. § 3.
(2) Epist. LXVIII. — (3) Epist. ad Himerium tarrac. cap. 10. — (4) Cap. XXI. — (5) Ibid. cap. IV. — (6) Epist. XXIV. inter epist. August. — (7) Lib. VIII. cap. 4. — (8) Lib. VI. cap. 29. — (9) De dignitate sacerd. cap. 5. — (10) Epist. CCCXV. — (11) In vita Alex. Sev. cap. 45.

ret, archidiaconus, usus invaluit: (1). Qua de re archidiaconi praecipue partes erant in ordinandorum institutione, examinatione, et ad Episcopum praesentatione. Et licet secutis temporibus universum hac in re archidiaconi munus iu meram evaserit caeremoniam, non eo tamen a lethali noxa immunis erit, ubi dignum presbyteratu, vel diaconatu illum dixerit, quem indignum noverit (2).

III. Iam vero ex iure novissimo concilii tridentini (3) in promovendis, praecipue ad maiores ordines, omnino requiritur, ut ipsi per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, *qui parocho, aut alteri, cui magis expedire videtur, committat, ut nominibus, ac desideriis eorum, qui volunt promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus, ac vita o fide dignis diligenter exquirant, et litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes ad ipsum Episcopum quam primum transmittant.* Hanc tridentinam sanctionem in regno neapolitano pro suscipiendis etiam minoribus ordinibus, ac prima clericali tonsura servandam edixit Congregatio Cardinalium negotiis iurisdictionalibus regni neapolitani iussu Gregorii XV. specialiter praeposita (4).

IV. In omnibus igitur, qui ad ordines sive maiores, sive minores promoveri petant, canonibus ecclesiasticis plura desiderantur, quae num habeant, quam diligenter Episcopo inquirendum est. Porro ut cautius hac in re se gerat ex concilio nannetensi (5), e latere suo sacerdotes eligat, aliosque prudentes viros, guaros divinae legis, et exercitatos in ecclesiasticis functionibus, qui legitimas ordinandorum qualitates diligenter investigent. Synodus quoque tridentina (6) praecipit ut Episcopus sacerdotibus, et aliis prudentibus viris peritis divinae legis, et in ecclesiasticis functionibus exercitatis sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam, et fidem diligenter investiget, et examinet.

1. Igitur inquirendum, num eis obstet aliquod ex canonicis impedimentis, quae irregularitates dicuntur, quasque fusius recensitas, et explicatas dabimus inferius.

2. Num habeant scientiam ordini suscipiendo congruentem. Profecto clerici in divinarum Scripturarum, et sacrorum canonum doctrina instituti sint oportet. Ad rem synodus toletana IV. (7): *ignorantia mater cunctorum errorum maxime in sacerdotibus Dei vitanda est.... sciant igitur sacerdotes Scripturas sanctas, et canones, ut omne opus eorum in praedicatione, et doctrina consistat: atque aedificent cunctos tam Fidei scientia, quam operum disciplina.* Similia efferunt canones a Gratiano congesti (8). Adhaec Synodus tridentina (9) primae tonsurae initiari vetat, qui legere, et scribere nesciant, et minoribus ordinibus, qui saltem latinam linguam non intelligant; tum ab hypodiaconatu, et diaconatu arcendos praecipit, qui litteris, aliisque ad ordinem exercendum spectantibus non sint instructi: tandem ad presbyteratum eos adsumi iubet, qui ad docen-

(1) Conc. carthag. IV. Can. VIII. — (2) Cap. un. de scrutinio in ordine faciendo. — (3) Sess. XXV. ref. cap. 5. — (4) Decreto edito X kal. iul. an. 1623.
(5) Can. II. — (7) Sess. XXIII. de ref. cap. 7. — (8) Can. XXIV. — (9) Dist. 38. — (6) Sess. XXIII. de ref. cap. IV. XI. XIII. et XIV.

dum populum, et ad Sacramenta ministranda sunt idonei. Ecclesiae neapolitanae disciplina in promovendis ad sacros ordines theologiae, ac iuris utriusque scientiam requirit.

3. Inquirendum quoque est in provomendorum mores, vitamque transactam: antiquitus quaelibet gravis, licet occulti peccati macula ab ordinibus arcebat; atque adeo neque clinicis, scilicet quibus in lecto Baptisma collatum erat, ad presbyteratum aditus patebat, eo quod *eorum Fides non ex proposito, sed ex necessitate descenderit* (1). Igitur quodlibet grave crimen sive publicum, sive occultum, quod publica expiandum erat poenitentia, per decem, et amplius priora saecula ordinationi canonicum erat impedimentum. At post ex receptis pudîtis Isidori mercibus paullatim usu receptum est, ut occulti criminosi, peracta clam poenitentia, ordinibus initiarentur. Novam hanc inductam disciplinam magis magisque in dies obtinentem Romani Pontifices suis constitutionibus confirmarunt (2). Verum antiquus Ecclesiae canon ex parte retentus; nam aeque publica cuiuscumque peccati poenitentia, ac homicidium etiam occultum ab ordinibus arcet (3).

4. Divina quoque in promovendis requiritur vocatio: neque enim caelestia, quibus summopere indigent, altaris ministri sibi promereri poterunt auxilia, nisi divina duce, et comite vocatione ad ordines accedant. Eius varia sunt indicia, et quidem praeter signa sensibilia, et extraordinaria, praecipua sunt morum innocentia, et gravitas, rerum caducarum contemptus, proximorum salutis procurandae studium, in sacris legendis codicibus iucunditas, et delectatio, legitimus, et immaculatus ad ordines ingressus Huiusce vocationis necessitatem discimus, tum ab ipso Christo Domino, qui et in mundum venit missus a Patre (4), et discipulos ad promulgandum misit, quos ipse elegerat, tum ex Apostolo, qui (5) docet illam legitimi Ecclesiae ministri esse proprietatem, ut ad sacrum ministerium non suapte accedat voluntate, sed divinam sequatur vocationem: sicut de Aarone, qui primus fuit sacerdos leviticus, Scriptura testatur eum divinitus ad illam dignitatem vocatum fuisse. Hinc concilium tridentinum vetuit (6) *primae tonsurae initiari, de quibus probabilis coniectura non sit, eos non saecularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse.*

Ordines gradatim suscipiendi

V. Promovendis non patet ad Ordines progressio, nisi gradatim a minoribus ad maiores, idque ex antiqua Ecclesiae disciplina. Profecto inferiora ministeria produnt clericorum vitam, morumque probitatem, ut inde Episcopo liceat agnoscere, num digni sint, qui ad Sacerdotium promoveantur. Unde Patres sardicenses sanxerunt (7): *si forte aut dives, aut scholasticus de foro, aut ex administratione Episcopus fuerit postulatus*,

(1) Conc. neocaes. can. XII. — (2) Urbanus II. Epist. ad Episc. constantiensem. — (3) Trid. Sess. XXIV. cap. 7.
(4) Ioan. VII. 16. — (5) Epist. ad hebraeos V. 5. — (6) Sess. XXIII. de ref. cap. 4. — (7) Can. X.

ut non prius ordinetur, nisi in lectoris munere, et officio diaconi, aut presbyteri fuerit perfunctus; ut per singulos gradus, si dignus fuerit adscendat ad culmen episcopatus. Potest enim per has promotiones, quae habebunt prolixum tempus, probari qua fide sit, qua modestia, qua gravitate, et verecundia...conveniens non est, nec ratio, vel disciplina patitur. ut temere ordinetur aut Episcopus, aut presbyter. aut diaconus, maxime cum et magister gentium Apostolus ne hoc fieret, denuntiasse, et prohibuisse videatur. Illud hic iuvat observare antiquitus necessum non fuisse omnes inferiores ordines percurrere, quum satis fuerit vel unum eorum suscepisse, atque in eo ministrasse. Certe ex modo producto sardicensi canone, ut quis potuisset ad episcopatum promoveri, satis erat, ut ante diaconatum lectorem egisset. Lectoratus prae reliquis inferioribus ordinibus ratio habebatur quod in eius munere adimplendo magis sese proderet clerici industria, ac inde facilius dignosci posset, quo quis animo ad ecclesiasticum ministerium accessisset. Quinimmo non desunt auctores, qui aliquando diaconatum, ac etiam presbyteratum omissum contendant, et quosdam *αμεσως immediate* ad Episcopatum promotos, quod nempe eadem forma sacramentalis varios istorum Ordinum effectus simul et exprimeret, et pareret: ac proinde idem sensibile signum longius protractum virtute multiplex haberetur. Ita Morinus de sacris Ord.(1), Mabillonius(2).

VI. Verum quidquid sit de hac sententia: profecto ex nova Ecclesiae disciplina omnes omnino ordines suscipiendi sunt, non maiores modo, verum et inferiores, adeo ut nemo ad diaconatum promoveri possit, qui prius non fuerit ostiarius, lector, exorcista, acolythus, et subdiaconus. Quanam aetate constans, et communis haec disciplina invaluerit obscurum est: at verosimilius saeculo XI., et quidem ex pseudo-Isidoro, qui Caii Papae decretalem ea ratione corruptam protulit, qua omnes omnino aeque inferiores, ac maiores ordines gradatim suscipiendi praecipereutur. Contendit hic Pagius (3) Gregorium VII. primum fuisse, qui ex diacono in Pontificem electus prius in presbyterum ordinatus sit, et altera die Pontifex consecratus quum superioribus saeculis tum qui ex diaconis, tum qui ex presbyteris in R. Pontifices eligerentur, nonnisi una, solaque episcopali benedictione consecrari consueverint, ut pluribus idem auctor id probare conatur, de quo capite tamen suo loco.

VII. Ex inducta, firmataque Ecclesiae disciplina, neminem scilicet, nisi per gradus ordinum ad presbyteratum, et episcopatum subinde promovendi, duo veluti consectaria profluxerunt. Primum vetitas omnino ordinationes sic dictas *per saltum*, nimirum quum quis uno, aut pluribus inferioribus ordinibus omissis maiori initiatur, veluti si hypodiaconus omisso diaconatu presbyter ordinetur. Huiusmodi quidem ordinis per saltum collatio irrita non est, at summo iure sic ordinati ordinis exercitio cadunt (4); quin synodus rothomangensis an. 1022. depositione censuit dignos, qui nullis ordinibus minoribus initiati ad diaconatum, et presbyteratum accesserint. Verum secutis temporibus benignior invaluit disciplina: namque sic ordinatis, suppleto prius ordine omisso, Episcopi indulgent, ut in suscepto or-

(1) Part. III. Exercit. II. cap. 2. — (2) Comment. praevio in ord. rom. § 18.
(3) Breviar. hist. chron. in Sabiniano. — (4) Ivo Carnot. epist. CLXXXV.

dine ministrent, et ad maiores promoveantur (1). Id quod ita intelligas, scilicet si talis ordinatus in suscepto ordine non ministraverit; si enim ministrasse contingat, tantum summus Pontifex dispensat.

VIII. Alterum: ut quis ad maiorem ordinem promoveri possit, necessum est, ut in prius suscepto ministraverit: interstitia enim seu intervalla servanda sunt; quae quidem licet antiquitus varia essent pro temporum, Ecclesiarumque diversitate: saepius tamen fuerunt quinque annorum inter sacros Ordines (2). Quod postea spatium adeo contractum est, ut et quatuor minores ordines una die plerumque dari consueverint, et inter maiores ordines unius duntaxat anni interstitia satis essent (3). Sed tridentinum, cui modo standum est, de huiusmodi interstitiis (4) haec statuit: *minores ordines per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur .... in unoquoque munere iuxta praescriptum Episcopi se exerceant, idque in ea, cui adscripti erunt ecclesia, atque ita de gradu in gradum adscendant, ut in eis cum aetate vitae meritum, et doctrina maior adcrescat: quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in Ecclesia ministerium, atque maior erga presbyteros, et superiores ordines reverentia, et crebrior, quam antea, Corporis Christi communio, maxime comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus, et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiae spes maioribus ordinibus dignum ostendat. Hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur: nisi necessitas, aut Ecclesiae utilitas iudicio Episcopi, aliud exposcat.*

IX. Igitur tridentinum prudenti Episcopi iudicio relinquit, num quis ad superiores ordines non servatis integris interstitiis promoveri possit. Quare superiores regularium super interstitiis cum suis subditis dispensare minime possunt, ut ut aliqui eorum contra sentiant.

X. Illud praeterea explorati iuris est, nec ad minores ordines patere adscensum, nisi iis, qui prima clericali tonsura initiati sint, quae propterea dicitur dispositio ad ordines: tum ipsam clericalem tonsuram iis tantummodo rite conferri, qui Sacramentum Confirmationis iam susceperint (5).

De legitima ordinandorum aetate

XI. Aetatem quod spectat antiquitus minores ordines interdum conferebantur etiam pueris aetate tenellis (6). Hinc concilium carthaginense III. sanxit, *ut lectores quum ad annum pubertatis venerint, cogantur aut uxorem ducere, aut continentiam profiteri* (7). Et sane in Africa potissimum mos erat, ut infantuli Ecclesiae ministerio dicarentur: id constat ex Victore uticensi, qui *vandalica* in persecutione quamplurimos lectores infantulos martyrium subiisse testatur (8). Eundem morem in Italia etiam,

(1) Can. 1. dist. 52: et cap. un. ex. de clerico per saltum promoto.
(2) Can. II. et III. dist. 77. — (3) Cap. I. extr. de eo, qui furtive ordinatus est.
(4) Sess. XXIII. de ref. cap. 2.
(5) Trid. ibid. cap. IV. — (6) Siricius P. epist. I. cap. IX. Zosimus P. epist. 1. cap. 2; et 3. — (7) Can. IV. — (8) Lib. V. de persec. vandalica.

ac in Gallia viguisse praeter modo laudatas Zosimi, ac Siricii epistolas, constat quoque ex Sinodio Apollinari, et ex Eunodio, ille enim (1) de Ioanne Episcopo cabilonensi scribit: *lector hic primum, sic minister Altaris, idque ab infantia*: hic vero in vita Epiphanii Episcopi ticinensis de eodem testatur: *annorum fere octo lectoris ecclesiastici suscipit officium*.

XII. Porro, uti Ordinibus inferioribus nulla erat constituta aetas, ut pueriii nullo saecularis nequitiae contagio inquinati ad Clerum cooptarentur; ita ad maiores Ordines nonnisi provectiores, quique per plures annos in inferioribus ministraverint, adspirare poterant. Hinc idem Siricius P. acolytho, vel subdiacono annum aetatis trigesimum praescribit, *ut ad diaconi gradum accedat. Ubi si ultra quinque annos ministravit, presbyterium consequatur* (2). Synodus neocaesareensis idoneam presbyteratui aetatem anno adfixit trigesimo, *quod Christus in trigesimo anno baptizatus est, et coepit praedicare*. Similia habes apud Hieronymum (3) Igitur IV., et V. saeculo ea lex viguit, ut nonnisi post annum aetatis trigesimum quisque ad sacros, maioresque ordines accedere posset: licet non desint exempla ordinationum ante legitimam hanc aetatem eodem aevo peractarum, quibus personae sanctitas, et gravitas abstersit invidiam, auctoritatem conciliavit. Certe S. Remigius Episcopus arelatensis electus est, quum natus esset annos non amplius, quam viginti duos.

XIII. Secutis temporibus eadem poene viguit disciplina, tum quod ad ordines inferiores, uti constat ex concilio toletano X. (4), et ex concilio generali V. (5), ubi Thomas presbyter occurrit, qui annorum non amplius quinque Clero cooptatus est: tum etiam quod ad ordines superiores, uti produnt concilia per ea tempora habita, arelatense IV. (6), aurelianense III. (7), trullanum (8), tolosanum an. 1056. (9), melphiense an. 1089 (10) etc. Adhaec et Iustinianus (11), Leo, et Constant. Imp. (12).

XIV. Non negaverim quidem ab saeculo X. quam frequentia occurrere exempla ordinationum, in quibus saluberrimae eiusmodi leges pessundatae sunt, at constat quoque ex una parte Ecclesias, in quibus sincera vigebat disciplina ab praescriptis canonibus non aberrasse, et ex altera parte viros illorum saeculorum sanctissimos contra eiusmodi ordinationes plurimum scripsisse. S Bernardus (13) de legati apostolici perversitate graviter conqueritur, quod Ecclesiis puerulos praefecerat aetate prorsus immaturos. Namque istae ordinationes avaritiam, ac turpe lucrum praeseferebant. Neque enim eo consilio id tum fiebat, quo antiquitus infantuli Ecclesiae ministerio addicebantur, scilicet ut nulla mundani pulveris sorde polluti Deo inservirent; at contra plerumque parentes illos Ecclesiae offerebant, ut simul ad praebendas, dignitates, atque etiam episcopatus adhuc in ea aetate promoverentur, unde et ipsi ex Ecclesiae redditibus locupletari possent (14).

XV. Tandem synodus tridentina gravi huic vulneri antiquae Ecclesiae

(1) Lib. III. epist. ult. — (2) Ibidem. — (3) Epist. Ad Theophilum adversus errores Ioan. hierosolym. — (4) Can. VI. — (5) Collat. V.
(6) Can. I. — (7) Can. VI. — (8) Can. XIV., et XV. — (9) Can. II. — (10) Can. IV. — (11) L. IX. cod. de Episc., et cler. — (12) Iuris orient. tom. II. pag. 94. — (13) Epist. ad Iordanem card. — (14) Sess. XXIV.

disciplinae inflicto saltem ex parte mederi cupiens sanxit. I, Ut clericalis tonsura, minoresque ordines non conferantur, nisi iis, qui capaces sunt per aetatem eligendi certum aliquem statum, in quo perpetuo maneant (1). II. Ut nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum aetatis annum beneficium possit obtinere (2). III. Ut nec subdiaconatum ante vigesimum secundum, nec diaconatum ante vigesimumtertium, nec presbyteratum ante vigesimumquintum aetatis suae annum suscipere quis possit (3). Quem annorum numerum attigisse sufficit, nec explevisse necessum est, sed vel unius diei, aut horae defectus ordinum susceptionem impedit.

Titulus in Ordinatione requisitus

XVI. Addictio clericorum certae Ecclesiae, certoque ministerio titulus nuncupatur: immo Ecclesiae ipsae, ut alibi observavimus, *tituli* dictae sunt, vel quod signo, aut Crucis, aut alio quopiam insigniri consueverint, vel quod ab illis presbyteri titulum sumerent. Hinc *titulare* apud Gregorium M. est bona Ecclesiae in titulum erigere, vel clericum titulo mancipare, quod dicitur etiam *incardinare*, vel cardinalem presbyterum, aut diaconum constituere.

XVII. Clerici igitur ad certam Ecclesiam, seu titulum ordinandi, id quod antiquitus exacte observabatur, uti patet ex canonibus ancyrano XVIII., et neocaesareensi XIII., et quidem instituto apostolico. Apostolus enim per civitates constituendos Episcopos mandat (4): et in *actis Apost. XX.* commendat Episcopis curam gregis, in quo Spiritus S. eos posuit Episcopos. Non desunt exempla, et quidem insignia ordinationum ab hac Ecclesiae regula deerrantium, uti Hieronymi, et Paullini: ille enim a Paullino antiocheno, hic vero Lampadio barcinonensi presbyteri ordinati sunt, seu dedicati in Sacerdotium duntaxat Domini, non etiam in Ecclesiae locum, idest titulum, ut scribit idem Paullinus (5). Eiusmodi autem clerici nulli titulo, aut cardini adfixi *absolute ordinati* dicti sunt (6).

XVIII. Veruntamen eadem haec exempla quum sensim in perniciem cederent disciplinae, et clericos absolute ordinandi abusio invalesceret, hinc Concilium Chalcedonense diserte sancitum est (7): *neminem absolute ordinari, nec diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui sunt in Ordine ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia civitatis, vel pagi, vel martyrio, vel monasterio is, qui ordinatur, adsignetur: eos vero qui* absolute ordinantur *decrevit sancta synodus irritam, et invalidam habere manuum impositionem, et nusquam exercere, aut operari posse ad eius, qui ordinavit, iniuriam.* Profecto hoc chalcedonense canone constituti ordinandorum tituli. Eandem hanc sanctionem, quae contrariis exemplis violari coeperat, seculis temporibus Urbanus II. (8), Carolus M. in Capitularibus, et concilium lateranense III (9). renovarunt, ac sartam tectam observari iusserunt. Quinimmo eadem haec lateranensis synodus (10) prae-

(1) Trid. de ref. cap. IV. — (2) Ibidem cap. VI. — (3) Trid. ibid.
(4) Epist. ad Tit. I. — (5) Epist. VI. — (6) Can. VI. dist. 70. — (7) Can. VI.
(8) Can. II. dist. 70. — (9) Can. V. — (10) Ibidem.

cepit, ut *Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitae alimenta percipiat, in diaconum, vel presbyterum ordinaverit, tamdiu necessaria ei subministret, donec in aliqua ei Ecclesia convenientia stipendia clericalis vitae adsignet: nisi forte talis, qui ordinatur exstiterit, qui de sua, vel paterna haereditate subsidia vitae possit habere.* Eandem synodicam sanctionem ad promotos sine titulo ad subdiaconatum servandam quoque edixit Innocentius III (1). Demum synodus tridentina clericos nonnisi ad titulum beneficii ecclesiastici, vel si Ecclesiae suae necessitas, aut utilitas postulaverit, ad patrimonii, vel pensionis titulum omnino ordinandos decrevit (2).

XIX. Quod vero Episcopi nimis faciles essent in aestimanda Ecclesiae utilitate, vel necessitate, unde clericos consecrarent plures, quam Ecclesiarum ministeria paterentur, aut postularent, hinc salubri consilio tridentinum decretum novissimo concordatorum iure non modo renovatum est, verum et ad promovendos ad primam clericalem tonsuram protractum (3): tum *ibidem* decernitur, ut initiandis ad primam clericalem tonsuram, ordinesque minores satis sit beneficium, capellania perpetua, vel pensio ecclesiastica, cuius redditus deductis oneribus exaequent medietatem redditum patrimonii dioecesani, ea tamen adiecta conditione, ut altera medietas hypodiaconatus tempore suppleatur, vel ubi Ecclesiae necessitas, aut utilitas postulaverit integrum patrimonium. Taxa quoque patrimonii clericalis *ibidem* constituta est, scilicet ut eius reditus non sint citra ducatos neapolitanos 24., nec ultra ducatos 40. percipiendos ex fructibus praediorum, annuisve reditibus fixis (4).

XX. Inter titulos producto chalcedonense canone statutos est monasterium: puta quum presbyter Sacramenta ministraturus monasterio praeficitur: immo etiam Episcopum uni, vel pluribus monasteriis ministraturum

(1) In Cap. XVI. de praebendis, et dignitatibus.—(2) Sess. XXI. de ref. cap. 2.
(3) Concord. 1741. cap. IV.
(4) Novissima conventione an. 1818. art. XX. decretum, quod clericus, qui ad titulum patrimonii ordinari velit, fundos exhibeat hypothecae vinculo non obnoxios annui reditus, cuius quantitas non minor ducatis quinquaginta, nec maior octoginta esse possit. Bonorum vero examen, quae patrimonii nomine clerico adsignanda sint a tribunali civili provinciae fieri debet, cuius iudicio definitur utrum, nec ne certum, et indeficiens patrimonium constituatur. Quare ecclesiasticae Curiae de libertate immobilium sententiam ab eodem tribunali exquirere debent: quae sententia tamen pro clericis ad sacros Ordines, vel ecclesiastici beneficii, vel capellaniae titulo promovendis minime requiritur.

Praeterea sancitum, quod clerici, qui beneficii, aut capellaniae titulo promoventur, cuius annuus reditus ad taxam praefinitam non pertingat, tunc ex aliis liberis fundis constituetur quantum taxae integritas praescripserit, illis dioecesibus exceptis, in quibus ex dioecesana lege taxa sacri patrimonii in maiori summa canonice fuit decreta.

Verum successu temporis nonnulla passim pro Regni nostri dioecesibus sancita fuerunt, quae titulum in Ordinatione requisitum respiciunt, quaeque tum Apostolicae Sedis auctoritate, tum pientissimi Regis nostri adsensu confirmata novissima obtinent iura. Quare ea hic adferre non abs re me facturum puto. Et sane Episcoporum Commissio ad id delegata censuit.

1. Clerici omnes, qui in huiusce Regni receptitiis Ecclesiis praefinitae portio-

aliquando esse ordinatum narrat Christianus Lupus (1). Ad monasterium etiam ordinari dicitur clericus, quum non monasterio, sed eius altaribus praeficitur, sed tanquam simplex monachus monasticis officiis incumbens. Eutychianorum turbis in synodis chalcedonensi periclitati sunt monachi, ne ad laicam omnes vitam, sacra illis ordinatione prorsus interdicta, redigerentur, quod Episcopi nonnulli suadebant: sed s. synodus iniquum duxit, ut paucorum scelus aliis perniciem adferret. Itaque monasterii titulum confirmavit, et exinde clericorum frequentia in monasteriis viguit. Clemens V. in concilio viennensi constituit, ut *monachi quilibet, ad monitionem abbatis ad omnes sacros ordines excusatione legitima cessante promoveantur*. Eam vero huius constitutionis rationem addit idem Lupus loc. cit., *quia post ablatum per divitias opus manuum coeperunt monachi ab otio invadi, ideoque sacro saltem ministerio adversus illud muniendos Pontifex iudicavit.* Hodie igitur ad titulum monasticae professionis monachi ordinantur.

De proprio Ordinationis Episcopo

XXI. Proprium sacrae ordinationis ministrum nonnisi Episcopum iam inde ab apostolico aevo semper in Ecclesia habitum fuisse perspicua demonstrant veterum Patrum qua graecorum, qua latinorum testimonia. Quinimmo eorum nonnulli hoc tantum iure Episcopos presbyteris eminere diserte scribunt Hieronymus (2), Chrysostomus (3). Non negaverim quidem aliis etiam praerogativis Episcopos presbyteris praestare; id quod et iidem

nis iure gaudent, dummodo fructus dioecesanam patrimonii taxam exaequent, ut beneficiarii ad sacros Ordines promoveri possunt.

2. Capellaniae amovibiles ad nutum, necnon illae, quarum redditus ex rebus mobilibus percipiuntur, tituli canonici ad sacrorum Ordinum promotionem fieri nequeunt.

3. Capellaniae super immobilibus institutae, quae ad laicorum Confraternitates, aliaque venerabilia loca pertinent, licet sint amovibiles, a promovendis tamen ad maiores Ordines ut tituli ecclesiastici exhiberi possunt, dummodo ipsi in publico instrumento ab omnibus, qui eidem Confraternitati adscripti sunt, vel a Locorum administratoribus eligantur, ea simul adiecta conditione, ut perpetuo eodem titulo perfruantur.

4. In beneficiis, aut Capellaniis, quibus onus inhaereat singulis annis centum Missas celebrandi titularis dioecesanum Episcopum adire potest: is autem pro qualibet Missa detracta eleemosyna septem assium iuxta taxam praefinitam, potest etiam, si velit aliquam deductionem titulo inferre, ut ad sacros Ordines ille promoveatur.

5. Denique regio rescripto sub die V. Octobris an. 1839 id omne executioni mandari cautum, quod supremi Concordati Executores opinati fuere, et iam ab utraque Potestate hisce verbis confirmatum.

Patrimonii sacra taxa in novissima Conventione an. 1818. art. XXI. definita pro illis Regni dioecesibus, quae egestate laborant, et in quibus brevis sit clericorum numerus spatio 15. an. ad ducatos 24; vel 25. reducatur. Elapso vero hoc temporis intervallo tum Sedis Apostolicae Nuntius, tum rerum ecclesiasticarum Minister Episcoporum postulationibus ad aliud tempus prorogandum indulgeant. Interea supremi Concordati Executores ab utraque Potestate delegantur ad Antistitum petitiones excipiendas, et definitive declarandum quibusnam dioecesibus ius illud tribuatur. — (1) Ad canonem VI. chalced.

(2) Epist. LXXXV. ad Evagrium. — (3) Hom. in epist. I. ad Timoth.

illi antiqui Patres agnoscunt: at illud duntaxat inde licet colligere, sacram ordinationem omni christiani nominis aevo tanquam Χαρακτηρισμον Episcopalis dignitatis habitum fuisse. Verum de hoc capite plura in theologicis institutionibus habebitis.

XXII. Iam vero antiquissimo ecclesiastico iure illud semper in Ecclesia viguit institutum, ut Episcopus nonnisi clericos suae potestati subiectos ordinaret. Qua de re canonibus *nicaeno XVI.*, *sardicensi VIII.*, aliisque, Episcopis vetitum est clericos ab aliis Episcopis ordinatos siue permissu eorum, a quibus ordinati fuerint, ad superiores ordines promovere.

XXIII. Igitur iure antiquo sola alicuius in Clerum adscriptio, tanquam praecipuus habebatur titulus, quo quis proprius ordinationis Episcopus haberetur: nullibi enim poenam in Episcopum sancitam reperies, qui alienum laicum in suum clericum ordinasset. Quinimmo laicum a quocunque Episcopo ordinari potuisse perspicua demonstrant illustrium virorum exempla, Origenis scilicet, Martini turonensis, Epiphanii, Hieronymi, Augustini, etc., qui inconsultis Episcopis civitatum, ubi natale solum sortiti erant, ab aliis in clerum fuerunt admissi.

XXIV. Veruntamen iure novo quadruplex agnoscitur proprius ordinationis Episcopus: nimirum ratione *beneficii*, *originis*, *domicilii*, *et familiaritatis*. Prioris, et alterius meminit Clemens IV. (1), tertii Bonifacius VIII (2); de quarto, nempe de familiaritate, mox pauca subnectemus.

XXV. Ac primo potest quis ab eo Episcopo ordinari, in cuius territorio obtinet beneficium. Nomine beneficii quodvis venit sive curatum, sive simplex, tam si liberae collationis sit, quam si iurispatronatus. Porro tam ex tridentino (3), quam ex bulla *speculatores* Innocentii XII. illud diserte colligitur, non laicum quemlibet, cui beneficium sit Episcopus collaturus, sed clericum duntaxat, qui beneficium reapse obtentum possideat extra dioecesim suae originis, vel domicili, subditum alieno Episcopo fieri ex titulo beneficii. Quamobrem illud omnino requiritur, ut prima saltem clericali tonsura ab Episcopo originis, vel domicilii sit initiatus, ut dein beneficii possessionem in aliena dioecesi nactus ab eiusdem Episcopo ad superiores ordines promoveri possit.

XXVI. Ad beneficii rationem referri posse videtur familiaritas, qua Episcopus antiquitus Ecclesiae servos ordinabat, ipsique Ecclesiae addicebat. Ex quo quum sensim mos inolevisset, ut Episcopi omnes indiscriminatim ordinarent famulos, unde plura irrepserunt scandala; hinc synodus tridentina provide sanxit ut Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi is per triennium secum fuerit commoratus, et beneficium, quacumque fraude cessante, statim reapse illi conferat, consuetudine quacumque etiam immemorabili in contrarium non obstante (4).

XXVII. Originem quod spectat, profecto ex eadem bulla satis non est, ut quis in aliqua dioecesi natus sit, sed omnino requiritur, ut id non ex accidenti, occasione scilicet itineris, officii, legationis, etc. evenerit, sed ex vera, ac naturali patris origine. Iure quidem antiquo maior habebatur

(1) Cap. 1. de temporibus Ordinat. in VI. — (2) Cap. III. ibidem. — (3) Sess. XXI. de ref. cap. 2.
(4) Sess. XXIII. de ref. cap. 9.

ratio loci, ubi quis baptizatus esset (1): at iure novo, quod ad ordinationem, magis attendendus est locus nativitatis, quam baptismi Adhaec licet iure civili locus originis filii etiam ille habeatur, ubi pater natus est (2), attamen ex mox laudata decretali Episcopus originis tantummodo loci illius Episcopus intelligitur, ubi ipsemet ordinandus ortum habuit, sive natus est: Garzias de beneficiis (3), Hallerius (4).

XXVIII. Episcopus denique domicilii censetur illius regionis Episcopus, in qua ordinandus domicilii ratio haud quidem ex diuturna inhabitatione, at potius ex animo, ac circumstantiis est desumenda. Aliquando enim vel perbrevis mora *domicilium* parit, scilicet ubi quis ab originis loco demigrat, ut alibi domum vel matrimonio, vel rerum suarum translatione, vel susceptis ibi propriis muniis, et oneribus constituat.

XXIX. Postremo adeo verum est, nonnisi a proprio Episcopo ordines suscipiendos esse, ut tridentinum (5) hac in re etiam arctatis ratione Sacerdotalis beneficii facultatem adimat adpellandi a recusatione proprii Episcopi, et decernat ut Episcopi per semetipsos ordines conferant, quod si aegritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quam iam probatos et examinatos ad alios Episcopos *ordinandos dimittant* (6).

De litteris dimissoriis

XXX. Huiusmodi dimissio fit per litteras, quae propterea *dimissoriae*, at *commendatitiae* dicuntur: at proprie differunt a dimissoriis commendatitiae. Nam hae ordinandi tantummodo testimonium, haud vero facultatis delegationem continent, porro illae utrumque complectuntur Quamobrem ubi tridentinum (7) mandat, ut unusquisque a proprio Episcopo ordinetur, neque ab alio promoveri petat, nisi eius probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur, profecte huius litteras commendatitias, sive testimoniales, non dimissorias requirit. Circa litteras dimissorias illud hic iuvat subnectere ex supra indicato decreto iussu Gregorii XV. edito pro regno neapolitano eas nonnisi ad certum Episcopum omnino dirigendas.

De temporibus Ordinationum

XXXI. Per tria priora saecula Ecclesiae certa, ac statuta ordinationis tempora non habuit: quovis enim anni mense, ac die, prout res Ecclesiae postularet, ordines conferebantur. Id patet ex Cypriano, qui Aurelium lectorem kal. decembris, et Optatum hypodiaconum mense augusto ordinavit: Pearsonius Annal. Cypriani *an.* 250 *num.* 20. Tum Paullinus ipso Nativitatis Domini memoria sacro die ordinatus est (8). At negandum non est plerumque mense decembri, saltem in romana provincia, Episcoporum, presbyterorum, et diaconorum ordinationes per illud temporis fuisse peractas. Auctor enim pontificalis Damaso tributi ordinationes Romanis

(1) Cap. III. de temp. Ordinat. in VI.—(2) L. VI. § 1. Ad municipalem.
(3) Part. VII. cap. IX. n. 25.—(4) Part. II. sect. V. cap. III. art. 3. n. 2 —(5) Sess. XIV. de ref. cap. 1. — (6) Sess. XXIII. de ref. cap. 1. — (7) Sess. XXIII. de ref. cap. 8.—(8) Epist. VI. ad Sever.

Pontificibus ad Simplicium usque semper mense decembri habitas memorat: taotummodo in Vitis Simplicii, et Gelasii addit februarium Verum primus Gelasius ipse quinque tempora ordinationi constituisse videtur: *ordinationes etiam presbyterorum*, inquit, et *diaconorum*, *nisi certis temporibus*, *et diebus exerceri non debent*, *idest quarti mensis ieiunio*, *septimi*, *et decimi*, *sed et quadragesimae initio*, *et mediana quadragesima die sabbati ieiunio circa vesperam noverint celebrandas* (1).

XXXII. Eadem baec tempora distioctius ab Alexandro III. praestituta sunt: rescribit enim (2), nisi in quatuor ieiuniorum temporibus, sabbato sancto ante Pascha, et sabbato ante Dominicam Passionis Episcoporum nemini licere sacros ordines conferre, praeterquam R. Pontifici.

XXXIII. Horam quod spectat antiquitus vespere sabbatum sequente ordinatio inchoabatur, et ad diei dominicae mane protrahebatur, et quidem ut ordinatus vel consecrare vel certe Sacram Eucharistiam partecipare posset: Theodoretus (3), Epiphanius (4). Ne autem ieiunii continuatio ad matutinas usque diei dominicae horas ordinantes, et ordinandos defatigaret, ordinationes ipsius sabbati vesperis adfixae sunt. Demum secutis temporibus ad tertiam diei dominicae horam consecrationes Episcoporum, et generales ordinationes clericorum ad matutinas sabbati horas translatae sunt.

XXXIV. Illud hic iuvat animadvertere, graecos antiquum adhuc morem servare; scilicet ut nullum ordinationibus praestitutum habeant diem, id quod ipsi Summi Pontifices Coelestinus III., et Innocentius III. agnovere (5) Verum in quadragesima solis sabbatis, dominicis, et anouotiationis B. V. Mariae festo presbyteratum, et diaconatum conferunt. Etenim aeque ac latini in pleno Sacrificio ordinationes celebrant. Porro in aliis quadragesimae diebus, in quibus ieiunium exacte custodiunt, praesanctificata tantum participant.

XXXV. Hactenus dicta de ordinibus sacris, et maioribus, de inferioribus ne intelligas: hi enim quocunque dominico, vel festo die sub ritu duplici conferri possunt (6), mane tamen, nisi aliud obtineat ex consuetudine. Collatio demum primae tonsurae, uti habetur in Pontificali Romano, nulli certae diei, nullique certae horae est adligata.

XXXVI. Ut quis extra tempora ad sacros ordines promoveri possit, dispensatione indiget, quam solus R. Pontifex concedit, quaque nonnulli regulares fruuntur. Verum diu, et saepe a doctoribus disputatum est, cum privilegia eiusmodi per bullam Innocentii XII. ann. 1693. abrogata essent. Benedictus XIII. in synodo romana (7) declaravit privilegia illi adhuc in suo robore subsistere, iisdemque regulares absque novo indulto apostolico tuto posse uti. Porro non desunt canonistae, qui censent eiusmodi privilegia ad illos tantummodo regulares conveoire, quibus non per viam communicationis, sed expresse, et speciatim ab Sede Apostolica elargita fuerint. Hanc sententiam probare videtur Benedictus XIV (8).

(1) Epist. IX. ad Episcopos Lucaniae cap. II.
(2) In Cap. III. De temporibus Ordinat. — (3) Hist. relig. cap. 13. — (4) Epist. ad Ioan. hierosolym. — (5) Cap. IX., et XI. de tempor. ordinat.
(6) Cap. III. de tempor. ordinat. — (7) Tit. V. de temporibus ordinat. cap. 2. — (8) Const. XXVII. tom. II. bullarii.

ADDITAMENTA

DE ECCLESIIS RECEPTITIIS

I. Quum in novissima concordatorum lege an. 1818. de minoribus Ecclesiis in ditione citra Pharum extantibus, quas *receptitias* dicunt, nulla dispositio constituta fuerit, hinc ad earumdem utilitatem, atque felicius regimen, instante Ferdinando I. Rege nostro pientissimo, Pius VII. Summus Pontifex apostolicis litteris, quae incipiunt *impensa* die XIX. mens. Aug. 1818. plura sanxit, quae hic recensere e re nostra duximus.

II. Et principio illud observatu dignum Ecclesias scilicet receptitias alias *numeratas* nuncupari, quippe quod ad sacrum ministerium obeundum designatus ministrorum numerus ibidem recipiatur, alias *innumeratas*, quia universi generatim locorum presbyteri ad sacra peragenda ipsis addicuntur, quae ut plurimum animarum curam adnexam habent; praefinitas vero redituum portiones sive menstruas, sive annales illi recipiunt.

III. Tum iisdem litteris cautum quod receptitiis Ecclesiis illi aggregentur presbyteri, qui pietate, doctrina, ac prudentia ita sint ornati, ut ad obeundum iniuncti officii ministerium, et ad dominici gregis utilitatem procurandam apti videantur.

IV. Quamobrem illos duntaxat ab Archiepiscopis, Episcopis, aut Ordinariis locorum admittendos esse sancitum, qui tum moribus, tum litteris commendatiores fuerint inventi. Hinc examen praescribitur instituendum coram Ordinariis, aut ipsorum Vicariis generalibus, et tribus saltem ex synodalibus examinatoribus, quo rite peracto digniores ab illis pro sua fide eligantur, atque in possessionem iuris designatae portionis immittantur.

V. Praeterea statutum, quod nemini detur actio adpellationem interponendi ad Metropolitanum, vel ad Episcopum provinciae antiquiorem, cum pro hisce caussis expresse appellationum usus interdicatur.

VI. Illud quoque animadvertendum est, clericos receptitiis Ecclesiis addictos ad maiores Ordines promoveri posse, cum et ipsi ibidem recepti titulum ecclesiasticum habeant, in quo sacra peragunt officia, et unde alimenta percipiunt.

VII. Iam vero quae nunc paucis uno sub adspectu proposuimus, iuvabit iam latius exponere, heic recensendo quae successu temporis de huiusmodi Ecclesiis constituta fuerunt.

Et sane Episcoporum Commissio ad rem delegata, cui Apostolicae Sedis Nuntius praeest, plerasque instructiones emisit regio rescripto sub die XVIII. novemb. an. 1822. confirmatas, quas dicere adgredimur.

1. Ecclesiae omnes Receptitiae cuiusvis naturae sint in limine fundationis, licet etiam cathedralibus, aut collegialibus titulis fuerint adnexae, Clerum numeratum habeant: quem nimirum Episcopi inspectis locorum circumstantiis, fidelium numero, reddituumque copia designabunt.

2. Clerici, qui praevio examine in litteris *impensa* praescripto praefi-

nitae reddituum partis iure gaudent ad sacros Ordines promoveri possunt, quippe quod isthaec addictio ut ecclesiasticus titulus agnoscitur. Excipiuntur vero presbyteri, quibus huiusmodi tituli etiam conferri possunt.

3. Episcopi in partitione reddituum onera dumtaxat illis inhaereutia detrahant, non vero praestationes annuas, quae ad procuratores, exactores, aliosque spectant : isthaec enim officia ab Ecclesiae titularibus exerceri debent, ac proinde dioecesani Autistites coacto Presbyterio statuta conficiant, ut ea vel gradatim, vel vicissim titulares ipsi peragant.

4. Missarum legata Ecclesiae praediis adnexa minime detrahantur, quippe quod titulares illis satisfacere debent. Si vero ingens sit earum numerus, tunc Episcopi, venia a Sede Apostolica impetrata, iuxta pontificium rescriptum illum minuant.

5. Qui ecclesiasticis functionibus non intersit, distributiones ab Episcopo praefinitas, illisque adnexas non lucretur, quibus dumtaxat praesentes fruantur.

6. Paroeciis, quae sufficientem congruam non habent, dos ex Ecclesiae receptitiae redditibus, servata forma art. VII. Concordati constituetur, quae saltem tertia parte maior ceteris portionibus esse debet : redditus vero extantes presbyteris, quos elegerit Episcopus parochi coadiutores conferantur.

Si vero Ecclesiarum redditus sint magni momenti, tunc ii in *maiores*, et *minores* portiones distinguantur, quarum illae presbyteris de Ecclesia optime meritis, hae vero ceteris locorum Ministris conferantur. Isthaec autem divisio omittatur in receptitiis, quae cathedralibus, et collegialibus Ecclesiis sunt adnexae, eo quod possunt Episcopi dignioribus canonicalem praebendam conferre.

7. Titulares omnes residentiae lege teneri constituitur, adeout ultra tres menses sine iusta caussa a propria Ecclesia abesse nequeunt: in transgressores autem Episcopum poenas a tridentina synodo latas irroget. Adhaec si beneficium incompatibile vel in eadem Receptitia, vel alia Ecclesia ii adipiscantur, horum portio ipso iure vacabit.

8. Distributiones, quas clerici non receperint, quippe qui sacris officiis non interfuerint, inter Ecclesiae titulares, parocho non excepto, singulis annis dividantur.

9. Ecclesiae redditibus si augeantur, aut aliqua portio vacaverit, tunc incrementum, et vacant's tituli fructus titularibus cedant.

10. Iura adventitia titulis curatis adnexa pro medietate ad parochum pertineant: altera vero medietas inter titulares subdividatur.

11. Parochus, qui personaliter, vel per alium in ducendo funere, et iustis, ac parentalibus absolvendis clericis praesit, ex fidelium oblationibus duplicem portionem recipiat.

12 Tandem curent Episcopi laudabilem consuetudinem, quae in quibusdam receptitiis extat persolvendi officia in choro sartam, tectamque servare: in aliis vero ad eam promovendam sedulo incumbant.

VIII. Praeterea Carolus Rosini olim puteolanae dioecesis Episcopus, vir bono Ecclesiae natus, doque re litteraria optime meritus in eo animum intendit, ut in huiusce Regni dioecesibus ad maximam Religionis utilitatem plures receptitiae instituerentur Ecclesiae, earumque statuta quamprimum

ederentur. Hinc articulos generales composuit, quos singulos pientissimus Rex noster Ferdinandus I. regio diplomate sub die VI. septembris 1824. confirmavit.

IX: Heic quoque ea referri debent, quae Episcoporum Commissio labentibus annis censuit, quaeque vel regiis rescriptis sunt confirmata

Et 1. Oeconomus curatus paroecialis Ecclesiae viduatae Pastore, quae duobus hominum millibus non constat, singulis annis ex eiusdem Ecclesiae congruae 60. ducatos percipiat: si vero illi praesit, quae numerum quinque millium animarum continet, 80: in ceteris tandem, quae maiorem fidelium numerum retinent, 100. habeat: reliqui autem congruae redditus aequis partibus inter titulares dividantur, oeconomo non excepto, vel parocho etiam, si titulus ob ipsius suspensionem vacaverit.

Istbaec dispositio illas quoque Ecclesias respiciat, in quibus redditunm portiones maiores sint ducatis 60., quippe quod animarum cura oeconomo commissa titulo vacante, novum officium ei impositum censetur.

Oeconomus vacantis tituli curati canonicatui adnexi ex eius praebenda annalem portionem recipiat relate ad duplicem quintam reddituum portionem. In ducendo vero funere omnes oeconomi duplicem portionem ex fidelium oblationibus, ut parochi recipiant: reg rescr. sub die XXII. Ianuar. 1825.

2. Tempore elapso sex mensium si titularis ad subdiaconatus Ordinem minime sit promotus, vacantis portionis ius praevio concursu digniori conferatur: facultas tamen Episcopis inest tempus prorogandi, ut ille Sacerdotio dedicaretur.

Si examen instituatur, clerici etiam, qui suae aetatis annum XIX. iam expleverint, et in seminariis, vel lyceis doctrina, morumque honestate praestiterint, dummodo alii aetate provectiores non extiterint, admittantur: reg. rescr. sub die XXIX. Mai 1830.

3. Si Ecclesiarum redditus ob diversas temporum vicissitudines deminutionem patiantur, dioecesani Episcopi congruam parochis detrahant, inspecto fidelium numero iuxta taxam in novissima conventione praefinitam: reliqui redditus si extent, ut quaedam pars beneficii inspiciantur, ac proinde detractioni subiacent, ut ceterae titularium portiones. Quod si istbaec deminutio sit magni momenti, et perpetua, tunc Episcopi novas constitutiones pro hisce Ecclesiis exhibeant, quae iuris ordine servato revideantur, et confirmentur.

Si vero fidelium liberalitate receptitiis Ecclesiis praedia largiantur, ac proinde earum redditus reale recipiant incrementum, Episcopis facultas inest vel alios titulos pro clericis ad sacros Ordines promovendis constabilire, vel inspecto fidelium numero, incrementum inter titulares extantes dividere, eorumque portionibus addicere: reg. rescr. sub die XVI. Iul. 1831.

5. Parochi, qui ex Ecclesiae redditibus congrua dumtaxat in Novissima Concordatorum lege praefinita fruuntur, Missarum oneribus, quae Ecclesiae praediis sunt adnexa, satisfacere non tenentur, sed tantummodo diebus festis iuxta canones Missas pro populo celebrent. Quod si illorum congrua taxam exuperet, tunc agnoscitur incrementum ut species portionis curato titulo adnexae, ac proinde Missarum legatis vel ipse satisfaciat; reg. rescr. sub die XXVIII. septembris an. 1831.

5. Vicarii capitulares Sede vacante receptitiae titulos iuxta specialem constitutionem *Impensa* conferre possunt, immo maiorem portionem minoribus titularibus concedere: reg. rescr. sub die XXVIII. septembris 1831.

6. Episcopi dioecesani pro ecclesiastica iuventute in re sacra erudienda titulares in suis Seminariis eligere possunt, quo temporis intervallo residentiae legi ii minime sunt obnoxii.

Parochis, qui ecclesiasticis functionibus in receptitiis non intersint indulgere potest Episcopus quoad distributiones illis adnexas ob animarum curam, cui sedulo incumbant.

Receptitiis Ecclesiis presbyteros quoque addicere possunt Episcopi ad titulum sacri patrimonii, et absque coucursu. reg. rescr. sub die XXIV. martii 1829.

Titularis Archipresbyter curatus, qui ut prima dignitas praebendam titulo adnexam habet, et ex Receptitiae redditibus ut curatus congrua perfruitur, necnon distributiones quotidianas recipit, is Missarum oneribus Ecclesiae adnexis satisfacere debet.

Omnes titulares, qui ex decreto dioecesanae Curiae ante promulgationem constitutionis *impensa* lato aliqua portione gaudent, absque examine ad maiores gradus, veteri optione penitus abrogata, admitti possunt.

TITULUS XXV.

DE CANONICIS ET VICARIO CAPITULARI

I. Canonicorum nomen omnibus olim clericis commune fuit (1), eo quod *canoni* sive *matriculae* Ecclesiae adscripti essent, cuius stipendiorum participes erant. Quamobrem qui deinde magnatum Oratoriis serviebant presbyteri, non dicebantur Canonici, eo quod ab illis, non autem ab Ecclesia substentarentur. Tum inducta clericorum vita communi, eo quoque canonici dicti sunt, quod arctiori quadam ecclesiastica regula *κατα τον κανονα secundum canonem*, sive *regulam* adstricti, vitam ducerent.

II. Ecclesiastica eiusmodi regula vitam communem potissimum praecipiebat; quae quidem in prima hierosolymorum Ecclesia ab omnibus fidelibus sub Apostolis agebatur (2). Sed quum ab ea vivendi ratione recessissent laici, soli clerici deinceps eam coluerunt: *omnia*, aiebat Tertullianus in apolog. *indiscreta sunt apud nos.* Et Hieronymus de clericis loquens (3): *illi*, inquit, *victu, et vestitu contenti nullam inter se proprietatem habentes debent habere omnia communia.*

III. At saevientibus persecutionibus quum vix clerici clandestinos conventus agere possent vitae communio in eo posita fuit, ut ex bonis Ecclesiae certas sibi quisque portiones, sive sportulas in dies, aut menses singulos acciperent. Unde clerici a S Cypriano *fratres sportulantes* dicuntur; et quod nos nunc *suspensionem a beneficio* dicimus, ab eo *suspensio a divisione mensurna* redditur (4).

IV. Post pacem Ecclesiae redditam coeperunt Episcopi in suis cathe-

(1) Basilius epist. I. canonica can. VI.
(2) Act. V.—(3) Can. VII. caus. 12 q. I.—(4) Epist. LXVI.

dralibus Ecclesiis clericos secum retinere, quibus et habitatio, et mensa, caeteraque communia essent. Id in Oriente obtinuisse discimus ex S. Basilio (1), et ex Sozomeno (2), Ex orientali vero Ecclesia in occidentalem migrasse opera S. Eusebii vercellensis, quum ab Athanasio ex Oriente remigravit, memoriae prodidit Ambrosius (3), ubi scribit *illum* Eusebium *coniunxisse officia clericorum, et instituta monachorum.* Hanc vivendi disciplinam ab Eusebio adripuit Ambrosius, indeque in suas Ecclesias derivarunt S. Martinus turonensis, S. Paulinus nolanus aliique, ac prae ceteris M. Augustinus in sua hipponensi Ecclesia, quem, teste Possidio in eius vita, complures Episcopi secuti sunt.

V. Quum vero frigescente charitate communis clericorum vita passim intermitteretur, sanctorum virorum opera diversis in locis subinde restituta est. Hinc Isidorus, scilicet hispalensis, antiquum vitae communis institutum in Hispania instauravit, et Cronogangus Episcopus metensis in Gallia tempore Pipini Regis suis clericis in unum coenobium collectis opportunas regulas tradidit, quibus corrupti mores integritati redderentur.

VI. Salutare hoc institutum tum pientissimi reges Pipinus, Carolus M., et Ludovicus Pius confirmarunt, tum concilia gallicana maximopere commendarunt, et promoverunt. Cronogangi regulam agente potissimum Ludovico Pio an. 816. pleniorem dedit synodus aquisgranensis, canonicisque omnibus servandam proposuit. Ex quo tempore in omnibus poene gallicanis Ecclesiis cathedralibus, et parochialibus, atque adeo (collapsa monastica disciplina) in ipsis monachorum claustris communis clericorum vita instituta est. Foeminae quoque canonicam admiserunt vitam, novumque inde genus velatarum virginum invaluit, nimirum, ut quaedam monachae, quaedam canonicae essent.

VII. Iam vero sive ex barbarorum incursionibus, sive aliis ex caussis saeculo X. exeunte, et XI. ineunte in omnibus poene Ecclesiis communis Clericorum vivendi regula iam defecerat, quum mox viri doctrina, ac pietate illustres, quo Ecclesiae damnis ob corruptos clericorum mores mederentur, collapsam canonicam vitam instaurare adgressi sunt. Petrus Damiani in Italia, Ivo carnotensis in Gallia, Echertus eboracensis in Anglia, aliique veterem vivendi normam iterum induxerunt, votis insuper monasticis eam adstringentes, in quo a Canonicis aquisgranensibus distinguebantur, quibus patrimonio non renunciare suo permissum erat.

VII. Quum vero non omnes clerici communem illam, ac poene monasticam amplecterentur vitam; hinc Canonicis sic dictis saecularibus aditus patefactus est. Regulares enim dicebantur qui in episcopiis, collegiatis, vel monasteriis perpetuum bonis omnibus remittentes nuntium, sub Episcopo, praeposito, vel abbate vitam ducebant: unde Augustini Clerum omnino aemulabantur pari terrenarum rerum abdicatione; quamobrem et sub Augustini nomine inclaruerunt. Saeculares vero, qui perpetuis ecclesiasticis praebendis donati, nec propria dimittentes bona, canonicum institutum, singularem suis in domibus agentes vitam, qua poterant sodulitate, observabant. Licet igitur vocabula Canonicorum regularium ταυτολογιαν, hoc est, *eandem rem semel, atque iterum pluribus vocabulis indicatam:* et

(1) Epist. LXIII. — (2) Lib. VI. cap. 31. — (3) Epist. XXVI.

Canonicorum saecularium apertam exhibeant *εναντιολογιαν contradictionem*, diversos tamen ordines prae se ostendunt.

IX. Porro sensim Canoniei saeculares adeo invaluerunt, ut apud omnes fere cathedrales Ecclesias obtinuerint, cuiusmodi coetus passim Capitula dicta sunt. Tum reditus ecclesiastici, qui primum Episcopo, et Canonicis ex aequo communes erant, in duas deinde sunt tributi partes, ita scilicet, ut alii mensam Episcopi, alii mensam canonicam, sive capitularem constituerent. Quin immo mensa capitularis tot in partes divisa est, quot erant Canonici: id quod in aliarum etiam Ecclesiarum Capitulis, sive collegiatis deinceps invaluit.

X. Cathedralium Ecclesiarum Canonici, quippe qui simul cum Episcopo communem agerent vitam, ad ecclesiasticorum negotiorum administrationem tanquam consiliarii, et adsessores adhibiti sunt. Haec quidem erat antiquitus, ut alibi demonstravimus, omnium presbyterorum, et diaconorum praerogativa, verum instaurata clericorum communi vivendi ratione, quum e clericis alii in monasteriis sub abbate, alii in parochialibus, sive collegiatis sub praeposito, alii demum in cathedralibus sub ipso Episcopo canonicam vitam viverent, hos tantummodo, tanquam proprius sibi adhaerentes, in pastoralis officii partem advocarunt Episcopi. Verum deinde abiecta vita communi, pristinae disciplinae consuetudo restituta non est: namque Canonici cathedralium comparatum ante ius retinuerunt, ut Episcopi senatum exhiberent, quorum nempe consilio ecclesiastica negotia tractarentur: Qua de re Alexander III. (1) Patriarcham hierosolymitanum sic adloquitur: *novit plenius tuae discretionis prudentia, qualiter tu, et fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu caput, et illi membra esse probentur. Unde non decet te, omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiae tuae negotiis uti, quum id non sit dubium, et honestati tuae, et sanctorum Patrum constitutionibus contraire.* Profecto hic summus Pontifex de antiquissima loquitur ecclesiastica consuetudine, qua inauditum erat, ut Episcopus quidquam ageret sine consilio sui cleri, cuius iura solum deinde cathedralis Ecclesiae Capitulum sibi vindicavit.

XI. Verum sanctissima haec unitas, qua Canoniei suo Episcopo, veluti membra suo capiti, adnectebantur, unumque corpus efficiebant, non diu stetit, sed paullatim disiuncta est, unde et senatus Ecclesiastici amplitudo, et veteris disciplinae decus omnino concidit. Usu enim sensim inductum est, ut plura sibi adrogarent Episcopi, quae sine Capituli agerent consensu; contra vero Canonici haud pauca sibi reservarent, in quibus ab Episcopis non penderent: quinimmo aliquibus in locis eo processerunt, ut more monachorum exemptionem ab Episcopi iurisdictione sibi procurarent.

XII. Ex iis, quae Episcopus non advocato Capitulo agere nequit, praecipua sunt: synodum dioecesanam celebrare, in eaque iudices, et examinatores creare, tum et constitutiones edere (2), bona Ecclesiae alienare (3), Ecclesias, vel beneficia unire (4), caussas omnes, quae ad iura Capituli pertineant, terminare (5). Reliqua vide apud Fagnanum in *cap.* quum ex

(1) Cap. IV. de his, quae fiunt ab Episcopo.

(2) Trid. Sess. XXIV. de ref. cap. 18., et Sess. XXV. cap. 10. — (3) Cap. I. VIII, et IX. de his, quae fiunt a Praelatis sine cons. Capit. — (4) Clement. ult. de rebus ecc. non alienandis. — (5) Ibid. cap. fin.

iniuncto *de novi operis nuntiatione*. Ceterum attendendae sunt locorum consuetudines.

XIII. At contra Capitulo nonnulla competunt independenter ab Episcopo, uti instituta, seu statuta facere, quae sua negotia respiciant, in Canonicos immorigeros, aliosque clericos Capitulo subiectos poenis levioribus animadvertere, propriam arcam habere, et sigillum, mensae capitularis redditus administrare, aliaque.

XIV. Iam vero antequam hinc egrediamur, hic παρεργως *obiter* observare iuvat, Patres tridentinos etiam in hoc capite veterem disciplinam, pristinamque presbyterii auctoritatem instaurare exoptasse; at Canonicis nimium suis exemptionibus addictis rem nonnisi ex parte perfecisse.

1. Igitur Episcopis iure tridentino competit *in choro, et in Capitulo prima sedes, et locus, quem ipsi elegerint*.

2. Praecipua rerum omnium agendarum auctoritas; unde si aliquid Canonici ad deliberandum proponant, nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi Capitulum convocent, vota exquirant, et iuxta ea concludant (1).

3. Tum Episcopis ius tributum est, ut cum consilio Capituli singulis cathedralium Ecclesiarum canonicatibus, ac portionibus sacrum aliquem ordinem adnectant, ita tamen, ut dimidia saltem pars presbyteri sint, nisi plures, aut omnes ex laudabiliori consuetudine sint presbyteri (2).

4. Episcopis facultas est impertita, ut invisere possint, corrigere, et emendare auctoritate apostolica Capitula etiam exempta, eorumque personas, vel per se ipsos, vel adiuncta illorum, quos voluerint, opera (3).

5. Demum extra visitationem Episcopi in Canonicos, etiam Capituli exempti, animadvertunt, duobus tamen adiunctis Canonicis principio cuiuscunque anni ab ipso Capitulo deputandis, licet in atrocioribus delictis, ubi de fuga timetur, initio possit solus Episcopus ad summariam informationem, et necessariam detentionem procedere.

XV. Canonicorum officia alia sunt cum reliquis Clericis communia, alia ipsis peculiaria. Primi generis sunt: castitatem, sobrietatem, vitae integritatem praeseferre, in sacrarum Litterarum, canonumque studia incumbere, rerum mundanarum pompas, fastumque contemnere, etc. Canonicis peculiaria sunt ordinis praebendae suae addicti defungi ministerio, proprium suae dignitatis, personatus, vel officii munus sedulo exercere, demum in choro ad psallendum ex suae Ecclesiae instituto quotidie, vel alternis vicibus adesse. Quinimmo ex more ab Ivone carnotensi primum inducto, et a synodo tridentina probato, distributiones quotidianas, nimirum certas specierum, vel pecuniae praebitiones, praesentes tantum Canonici lucrantur, *ut ad quas horas canonicas panis interni refectio non movebat, panis corporei refectio provocaret*, uti loquitur Ivo carnotensis (4).

XVI. Iam vero ex dictis illud prono alveo fluit, Canonicos lege residentiae teneri, adeo ut ultra tres menses a propria Ecclesia quolibet anno abesse nequeant (5). At non desunt quaedam canonibus probatae caussae,

(1) Sess. XXV. de ref. cap. 6. — (2) Sess. XXIV. de ref. cap. 12. — (3) Sess. VI. de ref. cap. 4.
—(4) Epist. ad Paschalem Papam.—(5) Trid. sess. XXIV., de ref. cap. 12.

quae Canonicos ultra definitum spatium abesse patiuntur: veluti si absint negotia curaturi ad Ecclesiam spectantia, modo non sint ultra duos (1). Tum si Episcopi venia sacris canonibus dent operam, vel theologiae in aliquo probato gymnasio (2). Porro absentes, licet iustis ex caussis, lucrantur quidem fructus praebendarum, quos *grossos* vocant, minime vero quotidianas distributiones, quibus duntaxat praesentes fruuntur: has vero, licet choro non intersint, ii lucrantur, qui animarum curae Capitulo, vel suae dignitati, aut canonicatui perpetuo adnexae incumbunt, dum reliqui officia in choro actu persolvunt, veluti parochus, poenitentiarius, quousque audiendis confessionibus revera vacet, et canonicus theologus ea die, qua sacrae Scripturae lectionem habet.

XVII. In promovendis ad Canonicatum plura requiruntur. 1. Ordo canonicatui adnexus, vel saltem, ut intra anni spatium eo initiari possit. 2. legitima aetas, nimirum in meris canonicatibus sufficit aetas 14. annorum: dignitates curam animarum adnexam habentes annos requirunt 25, reliquae vero annos 22. completos. Verum ubi ex tridentini decreto iam singulis canonicatibus sacer aliquis ordo fuerit adnexus, profecto quisque etiam merus canonicatus aetatem requirit saltem annorum 21. 3. theologiae, et sacrorum canonum scientia; Episcopis enim ius est Canonicis praesertim cathedralibus in fascis Episcopalis levamen utendi (3).

XVIII. Sede episcopali vacante in Capitulum iurisdictionis episcopalis potestas transfertur (4). Profecto rationi consonum omnino est, ut qui simul cum Episcopo Ecclesiam regunt, eamdem sede vacante etiam administrent. Unde deciana persecutione furente, quum abesset Cyprianus, Clerus carthaginiensis Ecclesiae regimen suscepit: eademque persecutione extincto Fabiano clerici romani Ecclesiam interim administrarunt, eoque nomine se *praepositos* dixerunt (5). Capitulum igitur sede vacante Ecclesiae suscipit regimen non alieno mandato, vel delegatione, sed potius iure proprio, ac primigenio, quo antiquitus simul cum Episcopo regebat Ecclesiam (6). Quamobrem perperam aliqui Canonistae inter iurisdictionem distinguunt necessariam, et voluntariam, atque illa Capitulum frui autumant, ista non item: rectius alii discrimen agnoscunt inter iurisdictionem ordinariam, et delegatam, illamque, non vero istam in Capitulum transferri contendunt.

XIX. Iam vero constat Capitulum sede vacante non posse 1: exequi quae ordinis sunt episcopalis, at non prohibetur ad exercenda pontificalia exteros advocare Episcopos. 2: neque quidquam de iuribus episcopalibus imminuere, aut innovare: qua de re omnino vetatur bona ecclesiastica alie-

(1) Cap. VII., et XV. extravag. de cleric. non resid. — (2) Cap. XII. Eodem, et cap. fin. extravag. de magistris.

(3) Iure novissimo Concord. an. 1818. art. X. statutum Canonicatus liberae collationis in Capitulis, sive cathedralibus, sive collegiatis respective conferri a Sede Apostolica, et ab Episcopis: scilicet in primis sex cuiusque anni mensibus pontificiae collationi illos addici: aliis vero sex mensibus Episcopali. Excipitur tamen prima dignitas, quae semper erit liberae collationis Sedis Apostolicae. — (4) Cap. II. de maioritate, et obedientia: et cap. VII. de officio ordinarii in VI. — (5) Epist. III. ad Clerum chartag. inter Cyprian. — (6) Card. de Luca discurs. XXXI. in concilio trid.

nare, beneficia unire, aut distrahere, aliaque huiuscemodi. 3: neque beneficia conferre ad liberam Episcopi collationem spectantia, licet possit praesentatos instituere (1). Verum 4. ea beneficia, quorum collatio ad Capitulum una cum Episcopo pertinet, *ob adcrescendi*, ut aiunt, vel *non decrescendi* ius recte confert, ubi in quatuor Ordinarii mensibus vacaverint (2). 5. Demum nequit concedere litteras dimissorias ad Ordines suscipiendos intra annum luctus Ecclesiae, iis tantummodo exceptis, qui beneficio sunt arctati, quos ad ordines etiam intra annum dimittit. In regno neapolitano ex novissimo concordatorum 1741. iure Vicarius capitularis nonnisi cum consensu pleni Capituli per secreta suffragia impertiendo ad Ordines dimittit, et laicos clericali tonsura initiandos, qui beneficio, vel capellania arctentur, et clericos ad beneficium, quod actu certum ordinem requirat, praesentatos, dummodo eosdem Episcopus defunctus ab ordinibus non reiecerit. Alios demum non arctatos neque post annum ad ordines dimittit, nisi expressa sacrae Congregationis Concilii petita venia.

XX. Porro ex tridentina sanctione (3) Capitulum sicuti pro cura bonorum Ecclesiae temporalium unum, aut duos oeconomos constituat necessum est, qui interim mensam procurent episcopalem: ita ad iurisdictionem exercendam Vicarium, sive Officialem constituere adigitur, qui *capitularis* dicitur, quod a Capitulo eligatur. Quum enim experientia satis compertum sit, in regimine sive ecclesiastico, sive politico parum feliciter res procedere, ubi unius non sit negotia curandi arbitrium; hinc recte primum ecclesiastica antiquissima consuetudine, dein et iure tridentino mos inductus est, ut potestas Capituli nonnisi ab unō Vicario unius Praelati vices gerente administretur (4).

XXI. Tempus praefinitum Capitulo constituendi Vicarium capitularem est octiduum: quo dilapso ad Metropolitanum eius electio devolvitur. Et si Ecclesia ipsa metropolitana fuerit, vel exempta, tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in metropolitana, et propinquior Episcopus in exempta Vicarium constituit (5). Verum Canonicis intra octiduum Vicarium constituere negligentibus, re integra, potest mora bene purgari; et rata habebitur electio, quam iidem ipsi tandem, antequam metropolita, vel alius negligentiam Capituli suppleverit, concluserint. Tum ubi contigerit Ecclesiam metropolitanam una cum suffraganea vacare, electio Vicarii suffraganei, non ad antiquiorem suffraganeum, sed ad Capitulum metropolitanum spectabit (6).

XXII. Postremo negligente Metropolita, aut antiquiore, vel proximiore suffraganeo, Romanus Pontifex, vel sacra Congregatio Episcoporum constituit Vicarium; eique modo ampliores, modo limitatas mandat facultates pro lubito. Quinimmo Vicarius Episcopo aliqua de caussa ab Sede Apostolica datus, is adhuc mortuo Episcopo munus idem obibit: tunc enim ob reverentiam supremae Sedis locus non datur electioni Vicarii capitularis, Xystus V. (7), et Benedictus XIV. (8).

(1) Cap. 1. de instit. in VI.—(2) Cap. Unic. de sede vacante in VI. 5.
(3) Sess. XXIV. de ref. cap. 16.—(4) Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 16.— (5) Trid. Sess. XXIV. de ref. cap. XVI. — (6) Bened. XIV. lib. X. de syn. dioeces. cap. IX. num. I.—(7) Const. CXVII.— (8) Ibid. num. 7.

XXIII. Vicarius capitularis ex Canonicis, si qui inter eos sint doctores, licentiati, Iurisve consulti, est eligendus. At non vetantur Canonici postremum Episcopi defuncti Vicarium eligere, vel, ubi doctores in Capitulo deficiant, extraneum constituere, nisi aliquem de gremio, quoad fieri poterit, idoneum eligere maluerint.

TITULUS XXVI.

DE DIGNITATIBUS ET OFFICIIS

I. Dignitatis, personatus, et officii vocabula licet aliquando promiscue usurpentur (1), attamen revera inter se sunt distincta. Dignitas enim amplitudo quaedam est, sive praeeminentia, cui administratio, et iurisdictio est adiuncta (2). Personatus est honor nullam habens comitem potestatem, sive iurisdictionem, seu est ius praeeundi reliquis Canonicis in choro, et in processionibus (3). Officium denique est simplex ministerium, sive nuda rerum ecclesiasticarum administratio (4).

II. Praecipuae cathedralium Ecclesiarum dignitates sunt archidiaconatus, archipresbyteratus, decanatus, primiceriatus, cantoratus, thesaurariatus. Ecclesiae collegiatae plerumque praepositum habent, vel primicerium. Porro dignitatum non idem ordo est, et numerus in omnibus Ecclesiis cathedralibus. Atque adeo primiceriatus, cantoratus, et thesaurariatus pro diversis Ecclesiarum institutis dignitates sunt, personatus, aut etiam meri canonicatus. In plerisque cathedralibus primam dignitatem obtinet archidiaconus, et in nonnullis archipresbyter. Nec desunt Cathedrales in quibus decanus prae ipso archidiacono primam honoris praerogativam habet. Igitur ex diversis Ecclesiarum moribus, ac praecipuae ex fundationibus et numerus dignitatum metiendus, et ordo constituendus.

III. Dignitatum, et officiorum origo potissimum ex instituta, atque instaurata communi clericorum vita est educenda. Tunc enim opus fuit, et iis, qui praessent, et iis, qui propius clericis curam impenderent, tum demum et iis, qui bona administrarent, ac tuerentur. Munia haec, sive officia plerumque nonnisi mera erant ministeria, sive delegationes, quae ab Episcopis pro arbitrio conferri, adimive possent. Verum dissociata communi clericorum vita, singulisque officiis suis constitutis redditibus, delegationes illae non solum in beneficia, sed et in dignitates degenerarunt, et quidem perpetuas, et irrevocabiles cum iurisdictione, ac potestate singulis iisdem propria. Adeout qui eas semel esset consecutus, iisdem exspoliari nequiret, nisi gravioribus quibusdam de caussis, iisdemque in iure expressis. Atque hinc primum dignitates in Capitulis emerserunt: quibus aliae novis fundationibus accessere. Verum ex posterioris aevi moribus omni fere ecclesiastica iurisdictione ad Episcopum revocata, Dignitates sive cathedralium, sive collegiatarum praeter primas in choro sedes, aliaque ho-

(1) Cap. VIII. de constitutionibus.— (2) L. XIV. Dig. de muneribus, et honoribus. — (3) Gonzal. In cap. VI. de consuetud.
(4) Cap. XVIII. de simonia.

norifica iura nullam obtinent potestatem ; unde dignitates inanes , ac ventosae a doctoribus adpellari consueverunt (1).

IV. Capituli neapolitani veluti prerogativa est nullam habere dignitatem. Solus primicerius , veluti primus reliquos antecedit , ex ipsorum tamen Canonicorum indulgentia, et cimeliarcha , qui thesaurario respondet , non modo unus est ex primario Canonicorum praebendariorum ordine , sed praefectus etiam est collegio hebdomadariorum, baculoque utitur argenteo manubrio ornato in processionibus aliisque functionibus, quas soli peragunt hebdomadarii, in iurisdictionis, et praeeminentiae signum cum praerogativa suffragii in eorum comitiis.

De archipresbytero

V. Non omnes presbyteros , qui pluribus presbyteris praeessent , at eos duntaxat, qui omnibus dioeceseos presbyteris essent praeposi ti , antiquitus dictos archipresbyteros docet Morinus (2). Parochi enim, quibus suae paroeciae presbyteri suberant , non archipresbyteri, sed duntaxat presbyteri cardinales adpellabantur , graeci archipresbyterum vocant πρωτοπρεσβυτερον, πρωτοπαπαν και πρωτοι ερεα.

Archipresbyteri origo

VI. Quod ad huius ecclesiastici muneris originem spectat, sane perantiquam eius institutionem discimus ex S. Hyeronimo (3) : *singuli* , inquit , *Ecclesiarum Episcopi, singuli archipresbyteri, singuli archidiaconi etc.*, ubi observandum , unum in unoquoque Episcopatu archipresbyterum fuisse, cui omnes presbyteri tam urbani, quam rurales subiiciebantur.

VII. Archipresbyteri dignitas antiquitus in Ecclesia num pro aetate , et antiquitate ordinationis , an vero pro personarum merito delata sit , quaestio est inter eruditos. Porro non eadem hac in re videtur fuisse graecae , et latinae Ecclesiae disciplina. In latina enim ea religiosissime lex custodiebatur , ut seniores iunioribus praeferrentur. Et sane Leo Papa in Doro Episcopo beneventano graviter offendit , quod primum ante alios honoris gradum Epicarpio presbytero recens ordinato detulerit , quo facto presbyterii ordinem turbatum scribit.

VIII. At in graeca Ecclesia contrariam viguisse consuetudinem plura , quae occurrunt, exempla demonstrant. Et sane Liberatus de quodam Proterio meminit , quem disertis verbis scribit a Dioscoro Episcopo Ecclesiae alexandrinae archipresbyterum fuisse constitutum; tum Gregorius Nazianzenus (4) de se narrat , quod Basilio volenti sibi primum inter presbyteros locum adsignare non adquieverit. Iam vero secutis temporibus mos inolevit, ut Episcopi in archipresbyteris constituendis non aetatem spectarent , aut ordinationis antiquitatem , sed potissimum pietatem , doctrinam , et ad munia exercenda dexteritatem.

(1) Fagnan. In Cap. ad haec de praebendis. n. 22. — (2) Part. III. exercit. XVI: cap. 2.
(3) Epist. ad Rusticum. — (4) Orat. XX.

IX. Archipresbyter igitur proxime post Episcopum Ecclesiae praeest, tanquam presbyterorum caput, et princeps: qua de re absente, vel aegrotante Episcopo Missae Sacrificium offerre, Sacramenta ministrare, fontem baptismalem benedicere, infirmos, praesertim Praelatos, oleo perungere, populo ab Ecclesia dimittendo benedictionem impertiri, archipresbyteri munia erant (1).

X. Verum tam ampla dignitas aucto fidelium numero divisionem subiude passa est, ita ut plures in una dioecesi archipresbyteri essent, qui in presbyteros extra civitatem, et clericos curam intenderent, dicti propterea *rurales*, archipresbytero urbano presbyterorum solius Episcopalis civitatis cura reservata. Porro archipresbyteri rurales *decani* quoque dicti sunt. Quum enim Dioeceses praesertim amplae in plures dividi coepissent regiones, sic dictas *decanias*, quod singulae decem titulos complecterentur; atque usu quoque inductum esset, ut singulis decaniis singuli praeficerentur archipresbyteri, hinc factum, ut hi *decani* quoque dicerentur, quippe qui presbyteris, et clericis determinatae alicuius regionis praeessent, ac eorumdem curam gererent (2).

De archipresbyteris ruralibus

XI. Porro Archipresbyteri rurales licet sint velut pastores postorum, atque adeo omnium sui districtus clericorum curam agant, haud tamen horum intuitu, ut ordinarii, habendi sunt, quum eiusmodi potestatem ex commissione, et delegatione Episcopi quasi iure delegato duntaxat accipiant, unde ad nutum Episcopi amovibiles plerumque constituuntur, ac *vicarii* etiam *foranei* dici solent: tenentur tamen utpote quibus non clericorum modo, verum et laicorum quadam ratione cura demandata est, intra sui districtus limites residere, adhaec et suas regiones quam frequenter invisere: qua de re a cunctis earundem clericis honor ipsis praestandus est, et obsequium. *Tanquam vigiles*, inquit synodus provincialis neapolitana an. 1699. (3) *qui custodiunt civitatem, regiones sibi commissas obire, et perlustrare non desinunt: atque ut id cum maiori diligentia, et alacritate praestare possint, praecipit s. synodus, ut a cunctis Ecclesiasticis honor ipsis, et reverentia exhibeatur.*

XII. Igitur archipresbyterorum ruralium praecipua ex iure novo munia sunt. 1, sui districtus parochias identidem lustrare. 2, festorum dierum cultum sedulo tueri. 3, de delictis, si quae ab ecclesiasticis patrentur, quamcitius Episcopum admonere. 4, inquirere num parochi sui muneris partes adimpleant. 5, ad Episcopum referre, si qua scandala in dioecesi oriantur, aut abusus inducantur (4). Qua de re nonnisi viri probatae virtutis, et maturae aetatis in istiusmodi officium adsumendi sunt.

(1) Cap. I. II, et III. de officio archipresbyteri: can. I. Dist. 25. Bened. XIV. Const. XLVIII. bullar. tom. II. — (2) Can. XI. caus. 16. q. VII: can. LXIV. dist. 50. can. I., et II. dist. 60.
(3) Tit. IX. cap. 3. — (4) Synod. prov. neap. ibidem.

De archipresbytero urbano

XIII. Archipresbyteri urbani praerogativae, et munia magis ex singularum Ecclesiarum usibus, et institutis, quam ex iure scripto metienda sunt. Illud hic duntaxat est observandum, in eo nimirum urbanum a rusticanis archipresbyteris discrepare, quod hi merum habere officium censeantur, et quidem iure delegato; ille vero cathedralis Ecclesiae dignitas sit, suaque munia iure habeat ordinario, quae Episcopi arbitrio tolli, diminuique nequeant, quumque illis adcenseatur Ecclesiae muneribus, quibus cura animarum est adnexa, hinc ad eam is promoveri poterit, qui saltem XXV. suae aetatis annum attigerit, et doctrinae fulgore, morumque integritate simul commendetur (1).

De archidiacono

XIV. Archidiaconus tanquam diaconorum princeps, et rector adpellari quoque consuevit, *diaconus cardinalis* (2), *prior diaconus* (3). Peranti-quam eius institutionem prodit modo laudatus Hieronymi locus, in quo idem illud observandum occurrit, quod de archipresbytero notavimus: nimirum in unaquaque Ecclesia unum duntaxat fuisse archidiaconum, qui mos ad nostram usque aetatem in omnibus fere Ecclesiis perdurat.

XV. Huiusmodi dignitatem iam inde a sui institutione non aetatis, aut antiquitatis, sed meritorum intuitu semper fuisse collatam, et plura ecclesiasticae historiae monumenta probant, et potissimum illud Hieronymi (4): *diaconi*, inquit, *eligant de se, quem industrium noverint, et archidiaconum vocent.* Unde illud quoque patet, archidiaconum nonnisi ex diaconis eligi consuevisse, qui principem inter ipsos locum obtineret.

XVI. Quod autem archidiaconi munia spectat, sicuti diaconi generatim ministri erant Episcoporum, et Ecclesiae, ita ille veluti praecipuus erat Episcopi minister in functionibus exterioribus, praesertim temporalibus. Qua de re ipsius erat Episcopo sacra peragenti ministrare, calicem populo praebere, postquam Episcopus panem distribuerat, eique in sacris concionibus praesto esse. Ipse praeterea inferioribus clericis in Ecclesia ministeria dispensabat, eosque, quod et hodiedum viget, quum ordinarentur, ad Episcopum adducebat, atque eorum mores cognoscens, si quas inter ipsos exoriri lites sentiret, eas aut componere satagebat, aut Episcopo indicabat. Ipsius etiam numeris pars erat populo ieiunia, et dies festos indicere, oblationum, aliarumque Ecclesiae redditiuum curam agere, ratamque clericis portionem erogare, pauperibus tandem, viduis, et virginibus prospicere, haud immerito igitur Episcopi manus, et oculus adpellatus.

XVII. Iam vero munia haec, de quibus fusius in nostris *antiquitatibus christianis* agemus, archidiaconus non tam iure suo exercebat, quam Episcopi iussu, ita ut integrum esset Episcopo eorundem exercitium etiam ab-

(1) Cap. VII de electione: syn. trid. sess XXIV. de ref. cap. 12. — (2) Cap. unic. de scrutinio in ordines faciendo. — (3) Sess. XXIV. de ref. cap. 12. — (4) Epist. LXV. ad Evagrium.

teri, praesertim archipresbytero, committere, ut *ibidem* productis veterum testimoniis demonstrabimus.

XVIII. Tam late patens archidiaconi potestas secutis temporibus non intra solius cathedralis Ecclesiae, aut civitatis episcopalis ambitum se continuit, sed per universam sese explicuit dioecesim, adeout haberetur veluti generalis Episcopi vicarius, alteramque ab Episcopo dignitatem obtineret. Ex hac porro eius potestate factum est, ut tamquam Episcopi delegatus, vel eo absente, vel sede episcopali vacante, episcopalem in omnes exerceret iurisdictionem, et ex iure communi tanquam iudex ordinarius suos constitueret ministros, quibus illam demandaret (1), id quod ad saeculum usque XII. obtinuisse videtur, ex quo tempore Episcopi archidiaconorum potestatem tanquam sibi invisam decurtare coeperunt, atque inde paullatim Vicarii generalis dignitas emersit, de quo mox redibit sermo.

XIX. Monumenta, quibus permoti nonnulli Canonistae censent archidiaconum iam inde ab V. saeculo in presbyteros, atque adeo in ipsum archipresbyterum potestatem exercuisse, vel supposititia sunt, vel saltem dubiae fidei: nimirum ex epistola Isidori hispalensis ad Ludifredum (2), et concilio toletano (3). Qua de re secutis temporibus illud per abusionem irrepsisse credimus; tum quod archidiaconi plerumque non ex diaconorum, sed ex presbyterorum ordine seligerentur; tum vero praecipue quod archipresbytero rerum tantummodo spiritualium administrationem gerente, archidiaconus rebus sensibilibus, quibus homines magis adficiuntur, praefectus esset. Id quod deinde Gratiani auctoritate, et decretalibus evulgatis, tanquam iure communi sancitum, habitum est.

XX. Synodus tridentina non archidiacono, sed Episcopo duntaxat caussas matrimoniales, et criminales, disquirendas relinquit. Quo decreto et beneficiarias, et maiores omnes Episcopo reservatas intelligi docent Canonistae (4).

XXI. Ceterum iure novissimo archidiaconi munus eo radactum est, ut Episcopo generalem ordinationem celebranti clericos ad ordines promovendos sistat: id quod licet in speciem tantummodo fieri videatur, non erit tamen a peccato immunis, si eos indignos iudicans, Episcopo interroganti palam responderit, a se praesentes factos dignos esse, qui ordinentur (5).

XXII. Quod si autem ex locorum legibus, institutis, vel consuetudinibus archidiaconus primam obtineat dignitatem, vel praefecturam in choro, nec levis honor illi praestabitur, nec pauca illius erunt munia. In sacris enim functionibus, et thurificatione ipsum etiam vicarium praecedit, horas canonicas inchoandi, et a choro discendendi signum dat. Adhaec ipse canonicos ad consilia, si quae inter illos sint agitanda, convocat, atque, absente Episcopo, horas, viasque publicarum supplicationum indicit, tabularii, depositorumque claves, libros conclusionum, et sigillum Capituli custodit, viaticum aegrotanti Episcopo defert. Ceterum tanta hodie erit Archidiaconi auctoritas, quantam ipsi indulserit vel Episcopi mandatum, vel Ecclesiae institutum, vel consuetudo longissima (6).

(1) Cap. I. de officio archidiaconi. — (2) Can. I. dist. 23. — (3) Cap. 1 de officio archidiaconi. — (4) Barbosa collect. n. 6.
(5) Bened. XIV. Syn. dioeces. lib. V. cap. III. n. 4. — (6) Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 3.

De praepositis et decanis

XXIII. Vigenti communi clericorum vita praeter abbates, aliosque praelatos superiores erant quoque sic dicti *praepositi*, qui aliquam curam sub praelatis superioribus gerebant. *Praepositi*, inquit synodus aquisgr. an. 816. (1), *qui quandam prioratus curam sub aliis praelatis gerunt. Hi tales, et tam strenui sunt, et ea, quae sibi iniuncta sunt, fideliter, humiliterque expleant.*

XXIV. Erant quoque et *decani*, quos Canonici, quum communem vitam agerent, ad exemplum monachorum constituerunt, quibus interior eorum cura incumberet, quum praepositi temporalibus negotiis intenti curam spiritualem negligerent, saepiusque a coenobio abessent. Dissociata vero vita communi adhuc quidem superfuere aeque praepositi, ac decani: verum quum illi potentia, ac reddituum opulentia inflati durius Canonicos habere coepissent, hinc pedetentim plerisque in cathedralibus, vel prorsus abrogati sunt, vel universa ipsis iurisdictio adempta: at contra nulla poene est cathedralis, cuius Capitulum decanatum, et quidem inter praecipuas dignitates recensitum, non habeat.

XXV. Decani in Canonicos, aliosque Ecclesiae suae clericos potestas magis ex consuetudinibus, institutis, et privilegiis, quam ex iure haurienda est. Verum ubi decanus est praelatus Ecclesiae collegiatae de iure habet iurisdictionem ordinariam in Canonicos, aliosque Ecclesiae suae clericos (2). Ceterum quaecunque decani fuerit potestas, ea non contentiosa, sed correctoria, uti canonistae loqui amant, tantummodo esse intelligitur, nisi contraria consuetudine, aliove speciali titulo contentiosam quoque iurisdictionem sibi vindicet.

De cantore sive primicerio

XXVI. Qui in titulis decretalium *primicerius* dicitur, idem poene est, ac qui hodie *cantor* adpellari solet: dictus quidem primicerius, tum quia primum inter Canonicos gradum obtinebat, tum vero, et praesertim, quia in cantoribus instituendis, et ad cantum in choro ducendis eius cura versabatur, inde et aliquando *praecentor* dictus.

XXVII. Cantoris, sive primicerii officium est choro praeesse, ut divina officia graviter, et ordinate Altissimo persolvantur. Unde risus cohibere, et colloquia, silentium indicere, curare ne quis nimium in psallendo festinet, aut tardet, aliaque huius generis cantoris omnino munia sunt. Atque hinc in quibusdam cathedralibus usu receptum est, ut in suae potestatis argumentum in festis solemnioribus baculo argenteo utatur, quem *baculum cantoralem* vocant.

(1) Cap. CXXXIX. — (2) Glossa ad cap. VI. de sent. excomm. in VI.

De scholastico

XXVIII. Vigente communi clericorum vita haud raro pueri a parentibus Episcopis offerebautur, ut iisdem ducibus, ac magistris paullatim ad vitam clericalem instituerentur. Iam vero Episcopo gravioribus Ecclesiae negotiis distento, ex ipsis in communi degentibus clericis probatissimus aliquis seligobatur; qui pueros, et adolescentes in bonis moribus, vitaeque sanctitate erudit. Vide quae supra diximus (1). Porro buiusmodi vivendi ratione exoleta, quum scholae cathedralibus, et collegiatis adnexae adhuc permansissent, hinc mos quoque perduravit, ut unus e Clero earundem curam ageret, qui hodie *scholasticus*, et interdum *scholarchus* nuncupatur. Eiusmodi munus, quod olim simplex erat officium, sensim in beneficium abiit, quinimmo in quibusdam Ecclesiis ad dignitatis gradum evectum est:quamobrem ab hominibus vix sibi regendis idoneis ambiri coepit, qui dignitate, et proventibus potiti proprium exequi munus negligerent. Huic pravo usui ut prospiceret tridentinum sanxit, ut dignitates huiusmodi nonnisi doctoribus, vel magistris, aut licentiatis in sacra pagina, vel in Iure Canonico et aliis personis idoneis, qui per se ipsos id munus explere possent conferantur (2).

XXIX. Scholasticus igitur tenetur ipse per se curare, ut nonnisi probi, et docti ad adolescentes erudiendos, et informandos constituantur: adhaec et frequenter scholas invisere, ut cognoscat, num iuventus tam in litteris, quam in pietate rite instituatur, et proficiat.

De thesaurario, sive Κειμηλιαρχη

XXX. Qui sacra vasa, et pretiosas Ecclesiae supellectiles custodit a graecis Κειμηλιαρχης *cimeliarcha* dictus, a latinis *thesaurarius*, maxime, in Ecclesiis, praesertim orientalibus, dignitatis, et auctoritatis fuisse ex Iustiniano discimus, qui *viri reverendissimi* titulum, quo tunc Episcopi distinguebantur, ipsi tribuit (3). In Ecclesiis etiam occidentalibus iam inde ab Innocentii III. aetate inter dignitates fuisse recensitum patet (4). Quinimmo ipse Innocentius sacristam, qui thesaurario respondet, dignitatis titulo decoraverat (5).

XXXI. Moribus hodiernis thesauraria, vel simplex officium est, vel beneficium, vel dignitas. Verum ex quo dignitates cathedralium, uti modo ex Barbosa notavimus, inane aliquid evasere, in thesauraria officium a dignitate separatum est, adeout uni, qui proprie dicitur sacrista, vasorum, utensilium, reliquiarum, oblationum, aliorumque huius generis cura demandetur; alteri dignitatis praerogativa inter Canonicos tribuatur, nulla vero iurisdictio. In Ecclesia neapolitana ut alibi observavimus, cimeliarcha non modo unus est ex primario Canonicorum praebendariorum ordine, verum et hebdomadariis praeest.

(1) Tit. X. num. XI. — (2) Sess. XXIII. de ref. cap. 18.
(3) L. fin. Cod. de bonis auct. iud. possid. — (4) Cap. XXXII. de offic. iud. deleg. — (5) Lib. I. regest. epist. 176.

De Canonico theologo

XXXII. Concilium lateranense IV. sub Innocentio III. duo nova officia constituit, scilicet *theologum*, et *poenitentiarium*. Ac primo sanxit, ut unaquaeque metropolitana Ecclesia theologum habeat, qui sacerdotes, aliosque clericos sacras Scripturas doceat, et in his praesertim informet, quae ad curam animarum pertinent. Hoc saluberrimum decretum synodus tridentina non modo firmavit, verum et in caeteris cathedralibus Ecclesiis, atque etiam collegiatis in aliquo insigni oppido existentibus omnino servandum constituit. Tum adiunxit, ut ubi nulla praebenda huic officio deputata reperiatur, praebenda quomodocunque praeterquam ex caussa resignationis, primo vacatura ad eum usum ipso facto perpetuo constituta, et deputata intelligatur.

XXXIII. Theologalem praebendam nonnisi praevio concursu conferendam constitutione *pastoralis* an 1725. motu proprio edita iussit Benedictus XIII. Tum methodum in concursu super textu sacro servandam praescripsit.

XXXIV Quibusnam diebus lectio theologalis habenda sit expresse non edixit synodus tridentina. Verum qua hora, quibusve diebus, tum super quo sacrae Scripturae libro praelegendum sit, arbitrio ordinarii relictum voluit sacra Congregatio apud Garziam de beneficiis (1).

De canonico poenitentiario

XXXV. Theologo suppar est poenitentiarius. Eadem enim lateranensis synodus sanxit, ut *tam in cathedralibus, quam aliis conventualibus Ecclesiis viri idonei ordinarentur, quos Episcopi possent coadiutores habere in confessionibus audiendis, et poenitentiis iniungendis*. Episcopi igitur quosdam ex sacerdotibus seligere coeperunt, quibus criminum quorundam absolutionem reservarunt: in ordinariis enim suo quilibet parocho confitebatur.

XXXVI. Verum licet singularis iste confessarius designatus esset, nemo tamen vetabatur, quin Episcopum adire, eique suam conscientiam pandere posset: qua de re quum tunc temporis frequentiores ad Episcopum confluerent, Episcopi presbyterum prudentia, ac pietate praestantiorem eligere instituerunt, ad quem, veluti ad alterum Episcopum, omnibus pateret accessus. quemque *confessarium*, aut *poenitentiarium generalem* nuncupavere. Hunc porro tum inferiores confessarii, et poenitentiarii in casibus dubiis consulere poterant, tum ad eum, tanquam ad Episcopum graviorum criminum absolutio, et poenitentiae impositio referebantur.

XXXVII. Poenitentiarii officium a decreto lateranensi inductum synodus tridentina non modo probavit, verum et eidem praebendam proximo vacaturam adfixit. Praecepit vero, ut sit magister, vel doctor, aut licentiatus in theologia, vel iure canonico, et annos quadraginta natus, nisi aliter pro locorum diversitate utilitas, vel necessitas postulaverit. Hic autem iuxta

(1) Part. III, cap. VII. num. 155.

tridentinum, dum poenitentiam in Ecclesia excipit confessiones, in choro adesse ceusetur, aeque ac si reipsa ibi praesens esset. Tandem ex modo indicata Benedicti XIII. constitutione poenitentiarii munus nonnisi praevio concursu conferendum est; alias irrita habetur collatio.

XXXVIII. Poenitentiarium, aeque ac theologum, nullam in Capitulo habere ἐξουσίαν *potestatem*, neque inter dignitates, sed inter Canonicos servato collationis, professionisque antiquioris ordine sedere decrevit s. congregatio Concilii an. 1699. At alicubi dignitatem ex fundatione, vel statuto obtinere testatur Espenius (1).

XXXIX. Poenitentiarius licet vi sui officii in confessionibus audiendis sit veluti vicarius natus Episcopi, atque adeo a iure facultatem habeat audiendi confessiones poenitentium totius dioecesis, et iurisdictionem absolvendi a peccatis, sitque veluti ordinarius dioecesis confessarius, attamen ex veriori sententia non habet potestatem alios delegandi, neque etiam ad unum tantum reservatum, sive ad nudum ministerium (2).

TITULUS XXVII.

DE VICARIO GENERALI EPISCOPI

I. Ex diminuta archidiaconi potestate paullatim consuetudo invaluit, ut Episcopi, in praecipuis sui muneris adimplendis partibus alteri cuidam Clerico, veluti vices committerent suas, qui propterea et officialis, et Vicarius generalis dictus est. Quum enim archidiaconi sua potestate ita abuti coepissent, ut nonnunquam in ipsos insurgerent Episcopos, profecto exorbitans haec, et ultra modum crescens ambitio Episcopos tandem movit, ut de ea cohibenda, ac delenda cogitarent. Ut autem ministros haberent, per quos suam exercere iurisdictionem possent, archidiaconis Vicarios substituerunt, quorum mandata quum pro lubito revocare possent, minus ab ipsis, quam ab Archidiaconis, sibi metuendum crediderunt.

II. Verum hanc consuetudinem nonnisi saeculo XIII. primum obtinuisse ex eo conficit Thomassinus (3), quod nec Gratiani decretum, nec collectio gregoriana Vicariorum generalium meminerint: quorum originem concilio lateranensi IV. recte adscribi posse censet. Profecto eius synodi Patres Episcopos hortati sunt, ut si quando non possent numeros omnes implere sui muneris, adiutores sibi arcesserent, et cooperarios, a quibus ad pietatem instruantur, regantur, visitentur dioeceses *vice ipsorum, quum per se iidem nequiverint* (4). Huic synodico instituto quum Episcopi obsecuti fuissent, brevi ubique gentium inter Catholicos vicarii generales obtinuere, scilicet saeculo XIII. saltem exeunte. Unde in VI. decretalium titulus occurrit *de officio Vicarii*, qui totus est in illustrandis Episcoporum generalibus Vicariis, eorumque muneribus.

(1) Part. I. tit. XII. cap. III. — (2) S. Congr. Conc. an. 1597; et syn. dioec. neap. Cantelmi part. II. cap. VI. n. 28.
— (3) Part. I. lib. II. cap. VIII. — (4) Cap. XV. de offic. iudic. ordin.

III. In Italia nullum omnino est discrimen Vicarium generalem inter, et officialem. Unus enim idemque tum in spiritualibus administrandis, tum in iurisdictione contentiosa exercenda vices Episcopi gerit: quem Italiae praxim synodus tridentina secuta est (1), ubi officialem cum Vicario confundit. At in Gallia, aliisque ultramontanis regionibus officialis a Vicario diversus est. Officialis enim dicitur, qui in forensibus episcopales adimplet partes, Vicarii autem potestas in iis versatur, quae voluntariae iurisdictionis sunt, adeout Vicarius limites suae iurisdictionis transgrederetur, si servata iudicii forma partes coram se citari iuberet.

IV. Igitur Italiae more omnis caussarum cognitio, quae ad Episcopum pertinet, ad Vicarium transfertur (2), et quidquid leges Episcopo tribuunt, tributum quoque intelligitur Vicario. Quod tamen haud ita intelligas, quasi omnis prorsus Episcopi iurisdictio in Vicarium generali officii delegatione transferatur: plura enim sunt, quae, nisi Episcopus speciatim mandet, praestare vetatur.

V. Qua de re Vicarius generalis sine speciali mandato criminales caussas non cognoscit, neque matrimoniales, nec quaslibet alias soli duntaxat Episcopo delegatas: tametsi, quae Episcopo, vel Ordinario loci sine particula taxativa, quae industriam personae requisitam indicet, mandat tridentinum, ea vel Vicario commissa censentur, vel saltem ipsi ab Episcopo speciatim committi poterunt.

VI. Praeterea nec beneficia confert (3), nec iis permutandis, uniendis, erigendisve adsensum impertitur (4). Porro instituit praesentatos a patronis, caussasque beneficiarias de pertinentia, et quasi possessione iurispatronatus cognoscit (5). Non visitat dioecesim, nec synodum cogit (6). Papae duntaxat Vicario permittitur dioecesanam Cleri romani synodum celebrare (7). Tum vetatur Capitulum Canonicorum indicere, eidem praesidere, atque adeo interesse, aut suffragium ferre (8). Non absolvit a casibus Episcopo reservatis, nec ab iis absolvendi facultatem impertitur (9). Adhaec neque in irregularitatibus occulto ex crimine obortis dispensat (10). Denique dimissorias ad ordines, nisi Episcopus in longinquis regionibus diuturnam fecerit moram, non concedit (11). Qua de re potiori iure, quae ordini episcopali, sive ex ecclesiastica antiquissima institutione sunt addicta, exequi prohibetur, uti Ordines conferre, chrisma conficere, Ecclesias consecrare, indulgentias elargiri etc. Postremo Metropolitani Vicario generali, nisi ultra duas dietas absit Archiepiscopus, in suffraganeos censuris animadvertere non licet (12).

VII. In Vicarium generalem quilibet clericus adsumi potest: scilicet qui prima saltem clericali tonsura sit initiatus. Porro arceantur 1. Mendicantes (13) 2. Coniugati, clerici bigami, et minores annis vigintiquinque 3. Con-

(1) Sess. XXIV. de ref. cap. 16.
(2) Tit. de officio Vicarii in VI. — (3) Cap. III. eodem in VI. — (4) Cap. V. de rerum permutatione: et can. IX. de consecrat. dist. I. — (5) Cap. III. de institutionibus. — (6) Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 20. — (7) Bened. XIV. lib. II. de syn. dioeces. cap. III. num. 4. — (8) Trid. sess. XXV. de ref. cap. 6.
(9) Cap. XI. de Poenitent., et remiss. in VI. — (10) Trid. sess. XXIV. de ref. cap. — (11) Cap. III. de temporum ordinat. — (12) Cap. I. de officio Ordin. in VI. — (13) Clement. II. de rescriptis DD. communiter.

sanguinei Episcopi, cives urbis episcopalis, et dioecesani gratia, odio, aliove nomine haud raro suspecti (1). 4. Parochi, Canonici poenitentiarii licet exteri, omnesque curam animarum habentes (2). Demum Imperiti: qua de re ex eadem sacra Congregatione in Vicarium deligendus necessum est, ut in utroque, vel saltem in canonico iure lauream sit consecutus, nisi aliunde viri peritia manifesto constet.

VIII. Illud hic iure quaeri potest, Vicarii potestas ordinaria ne sit, an delegata? Sunt qui ordinariam docent. 1. quia Vicarius semel constitutus, quae episcopalis iurisdictionis sunt, proprio iure exercet. 2. Quia Vicarius, licet provicarium constituere nequeat, potest tamen caussas nonnullas aliis delegare: porro delegatus subdelegare vetatur. 3. Quia Vicarius nunquam delegati nomine in Pontificum decretalibus designatur.

IX. At contra delegatam potius censendam plura evincunt. 1. Vicarii potestas aeque iure, ac consuetudine ab voluntate Episcopi ita dependet, ut eam contrahere, ampli oremque reddere libere queat. 2. Episcopus Vicarium ad nutum removere ab officio, novumque constituere nullo iure vetatur. Tum 3, potest pro lubito unum, aut plures sibi constituere vicarios, qui simul corpus unum, quod vicariatus dicitur, componunt. Ita in neapolitana archiepiscopali Curia duo locumtenentes cum Vicario, veluti tribunal quoddam constituunt, cui peculiaria quaedam reservata sunt expedienda negotia. 4. Vicarii tribunal ab tribunali Episcopi distinctum non est: quamobrem ab Vicarii sententia non provocatur ad Episcopum, at vero ad eum, ad quem provocandum esset, si Episcopus ipse per se sententiam dixisset. 5. Demum Episcopo mortuo, vel alias sua iurisdictione destituto, Vicarii potestas omnino extinguitur, quae propterea alia non est, quam ipsamet episcopalis mandata, sive delegata.

X. Veruntamen si eo sensu ordinariam quis intelligat, quod Vicarius iurisdictionem exerceat suam intuitu officii in iure probati, eandemque non tam ab homine, quam a iure habere videatur, ordinariam illam nuncupari posse non abnuam.

XI. Episcopus non vetatur plures sibi Vicarios constituere, et quidem vel singulis ipsorum singulas dioeceseos regiones adsignando, vel uni iurisdictionem voluntariam, aut in spiritualibus tribuendo, alteri vero contentiosam, aut in temporalibus. Quinimmo aliquando Episcopus ad plures sibi Vicarios substituendos adigitur, scilicet ubi vel duas simul unitas regat dioeceses, vel unam longe lateque patentem, vel latinis simul, et graecis subditis mixtam. Profecto Episcopus latinus, qui Italograecis praeest, tenetur horum caussas per Vicarium graecum ipsis acceptum, atque eorundem sumptibus substentandum, cognoscere, atque adeo in gradu adpellationis metropolita latinus graecum quoque iudicem constituat necessum est (3).

XII. Ubi accidit Vicarium ab Episcopo sua potestate privari, actus hic omnino evulgandus est, adeo ut quae interim geruntur, antequam evulgetur, valeant (4). At vero quum Vicarius non ab Episcopo, sed a Sede apo-

(1) Syn. roman. an. 1726. tit. VIII. cap. 2. — (2) S. Congr. Conc. plurib. decret.
(3) Bened. XIV. const. LVII. § 9. n. 21. tom. 1. bullar. — (4) C. p. IV. de restitut. spoliat. et clement. un. de renunc.

stolica fuerit constitutus, (uti aliquando vel ad supplendam negligentiam, vel ad froenandam cupiditatem Episcopi fieri solet) is profecto nonnisi ab ipsamet Sede Apostolica revocari poterit. Porro utriusque sive apostolici, sive episcopalis Vicarii iurisdictio, excommunicato Episcopo, non suspenditur (1).

TITULUS XXVIII.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM

I. Utraque sacerdotum potestas, scilicet in reale, ac mysticum Christi Corpus, non levem, et qualemcunque virtutum exercitationem requirere censenda est, sed adcuratam, et perfectissimam. Sancta enim sancte tractanda sunt, nec illotis manibus, ut scribit Nazianzenus, profanisque animis sanctissima mysteria attingere unquam licuit, tum quoque, nisi clerici omnigenam virtutem vita sua exprimant, vix sperandum est plebem ad mediocre virtutis studium excitatum iri. Non abs re igitur erit hic paucis veluti digito praecipuas leges indicare, ad quas, tanquam ad normam, clericis suae vitae mores sunt exigendi.

II. Ac primo eximia puritate animi, ac corporis clerici praefulgere debent. Qui enim clericus in officio perstringendi aliorum vitia libere, utiliterque versabitur, nisi se talem praestiterit, ut a nemine reprehendi possit? (2).

2. Omnis criminis, vel pravitatis suspicio clericis vitanda: namque observante Chrysostomo (3) homines laici ad conquirendum de clericis, et ad inferendas adversus ipsos contumelias, et incusationes mirum quantum propendent. Ergo omnes illae actiones clericis vitandae sunt, quarum dubia sit, et suspecta natura. Quamobrem synodus nicaena universis omnino clericis vetuit *συνεισακτον ἔχειν subintroductam habere mulierem*, praeterquam utique matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas, quae omnem suspicionem exceduut.

3. Clericis parce, et frugaliter vivendum, quo aliorum inopiae subvenire possint. Namque immoderati sumptus semper in Ecclesia habiti sunt tanquam iniqua iurium, ac redditnum pauperibus destinatorum usurpatio. Veterum Episcoporum parcissimam edendi, potandique tenuitatem, adhaec et vilitatem indumentorum ipsi etiam gentiles sunt admirati (4).

4. In quotidianum Ecclesiae ministerium ea gravitate, animi submissione, ac pietatis ardore clericis est incumbendum, ut illud et divinae maiestati probetur, et fideles religiosa quadam in Deum pietate afficere possit. Meminisse enim eos oportet se et populi ad Deum oratores, et Dei ad populum legatos agere. Ad rem Chrysostomus (5): *eum, qui pro civitate tota, quid dico civitate? immo vero pro universo terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorque est apud Deum, ut hominum omnium peccatis propitius fiat, qualem quaeso esse oportet?*

(1) Cap. 1. de officio Vicarii in VI. — (2) Orat. 1. apolog. de fuga.
(3) Chrysost. de Sacerd. Lib. V. cap. 3. — (4) Ibid. lib. VI. cap. 9. — (5) Ammianus Marcell. Lib. XXVII. — (6) Ibid. lib. VI. cap. 4.

5. In privatis congressibus, et colloquiis clericos doctrinam, prudentiam, et fidelitatem praeseferre oportet, ut ab hominum, quibuscum colloquuntur, animis vel ignorantiae caliginem dispellant, vel errores avertant, vel vitia removeant. Neque enim ad voluptatem, sed ad utilitatem aequum est clericos cum laicis conversari. Hac ratione Augustinum innumeros aeque hereticos ad veritatem, ac scelestos homines ad meliorem frugem reduxisse testis est Possidius in *eius vita cap. IX*.

6. Clericis forti, et imperterrito animo christianae veritatis defensio est suscipienda. Neque enim hac in re lenitas, ac facilitas, sed fortitudo, ac poene ferocia adhibenda est. *Tametsi* inquit Nazianzenus (1) *alioqui pacati, ac moderati sint Antistites, hac tamen in re lenes, et faciles esse non sustinent, quum per silentium, et quietem Dei caussa proditur, verum hic admodum bellaces sunt, atque in corrigendo acres, et feroces.* Huiusmodi fortis, et imperterriti animi exempla plura, eademque admirabilia in veteri ecclesiastica historia occurrunt.

III. Porro ex altera parte plura clericis vitanda sunt. Ac 1. lusus alearum, scilicet ludi omnes, qui ab ancipiti pendent fortunae eventu, tot enim, tanta, tamque perniciosa mala huiusmodi ludos comitari solent, ut licet innocuae recreationis ergo licite exerceri possent, habeantur nihilominus tanquam prorsus inutiles, et omnino vetiti. Quinimmo etiam laicis sub poena segregationis a communione Ecclesiae aliquando fuerunt interdicti (2).

2. Ab ebrietate clericis prorsus abstinendum. Qui enim animum in divinis rebus contemplandis occupatum habebunt clerici ebriosi? Ex canonibus sic dictis apostolicis XLI sic decernit: *Episcopus, presbyter, vel diaconus aleis, et ebrietatibus vacans, vel cesset, vel deponatur.*

3. Omne turpe lucrum, ac praesertim iniusta usurarum acceptio clericis omnino vitanda. Plures ecclesiasticae leges adversus istiusmodi crimen sancitae occurrunt, satis hic sit canonem nicaenum XVII. producere, qui in hunc modum se habet: *quoniam multi, qui in canone recensentur, plura habendi studium, et turpe lucrum persequentes divinae scripturae obliti sunt, quae dicit* argentum suum non dedit ad usuram, *et foenerantes centesima exigunt: aequum censuit magna, et sancta synodus, ut si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras ex mutuo sumere, vel eam rem aliter persequi, vel sesquplas exigere, vel aliquid aliud excogitare turpis quaestus gratia, a clero deponatur, et sit alienus a canone.*

4. Saecularia quoque negotia, et mercaturam clerici devitent, tum quod tempus divino ministerio impendere debeant, tum quod turpem quaestum, et avaritiam plerumque comites habeat negotiatio (3): *si quis clericus turpis lucri gratia aliquod genus negotiationis exercuerit, depositus a communione alienus fiat.*

5. Porro non illicita duntaxat negotiatio, sed omnis saecularis cura, quae ipsos a divino ministerio abstrahere posset, clericis interdicta. *Canon apostolicus VII.* in hanc rem sic habet: *Episcopus, vel presbyter vel diaconus saeculares curas non suscipiat, alioquin deponatur.* Atque hinc clerici prohibentur 1. militiam profiteri (4) 2, publicis administratio-

(1) Orat. XXI. — (2) Conc. illib. can. LXXIX. — (3) Conc. arelat. 1. can. XIV. — (4) Can. apost. LXXXII.

nibus sese immiscere (1). 3. testamenti executionem suscipere, vel tutoris, aut curatoris officio defungi (2). Demum 4. et procuratorem ad laicum tribunal agere, praeterquam suo, suorum, vel Ecclesiae, aut pauperum nomine (3), Alexander III. in concilio lateranensi III. *cap.* 12.

De clericorum studiis

IV. Clericorum studia quod spectat, profecto continui in clerico laboris, et studiorum necessitatem ex pluribus, iisdemque gravibus ipsi demandatis muneribus diserte evincit Chrysostomus (4). Profecto Apostolus Timotheum admonet (5): *intentus esto lectioni, exhortationi, doctrinae. Haec meditare, in his esto.* Et sane aptas animarum morbis curationes adhibere, cum Ecclesiae hostibus, ubi opus fuerit, congredi, proficuas conciones, et catecheses habere, fidelibus vitae sanctae instituendae consilia tradere, Sacramenta ea, qua par est, sanctitate administrare: profecto haec, aliaque id genus sacerdotum munia evidenter ostendunt clericis in sacra studia sedulo incumbendum. Recte Hieronymus (6) in consummato Sacerdote et scientiam, et sanctitatem requirit, ut ad explendas diversas functionis suae partes evadat idoneus. Porro sacrarum litterarum codex praecipue clericis nocturna diurnaque manu versandus est. Ab Ambrosio (7) *liber sacerdotalis αυτωνομαςικως* adpellatur: et Hieronymus negat esse Domini sacerdotem, qui Dei legem ignoret. Qui sine piaculo omiserim aurea Chrysostomi verba ibidem? *Hoc*, sacra Scriptura, *instrumentum est, hoc cibus, hoc aeris temperamentum optimum, hoc medicamenti instar, hoc ignis loco, hoc ferri vice, ac si vel urere, vel secare opus, hoc ipso uti necesse est; atque hoc si nihil profuerit, reliqua omnia evanida pereant oportet.* Atque hinc antiquissima illa conciliorum canonibus, sanctisque viris probata consuetudo mensas sacrarum Scripturarum lectione condire, atque utilibus institutis sermonibus convictores oblectare.

V. Post sacram Scripturam tum in conciliorum canonibus addiscendis, tum in veterum Ecclesiae Patrum operibus pervolutandis clericis plurimum temporis, et operae est impendendum. Celebre est illud Coelestini Papae (8): *nulli Sacerdotum liceat sacros canones ignorare.* Et concilium toletanum IV (9), in sacerdotibus aeque sacrarum Scripturarum, ac canonum scientiam requirit, *ut possint cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina erudire.* Demum s. Hieronymus Nepotianum amicum suum eo nomine laudat, quod post Scripturas plurimum optimis ecclesiasticis auctoribus vacaverit, eorumque adsidua lectione, et meditatione tantum profecerit, ut quavis occasione eorum verba recitare potuerit: *illud*, inquiens, *Tertulliani, istud Cypriani, ac Lactantii, illud Hilarii est. Sic Minucius Felix, ita Victorinus, in hunc modum est locutus Arnobius.* His accedit quod alibi notavimus, videlicet in sacris Scripturis explicandis

(1) Canon apostol. LXXXI. — (2) Iustin. nov. CXXIII. cap. 5. — (3) Const. apostol. lib. II. cap. 6. — (4) Ibid. lib. IV. cap. 3. — (5) Epist. I. 4.
(6) Epist. II. ad Nepot. — (7) Lib. III. de Fide cap. 7. — (8) Epist. III. cap. 1.
(9) Can. XXV.

ab concordi veterum Patrum interpretandi ratione ne latum quidem unguem discedere fas esse.

VI. Illud hic opportune quaeri posset, num librorum gentilium, et haereticorum lectio fuerit clericis antiquitus permissa? Ac primo libros haereticorum quod spectat, nonnisi pro necessitate, et tempore eorum lectio Episcopis permissa (1). Quod vero gentilium libros attinet, illud quorundam clericorum institutum semper in Ecclesia damnatum est, qui neglectis Scripturis, aliisque utilioribus libris, vel delectationis tantum causa illos legerent, vel ut linguam suam politiori, atque elegantiori dialecto adsuefacerent, quod simplex sacrae Scripturae stylus ipsis non adrideret; nec decrant ex clericis, qui, ut artem sophisticam ad imponendum imperitioribus addiscerent, suum tempus generatim in ethnicis scriptoribus perlegendis insumebant. Profecto his de caussis instituta auctorum gentilium lectio semper in Ecclesia, et quidem iure optimo prohibita. Ceterum ubi de confirmanda doctrinae christianae veritate, vel de gentilium detegendis, confutandisque erroribus ageretur, profanos auctores legere nunquam non permissum, quinimmo et aliquando summopere commendatum. Quis enim inficiatur plerosque veterum Patrum in gentilium eruditione multum fuisse versatos, ac eorundem lectionem plurimum ipsis profuisse, tum ex una parte ad sacras Scripturas felicius, et facilius interpretandas, tum ex altera ad hostium fidei detegendas, profligandasque fallacias? Profecto divinas Scripturas, antiquosque canones vix, aut ne vix quidem interpretabitur, qui linguas originales, veterem historiam, chronologiam, geographiam, criticam, artemque oratoriam non calleat. His praesidiis destituti non fuere veterum Patrum illustriores Origines, Hieronymus, Augustinus etc.

VII. Postremo de iure civili, ac de medicina pauca hic supersunt observanda. Ac primo veteres quidem clericos ab hisce studiis fuisse alienos, patet ex Ambrosio (2), Hieronymo (3), aliisque. At contra secutis temporibus adeo toti profanis hisce scientiis sese dederunt, ut sacrarum litterarum, canonumque studia omnino neglecta viderentur, uti graviter conqueritur s. Petrus Damiani (4). Illud vero summopere mirandum, monachos etiam, licet alioquin ex proprio instituto solitudine adstrictos, profanis hisce studiis, praesertim medicinae, adeo vacasse, ut celebriores medici essent medici Cassinenses. Porro Honorius III. monachos exeuntes ad audiendas leges, vel physicam, sive medicinam sub poena excommunicationis iubet ad claustra quamcitius redire (5). Hac prohibitione, quam antea etiam in synodo turonensi Alexander III. ediderat, ad theologiae studium ampliandum clericos quoque in dignitate constitutos adstringi idem Honorius *ibid.* praecepit. Ceterum quod in Ius Canonicum novum plura ex iure civili irrepserint, hinc factum est, ut nisi utriusque studium coniungatur, fere nullum in Iure Canonico quis fecerit progressum. Igitur tamdiu in ius Civile incumbendum, quamdiu Iuri Canonico novo recte intelligendo satis erit. Damnanda prorsus clericorum quorundam conditio, qui neglectis ecclesiasticis studiis, iuri civili, forensibusque negotiis ad turpe lucrum quaeren-

(1) Conc. chartag. IV. can. XVI.
(2) Lib. I. de Abraham. — (3) Epist. ad Occan. — (4) Lib. I. epist. XV. — (5) Cap. X. ne clerici, vel monachi.

dum unice dant operam. Meminerint istiusmodi clerici ordinatione sese ultro divino ministerio, ac proximorum saluti procurandae unice addixisse.

De civilibus clericorum vestibus.

VIII. De externo clericorum habitu liceat hic pauca subnectere. Profecto hac in re clericis mediocritas numquam praescripta non fuit scilicet, ut nec nimis eleganti, et invidioso, nec neglecto nimis, et sordido vestitu uterentur. Hieronymus Nepotianum suum sic admonebat (1): *vestes pullas aeque devita, ac candidas. Ornatus, et sordes pari modo fugiendae sunt; quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Et sane quinque prioribus Ecclesiae saeculis civiles clericorum vestes a communibus laicorum, licet forma non distinguerentur, bene vero modestia, et simplicitate eas inter se discrepare oportebat. Hinc synodus carthaginensis IV. praecepit, ut clerici professionem suam in habitu, et incessu probent, nec vestibus, et calceamentis decorem quaerant (2).

IX. Iam vero per quinque priora Ecclesiae saecula nullam fuisse distinctionem clericalium vestium civilium a laicalibus multa suadent. 1. Saevientibus tempore persecutionum contra Ecclesiam tyrannis, si clerici distinctas a laicis gestassent vestes, ultro sese persecutoribus obiecissent. Quum illi igitur declinare, quoad possent, procellam studerent, ac sese populo pascendo servare, communibus ceterorum vestibus utebantur. Atque hinc Origenes (3) de Heracla presbytero alexandrino scribens: *idcirco*, inquit, *quum vulgari veste antea usus fuisset, ea deposita, philosophicum induit habitum, quem etiam nunc retinet.* Porro philosophicus habitus hominum etiam laicorum, qui sapientes se demonstrare adfectabant, proprius erat.

2. Auctor *de ecclesiastica hierarchia* sub nomine Dionysii monachorum habitum, tonsuramque describens, nullum verbum habet de vestibus clericorum (4). Synodus quoque carthaginensis IV. quum nihil eorum omitteret, quae ad officia clericorum pertinerent, quod ad vestes solam mandet clericis modestiam, ut modo indicavimus.

Idem 3. evincitur ex epistola Coelestini Papae (5). In ea Clericos, qui pallio, et cingulo uti coeperant, relictis tunica, et toga, qui communis erat et ipsis, et laicis habitus, sic reprehendit: *didicimus quosdam Domini Sacerdotes superstitioso potius cultui inservire, quam mentis, vel Fidei puritati. Amicti pallio, et lumbis praecincti, credunt se Scripturae fidem, non per spiritum, sed per litteram completuros .. discernendi a plebe, vel caeteris sumus doctrina, non veste, mentis puritate, non cultu... Non est imponendum oculis, sed mentibus infundenda praecepta.*

X. Occurrunt quidem haud raro in antiquis ecclesiasticis monumentis vestes sic dictae: *tunica, sive dalmatica, lacerna, sive birrum, linea, hemiphorium, colobium etc.*, et quidem tanquam indumenta a clericis ad-

(1) Epist. II. ad Nepot. — (2) Can. XLV.
(3) Apud Eusebium lib. VI. cap. 19. — (4) Cap. VI. — (5) Epist. ad Episcop. narbon; et vienn. prov.

hibita : verum uti recte observat Thomassinus (1), hac communes erant clericorum, et laicorum vestes, quibus etiam ethnici utebantur. Tantummodo Constantinopoli, ut ex Socrate colligimus, quarto exeunte saeculo mos viguisse videtur, uti clerici atra veste uterentur (2). Fortasse ut a clericis novatianis distinguerentur, qui albis vestibus induti incedebant.

XI. At nemo inficiabitur iam inde ab VI. saeculo coepisse clericos etiam in exteriori corporis cultu a laicis distingui. Id quod perquam manifestum est: 1. ex S. Gregorio Turonensi qui eam vestium distinctionem sua aetate iam inductam indicat : *Merovechus*, inquit, *tonsuratus est, mutataque veste, qua clericis uti mos est, presbyter ordinatur* (3).

2. Ex S. Gregorio M., qui pluries in suis Epistolis clericos a laicis veste ipsa distinctos repraesentat, ac praecipue (4) : *Paulum*, *ait*, *qui despecto habitu suo ad laicam reversus vitam* etc. Et alibi *dum ad ecclesiasticum habitum veniunt.... dum in ecclesiastico habitu non dissimiliter, quam vixerant, vivunt, nequaquam student saeculum fugere, quam mutare* (5).

3. Ex anctore vitae S. Caesarii arelatensis, qni Caesarium *mutato habitu in clerum fuisse cooptatum* narrat.

4. Ex concilio liptinensi quo sancitur, *ut presbyteri, et diaconi non sagis laicorum more, sed casulis utantur ritu servorum Dei* (6) tum synodus agathensis an 506. (7) vestimenta, et calceamenta, quae religionem decerent, clericos gestare iussit, matisconense I. an. 581. (8) laicas vestes diserte clericis interdicit. Narbonensi demum concilio prohibentur vestimenta purpurea clericorum (9).

XII. Porro huiusce in indumentis clericalibus mutationis ratio ea prorsus fuisse videtur scilicet barbararum gentium irruptio. Quum enim barbari romanum Orbem invasissent, atque usus vestis brevioris pedetentim irreperet, laicis ad barbaros mores deficientibus, clerici romanas vestes, uti etiam sermonem, retinuerunt. Unde in Oriente, ubi serius barbariei calamitas saevire coepit, diutius oblongarum vestium aeque apud clericos, ac apud laicos usus obtinuit. Nonnisi in synodo trullana an. 692. primum eiusmodi vestium distinctionis mentio occurrit. Namque sic decernit in hanc rem *nullus eorum, qui in Cleri catalogum sunt relati, vestem sibi non convenientem induat, neque in civitate degens, neque iter ingrediens. Sed utantur vestibus, quae iis, qui in Clerum relati sunt, adtributae fuere. Si quis autem tale quid fecerit, una septimana segregetur* (10).

XIII. Igitur ab saeculo VI. inducta in Ecclesiam consuetudo est, ut clerici veste forma a laicorum veste distincta uterentur. Verum nunquam destitit Ecclesia clericos admonere, ut neque in distincta hac veste, aut luxum quaererent aut mollitiem adfectarent sive in pannis, sive in colore, sive in fissuris multiplicibus, sed modestiam praeseferrent. Unde concilium lateranense II. sub Innocentio II. decernit (11) *nec in superfluitate,*

(1) Part. I. lib. II. cap. 45. — (2) Lib. VI. cap. 12. — (3) Lib. V. cap. 14. — (4) Lib. II. epist. 24. — (5) Lib. VI. epist. II.
(6) Can. VII. — (7) Can. XX.
(8) Can. V. — (9) Can. I. — (10) Can. XXVII. — (11) Can. III.

scissura, aut colore vestium intuentium offendant aspectum Episcopi, et Clerici. Et synodus melphitana regni neapolitani (1): *scissis vestibus clericos abuti ulterius prohibuit, et nec pomposis exuviis induantur.*

XIV. Qui plura de hoccapite nosse cupit, adeat Thomassinum, qui totus in eo est, ut ostendat vestes clericorum ex synodorum decretis semper oblongas fuisse, sive talares, clausas, nec nimis strictas, neque fimbriatas, aut rugosas, neque demum sericas: coloris vero nunquam purpurei, viridis, albi, aut splendidi, sed quo clerici prae laicis modestiam, animique demissionem praeseferrent (2).

XV. Tum idem Auctor *ibidem* observat ab saeculo XIV. colorem nigrum, vel ad nigrum proxime accedentem factum fuisse vestium clericalium communem. Concilium quidem tridentinum (3) non indixit clericis, nisi parcitatem, et modestiam in veste, fugamque constantem laicorum habitus, et consuetudinis, verum poene omnes, quae post deinceps habitae sunt synodi, tridentinam sanctionem veluti explicantes vestem talarem, sive oblongam, coloremque nigrum praescribunt. Ad rem. I. synodus provincialis neapolitana (4): *pileum nigri sit coloris, vestis itidem superior, ac interior, atque utraque talaris ... pallio, quod vulgo ferraiolum vocant, ut clericali convenit honestati, ad frigoris tantum, pluviaeque iniurias repellendas utantur, vestemque interiorem nunquam deponant... Dum pedibus iter facit, vestibus poterit uti contractioribus, ex quibus tamen clericus facile cognoscatur.* Idem etiam sanxit s. Carolus in suis synodis ac praecipue in I. provinciali (5).

XVI. Ceterum munditia una cum modestia in clericorum vestibus servanda est, et quidem ob rationem a Possidio adductam in vita S. Augustini, ubi ait: *ex moderato, et competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abiecta plurimum, quia ex his plerique vel iactare sese insolenter homines solent, vel abiicere, ex utroque non quae Iesu Christi, sed quae sua sunt, quaerentes.*

De tonsura clericorum

XVII. Tonsuram olim apud ethnicos probro fuisse discimus, tum ex Aristophane, apud quem vulgaris est paraemia: *servus quum sis, comam geris*, quo servorum propriam fuisse tonsuram docemur, tum ex epistola Cypriani ad martyres ad opus metalli damnatos, ubi scribit: *caput semitonsum, detestabilis, et tetra deformitas.* Unde Lucianus in misandropo Iovem irridens: *egregius,* inquit, *gigantum exterminator sedebas, quum tibi caesaries ab illis circumtonderetur:* id pro genere quodam sannae usurpans. Itaque tonsura apud germanos, francosque, immo et apud romanorum imperatores regni spem praecidebat, regnandique incapaces faciebat. Hinc monachorum plerique humilitatis studio, ut aliis sese despicabiles praeberent, caput tondere, et radere consueverunt, de quibus S. Paullinus (6): *casta informitate capillum ad cutem caesi, et inaequaliter semitonsi, et destituta fronte praerasi, et damnabiliter despicabiles.*

(1) Can. XIII. — (2) Part. I. lib. II. cap. 47., et seq. — (3) Sess. XXIV. de ref. cap. 12. — (4) Cap. XXII. — (5) Cap. XVII; et XXIII: et II. cap. 31. apud Thomassinum ibidem — (6) Epist. IV; et VII.

XVIII. Ex hoc monachorum usu emersisse VI. saeculo tonsuram clericorum docet Thomassinus,clericos nimirum monasticae perfectionis aemulatores ab illis eam humilitatis speciem arripuisse (1). Et sane per quinque priora Ecclesiae saecula praeter capilli brevioris modestiam nullam aliam a clericis usurpatam tonsuram plura suadent.

1. Optatus crimini vertit Donatistis, quod Episcopis, presbyterisque catholicis, qui in eorum manus incidissent, capita raderent: *dicite ubi vobis mandatum sit radere capita sacerdotibus, quum a contrario tot sint exempla proposita fieri non debere* (2). Qui ita locutus fuisset Optatus, si tunc, clerici tonsuram gestassent?

2. Hieronymus detestans capitis tonsuram, tanquam propriam Sacerdotum Isidis, et cultorum Serapidis, modum capillorum clericos decentem ita describit: *perspicue demonstratur, nec rasis capitibus, sicut sacerdotes, cultoresque Isidis, atque Serapidis nos esse debere, nec rursum comam demittere, quod proprie luxuriosorum est, barbarorumque, et militantium, sed ut honestus habitus sacerdotum facie demonstretur, nec calvitium novacula esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur, sed in tantum capillos demittendos, ut operta sit cutis* (3). At quid hic clericis peculiare, quod laicis etiam fidelibus non inculcatum?

3. Demùm veteres sancti christiani Episcopi in historiis, quas de ipsis proprias, et peculiares habemus, non aliter exhibentur, quam habitu, et capillo ad modestiam magis composito. Unde prudentius de S. Cypriano ad Deum converso scribit: *namque figura alia est, quam quae fuit, oris, et nitoris. Deflua caesaries compescitur ad breves capillos* (4).

XIX. Porro per illud temporis licet clerici nulla peculiari tonsura a laicis distinguerentur, semper tamen ipsis praescripta in capillitio modestia, vetitum comam nutrire. Hoc indicant tum modo producta veterum testimonia, ac praecipue Hieronymi, tum etiam concilii carthaginensis IV. can. XLIV: *clericus, nec comam nutriat, nec barbam radat.* Atqui ad hanc in capillitio modestiam omnes promiscue fideles hortatur apostolus (5): *vir quidem, si comam nutriat, ignominia est ei,* tum constitutiones sic dictae apostolicae fidelem admonent, *ut sit non capillum nutriens, nec pexus, nec comatus* (6). Adhaec Apostolus ipse *mulieres* iubet *cum verecundia, et sobrietate ornare se, et non in tortis crinibus* (7).Quibus verbis modestum quidem ornatum mulieribus, ut viris suis placeant, permittit Apostolus; at nimis quaesita ornamenta, ac inane verticis artificium devitare monet. Id quod quum in foeminis improbet Apostolus, quonam, quaeso, animi ardore, vehementique zelo id in clericis reprehendisset?

XX. Iam vero praeter modestam capillorum brevitatem, corona etiam clericalis invaluit, qua deraso vertice clerici insigniuntur. Huius originem quod spectat, Hallerius tres describit tonsurae species, scilicet clericorum, monachorum, et poenitentium (8) atque hos christianorum ordines

(1) Part. I. lib. II. cap. 34. — (2) Lib. II. contra Parmen. — (3) Lib. XIII. in Ezech. cap. 44.
(4) De coronis hymn. 12. — (5) Epist. I. ad Cor. II. 4. — (6) Lib. 1. cap. 3. — (7) Epist. 1. ad Timoth. 11. 9. — (8) Lib. III. eccles. hierarch sect. III. art. 3.

tonderi iussos ab Ecclesia docet. Et sane concilium toletanum III. praecipit, ut publice poenitentibus Episcopus, vel presbyter caput tondeat (1). Tonsura enim habitus luctus erat, uti sacrae Scripturae, historiaeque testantur. Monachus vero, quia plangentis habet officium, uti supra ex Paullino monuimus, castam tonsurae informitatem retinet. Tum ex Socrate Iulianus apostata ad cutem abrasus monachum simulavit (2). Illud autem discrimen statuit inter tonsuram clericorum, et tonsuram monachorum, et poenitentium, quod clerici in modum coronae in signum dignitatis, illi vero abrasa cute in signum luctus tonderentur, eamque differentiam etiam nunc retineri docet, quippe qui inter monachos clerici sunt coronam gestant, qui vero laici toto capite tondentur.

XXI. Igitur VI. ineunte saeculo coronae clericalis usus primum in Ecclesiam invectus videtur. Isidorus enim hispalensis (3), et Gregorius turonensis (4) sua ipsorum aetate coronam clericalem iam in Ecclesiam inductam produnt. Atque adeo synodus toletana IV.an. 633 (5) tonsurae praeceptum simul, et formam complectitur: *omnes clerici detonso superius capite toto, inferius solam circuilem coronam relinquant.* Ea tam subinde paullatim ita contracta est, ut concilium coloniense an. 1260 *can. IV.* summum verticem radi iubeat, quam vocat *coronam*. Concilium rothomagense an. 1072. *can. XI.* anathema eiaculatur in clericos coronam gestare detrectantes. Patentem esse debere sanxit synodus londinensis anno 1102. can. XII. *clerici patentes coronas habeant.* Eius magnitudinem quatuor digitorum in diametro designavit concilium palentinum an. 1388. *can. III.* Ut secundum uniuscuiusque ordinem gestaretur mandavit senonense ann. 1528. *can. XXIV.* Postremo magnitudinem pro singulis ordinibus definivit mediolanense V. an. 1579. Etenim *can. IV.* edixit, ut corona presbyterorum quatuor haberet pollices in diametro, tres diaconorum, a quibus non multum recederent subdiaconi, duos vero corona minorum Ordinum.

XXII. Coronae clericalis significationes multae sunt: nam 1, ex humilitatis professione, unde ortum habuit, retinenda a clericis est: quo intuitu imitationem opprobriorum Christi significat. 2, regiam sacerdotis dignitatem indicat ex Isidoro hispalensi (6). 3, temporalium curarum vacuitatem ex eodem Isidoro *ibidem*. 4. Demum ex s. Thoma ob circularem figuram omnium perfectissimam clericorum vitae, sanctimoniaeque perfectionem.

TITULUS XXIX.

DE COELIBATU CLERICORUM

I. Opportuna hic sese offert occasio pauca, veluti appendicis loco, de clericorum coelibatu subnectendi. Qua in re illud primo constat, Sacerdotibus christianis convenire quam quod maxime, ut coelibatum, vel saltem

(1) Can. XII. — (2) Lib. III. cap. I. — (3) De offic. eccles. lib. II. cap. 4. — (4) De gloria martyrum lib. 1. cap. 28. — (5) Can. LXI.
(6) Lib. II. de offic. eccl. cap. 4.

continentiam profiteantur. Purissima namque hostia, quam suis manibus quotidie offerunt, atque adeo participant, aliisque participandam tradunt, eiusmodi vitae institutum omnino requirere videtur. Ad rem Origenes (1): *videtur mihi, quod illius est solius offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti, et perpetuae se devoverit castitati.*

II. Tum Apostoli sacerdotio vel virginitatem coniunxerunt, vel perpetuae castitatis professionem. Filius namque Dei, qui οὐσιωδῶς *substantialiter* puritas est, quique de Virgine matre nasci voluit, Apostolos suos, atque eorundem successores puritatis suae certo quodam modo voluit esse consortes, atque hinc Hieronymus apologia contra Iovinianum: *Christus virgo, virgo Maria, utriusque sexus virginitatem dedicavere. Apostoli, vel virgines, vel post nuptias continentes. . . .adsumpti in apostolatum reliquerunt officium coniugale.* Profecto sacerdotalis ordinationis σφραγὶς *character* potiori, quam apostolatus, iure puritatis candorem requirit.

III. Quamobrem primis sacculis, licet clericis continentiae lex indicta non fuerit, consuetudine tamen, moribusque iam obtinebat, ut ad sacros promoti ordines, ab ipsis, quas legitimo antea sibi matrimonio uxores coniunxerant, abstinerent. Id patet tum ex nuper indicata Origenis auctoritate, tum ex Hieronymus lib. adversus Vigilium:*quid facient*, inquit, *Orientis Ecclesiae? quid aegypti, et Sedis Apostolicae, quae aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistant:* tum denique vel maxime ex Eusebio (2), ubi tanquam de disciplina universe iamdiu servata loquitur, qua scilicet Episcopi, et presbyteri, ut melioribus studiis vacarent liberius, seiunctum a re uxoria victum adamabant, quippe qui divina, et incorporea sobole procreanda occupati tenerentur. Igitur moribus antiquissimis, atque adeo etiam apostolicis disciplina in Ecclesiam inducta primis saeculis viguit, ut Episcopi, presbyteri, et diaconi perpetuam servarent continentiam.

IV. Quod vero per illud temporis Sacerdotes continentiae fibula nullo apostolico, vel ecclesiastico praecepto fuerint obstricti pluribus constat.

1. Ex eo, quod huiusce legis nulla mentio occurrat in canonibus veterum conciliorum.

2 Quinimmo antiquae synodi haud semel occasionem habuere huiusce legis indicandae, quod nunquam praestitere. Sic concilium nicaenum *can. III.*, quo decernit non licere his, qui in clero sunt,συνεισάκτους *subintroductas* habere mulieres, gangrense *can. IV.* ubi illos damnat, qui docent abstinendum ab oblatione presbyteri coniugati, neocaesareense *can. I.*, quo depositionis poena in presbyteros, qui uxores acceperint, animadvertendum sancitur. Tum *can. VIII.* eo duntaxat casu clericos iubet suas dimittere uxores, scilicet ubi adulteratae fuerint, ceterum cum his cohabitare non prohibet. Atque adeo concilium ancyranum *can. X.* diaconis etiam post ordinationem uxores accipere permittit, *ubi in ipsa ordinatione testati sunt, et dixerunt, oportere se uxores ducere, quum non possint sic manere.* Profecto concilia haec, aliaque per ea tempora celebrata in his, similibusque decretis, qui unquam apostolici, vel ecclesiastici de coelibatu praecepti non meminissent, si quod unquam fuisse nossent?

(1) Hom. XXIII. in Num. — (2) Demonst. evangel. lib. I. cap. 9.

3. Pyuito gnossiorum in Creta Episcopo saeculo II. Dionysius corinth. auctor fuit, ne continentiae legem fratribus suis imponeret, ad quod ille propendebat, rationem adiungens, scilicet *ne grave onus castitatis, tanquam necessarium imponeret, sed eius, quae in plerisque hominibus insit, infirmitatis rationem haberet* (1).

4. Tum in nicaena synodo proponentibus quibusdam Episcopis canonem condere, quo clerici maiores vetarentur cum uxoribus, quas ante ordinationem legitime sibi consociaverint, coniugale commercium habere, Paphnutius Episcopus aegyptius, vir non coniugii modo, verum et cuiuslibet muliebris congressus omnino expers, illi propositioni *vehementer est vociferatus. Non grave hoc iugum clericis, et sacerdotibus esse imponendum . . . neque enim omnes ferre posse tam districtam continentiae disciplinam... congressum viri cum uxore legitima castitatem esse adserens: ut qui in Clerum fuissent adscripti, iuxta veterem Ecclesiae traditionem iam non amplius uxores duceret.*

5. Denique Socrates ipse (2) narrat quidem in Thessalia auctore Heliodoro Tricae Episcopo depositionis poenam fuisse sancitam adversus clericos,*qui dormierint cum uxore, quam ante clericatum legitimo matrimonio sibi copulaverant* (3). At statim subnectit: *cum in Oriente cuncti sua sponte etiam Episcopi ab uxoribus suis abstineant, nulla tamen lege, aut necessitate obstricti id faciant.*

V. Porro ex dictis plura colligere est. Primum: clericos primis illis saeculis non modo cum uxoribus cohabitasse, verum et rei uxoriae aliquando vacasse. Quid enim unquam, quam a sobole procreanda abstinentiam praecipere, *grave onus castitatis*, aut *districta continentiae disciplina* dici quiverit? Tum vetus ecclesiastica historia exempla praebet Episcoporum, et presbyterorum qui in Episcopatu et presbyteratu filios genuerunt, quod ipsis crimini imputatum non est. Id ex Socrate loco modo indicato constat, ubi statim subnectit: *multi enim illorum, episcopatus etiam sui tempore, liberos ex legitimo coniugio susceperunt*, et speciatim de Cheremone urbis Nili Episcopo narrat Eusebius (4), de Numidico, presbytero carthaginensi, Cyprianus (5) de Caecillo presbytero etiam carthaginensi, Ponticus *in vita Cypriani*, de Novato ipsemet Cyprianus (6), et de aliis alii.

VI. Alterum: eiusmodi disciplinam non fuisse in Ecclesia generalem, sed plures etiam per illud temporis fuisse particulares Ecclesias, in quibus lex continentiae iam clericis imposita fuerat, uti de Thessalia ex Socrate modo observavimus, qui *ibidem* testatur id iuris per Thessalonicam, Macedoniam, et Achaiam obtinuisse:et ex eo quoque evincitur,quod in synodo nicaena plures Episcopi de imponenda lege continentiae iam consenserant, licet sua cuique libertas relicta fuerit.

VII. Tertium: maioribus clericis post Ordinationem nuptias contrahere semper fuisse vetitum. Et quidem 1. id *veterem Ecclesiae traditionem* concilio nicaeno adpellavit Paphnutius 2: synodus neocaesareensis, uti supra vidimus, depositionis poena multandum sanxit presbyterum, qui coniu-

(1) Euseb. lib IV. cap. 23.
(2) Socrates lib. I. cap. II. Sozomenus lib. I. cap. 23. — (3) Lib. V. cap. 22.
(4) Lib. VI. cap. 41. — (5) Epist. XXXV. — (6) Epist. XLIX.

gium adtendaret 3 : canon ex sic dictis apostolicis *XXVII*, cantoribus duntaxat, et lectoribus uxores accipere permittit 4 : vix diaconos excipit supra productus canon ancyrauus, qui tamen in ipsa Ordinatione protestati fuerint, *oportere se uxores ducere, quum non possint sic manere.* Qua in re rigidior fuisse videtur latinae Ecclesiae disciplina, ubi neque Episcopi indulgentia poterant diaconi nuptias contrahere.

VIII. Porro in Occidente iam inde ab IV. incunte saeculo lex continentiae imponi coepit. Patres illiberitani in totum Episcopos, presbyteros, et diaconos, et omnes clericos positos in ministerio continentiae fibula ob strictos voluere (1). Tum eodem excunte saeculo Siricius Papa (2) presbyteris, et diaconis praecipit, ut ab uxoribus pridem ductis continerent: id quod postea Innocentius I. (3), Leo M. (4), aliique deinceps Pontifices confirmarunt, tum et concilia, uti *carthaginensia II., III.* et *V. toletanum I., taurinense, turonense, arausicanum* etc. Videsis Thomassinum (5), quibus decretis potius antiquissima Ecclesiae occidentalis disciplina confirmata est, quam nova sanctio evulgata.

IX. Verum non aeque feliciter res processit in Oriente. Etenim sensim adeo ab primaevae disciplinae candore recesserant clerici orientales, ut satius videretur temperanda, quam ad pristinam puritatem reducenda. Epiphanius de nonnullorum hac in re iguavia graviter conqueritur, subnectens, vix in Ecclesiis, ubi ecclesiastici canones adcurate custodiuntur, primigenium illud institutum superesse (6). Socrates, uti supra monuimus, de sua aetate testatur, multos presbyteros, atque adeo Episcopos in ipso presbyteratu, et episcopatu filios genuisse. Nimia, ac prava agapetarum familiaritas in caussa fuisse videtur, cur vetus hac in re disciplina laxaretur, et corrumperetur. Porro tanta, tamque gravis corruptela sic temperata est, scilicet, ut relicta presbyteris, et diaconis potestate suis legitimis utendi uxoribus, duntaxat ad episcopatum ii solummodo clerici promoverentur, qui neque filios, neque nepotes, neque uxorem haberent, aut illi saltem non cohaererent (7). Quae disciplina in synodo trullana firmata ad haec usque tempora apud graecos perseverat (8). Illud praeterea ex veteri disciplina in synodo trullana sancitum est, nimirum, ut quo tempore clerici aeque superiores, ac inferiores sacra contrectarent, ab uxoribus abstinerent.

X. Inferiores ordines quod spectat, in quibusdam orientalibus Ecclesiis quarto saeculo hypodiaconis, quod iam ad proxime ministrandum altari, et ad vasa sacra contrectanda admitti coepissent, lex continentiae indicta est (9). Idem videtur praescriptum in Hispania a Patribus illiberitanis: continentiam enim iniungunt non modo Episcopis, presbyteris, et diaconibus, verum *et omnibus clericis positis in ministerio.* Eadem erat quoque disciplina Ecclesiae Romanae tempore Leonis M. (10) Peculiaris quidam mos

(1) Can. XXXIII. — (2) Epist. ad Himerium tarracon., cap. 7: et epist. IV ad africanos cap. IX. — (3) Epist. II. ad Victricium rothomag. — (4) Epist. VIII. ad Anastas. thessal. — (5) De vet., et nova Ecc. disc. p. I. lib. II. cap. 61. — (6) Haeres. LIX. n. 4.

(7) Iustinianus Nov. VI. cap. I., et II. — (8) Syn. trull. can. XII. et seqq.—(9) Epiphanius heres. 541 et conc. chalced. can. XIV. —(10) Epist. 84. Leon. M. ad Anastasium thessalon.

vigebat in Africa, ubi lectores ad annos pubertatis venientes cogebantur aut uxorem ducere, aut continentiam profiteri (1). Verum secutis temporibus relicta clericis inferioribus matrimonii contrahendi potestate, soli hypodiaconi legis continentiae fibula obstricti sunt: id quod stabili cauone universali in Ecclesia obtinuit, hodieque obtinet (2).

XI. Igitur, ut paucis rem omnem complectar: lex continentiae primis saeculis in Ecclesia aeque orientali, ac occidentali antiquissimis moribus ab maioribus clericis servata, at nulla apostolica, aut ecclesiastica sanctione id iubente saeculo IV., ac V. aeque synodicis, ac pontificiis decretis disciplina huiusmodi in Occidente firmata. In Oriente quum clerici ab primaevae puritatis disciplina resilirent, tantummodo ad episcopatum nonnisi vel coelibes, vel continentes promoti, idque per canones praecipue trullanos. Denique quod ad ordines inferiores varia primum fuit Ecclesiarum disciplina: at post in Ecclesia latina soli subdiaconi continentiae lege obligati.

XII. Atque ita se res habuit ad saeculum usque IX., et X. quando nimium hac in re laxata disciplina est. Quid vero dicam laxata? satius dixerim, corrupta, quam quod maxime. Iam quidem saeculo VII. tantae tamque gravis corruptelae praeludia praecesserant, at instituta sub Pipino, et Carolo M. communi clericorum vita, disciplina, quae iam collabi incipiebat, reparata est. At post saeculum IX. barbararum gentium irruptio, disciplinae remissio, morum corruptio, ac praecipue synodi provinciales intermissae, redditus ecclesiastici in stipendia militibus tributi, et Episcoporum, clericorumque gravis ignorantia in caussa fuere, cur in vetitum nefas clerici nimium frequenter proruerent. Gravissima, quae ex prava clericorum libidine hac aetate detrimenta Ecclesia passa est, satius erit silentio praeterire, quam in apertum producere. Deus enim visus est veluti repulisse plebem suam; donec tandem medio saeculo XI. misericordia motus excitatus est, tanquam dormiens, et Ecclesiam suam plerumque a mercenariis occupatam, optimis Episcopis, malis ingruentibus coercendis maxime intentis, instaurandam commisit. Hinc ex una parte R. pontificibus, ex altera Episcopis, vel seorsim in suis Ecclesiis, vel in synodis coactis strenue agentibus, eo res devenit, ut tandem Ecclesia lugubres vestes deponere, novasque induere videretur, clericis continentiae iugo iterum se subiicientibus. Porro ad id gradatim deventum est, et quidem primo gravissimis in clericos incontinentes sancitis poenis, uti depositionis, atque etiam degradationis, tum et iactura bonorum (3). Dein poena excommunicationis in eosdem statuta, et eorundem etiam concubinis famulatui ecclesiastico mancipatis. At magis, quam poenae, sanctissimorum Pontificum, ac presbyterorum exempla, et cohortationes, frequentes habitae synodi provinciales, et barbariei pulsa caligine novus litterarum dies per Europam elucens plurimum contulere, ut clerici tandem suae professionis reminiscerentur.

XIII. Igitur iure novo, scilicet post annum Christi millesimum, primum

(1) Conc. chartag. III. can. XIX.
(2) Gregor. M. lib. 1. epist. 42; et lib. III. epist. 5; conc. tolet. VIII. can. VI. conc. aurelian. III. can. II. aliaeque synodi. — (3) Thomass. part. I. lib. II cap. 64.

indicta non maioribus modo, verum et inferioribus clericis lex coelibatus vel saltem continentiae, scilicet ut grassanti incontinentiae frena iniicerentur (1). At deinde veterem duntaxat disciplinam revocari satius visum est: nimirum ut soli maiores clerici;ipsique adeo subdiaconi coelibatus, vel duntaxat continentiae legi subderentur, inferioribus eidem legi subductis (2).

XIV. Porro saeculo XII. plura novae disciplinae capita in Ecclesiam inducta sunt: primum, ut clerici licet minores, si uxores ducant, ab ordine ablegentur, et Ecclesiis suis, sive beneficiis priventur (3): dein et omni clericali privilegio frustrati sunt (4). Demum Honorius III. immunitate quoque ecclesiastica res, et bona illorum non gaudere declaravit (5). Verum hae pontificiae constitutiones non videntur suum sortitae effectum. Haud multo post Bonifacius VIII. canonis, ac fori privilegium clericis coniugatis, qui bigami non sint, vesteque utantur clericali, ac tonsuram gestent, vel reddidit, vel confirmavit. Eandem disciplinam firmarunt, quae post secutae sunt synodi, ac demum tridentina *in clericis coniugatis servetur constitutio Bonifacii VIII., quae incipit*, clerici qui cum unicis, *modo hi clerici alicuius Ecclesiae servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati eidem Ecclesiae serviant, vel ministrent, et clericali habitu, et tonsura utantur: nemini quoad hoc. privilegio, vel consuetudine, etiam immemorabili, suffragante* (6). Iure neapolitano ex concordatorum lege 1741. istiusmodi clerici coniugati tantummodo privilegio fori, et quidem nonnisi ex parte fruuntur. Verum de hoc capite opportunius lib. III.

XV. Alterum: Ordinem sacrum tunc primum saeculo XII. impedimenti dirimentis naturam induisse. Et sane synodus rhemensis an. 1148. prima omnium in hac re ita decrevit: *statuimus, quatenus Episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, regulares canonici, monachi, atque conversi professi, qui sacrum transgredientes propositum, uxores sibi copulare praesumpserint, separentur. Huiusmodi namque copulationem. quam contra ecclesiasticam rationem constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Id ipsum de sanctimonialibus praecipimus.*

XVI. Tertium:uxori publicum perpetuae continentiae votum coram Episcopo esse emittendum, ubi marito det veniam sacros ordines suscipiendi: atque adeo neque defuncto marito istiusmodi uxori licet denuo nubere. Adhaec *si talis fuerit, quae suspicione non careat, voto continentiae celebrato, a saecularium hominum se conversatione removeat, et in loco religioso, ubi Deo serviat, perpetuo commoretur*, ita Alexander III. (7). Huiusce disciplinae iam inde ab saeculo VI. licet vestigia repetere, uti evincitur ex synodo agathensi (8), matiscensis II. (9), ac praecipue ex antissiodorensi (10),qui in hunc modum se habet: *non licet relictae presbyteri, nec relictae diaconi, nec subdiaconi post eius mortem maritum accipere.*

(1) Conc. ticinense an. 1020: bituricense an. 1031: tolosanum an. 1056: Thomas. part. I. lib. II. cap. 65.—(2) Conc. rothomagense an. 1072. can XV. iuliobonense an. 1080. can. IX: melphitanum in nostro regno an. 1089. sub Urbano II. can. XII: claromontanum an. 1095. can. III. rhemense ann. 1148. can. III: videsis Thomassin. ibid.—(3) Cap. I., II., et III. de clericis coniugatis.—(4) Innoc. III. cap. VII., et VIII. eodem. — (5) Ibidem cap. IX. — (6) Sess. XIII. de ref. cap. 6.

(7) Cap. V., et VIII. de conversione coniugatorum. — (8) Can. XVI.—(9) Can. XVI. — (10) Can. XVIII.

TITULUS XXX.

DE IRREGULARITATIBUS

I. Iam inde ab aevo apostolico canones quidam in Ecclesia christiana partim ab ipsis Apostolis, partim deinceps ab ipsamet Ecclesia sanciti adcurate semper servati sunt, ad quos, veluti ad λυδιον λιθον *lydium lapidem*, qui ad clerum promovendi essent, αξιοι *digni* ab αναξιοις *indignis* discernerentur. Qui requisitis conditionibus destituebantur, antiquitus vel alieni a canone, vel απλος *simpliciter* ad clerum promoveri non posse dicebantur. Sic synodus nicaena (1) καθαιρεθησεται τȣ κληρȣ, και αλλοτριος τȣ κανονος εςι : *deiiciatur a clero, et alienus a canone existat.* Et can. IX. τȣτȣς ο κανων ȣ προσιεται : *tales canon, sive regula non recipit.* Et synodus neocaesareensis (2) εις πρεσβυτερον αγεσθαι ȣ δυναται: *in presbyterum evehi non potest.* Porro secutis temporibus *irregulares* dicti sunt, et impedimentum, quo detinentur *irregularitas,* quae vox (cuius primum usus videtur Innocentius III. (3)), licet barbara sit, attamen in graecam sententiam παρα τον κανονα, vel αλλοτριος τȣ κανονος recte quadrat.

II. Antiquitus illa generalis regula ex praescripto apostolico observanda omnino erat, scilicet ut nonnisi spectatissimae probitatis, ac integrae existimationis homines ad Clerum promovendi seligerentur. Et sane nihil magis commendavit Apostolus, quam ut sacris ordinibus non initiarentur, nisi qui criminis cuiuscunque omnino puri, novum hominem, quem in baptismo induerant, nunquam exuerint (4), *sine crimine*, hoc est inculpati, castis, piisque moribus, fama integra, adeout gratiam baptismatis adhuc in anima integram, ac inviolatam inveniat Ordinatio, suaque gratia illam perficiat, et adcumulet. Et quidem 1. Canones sic dicti apostolici diserte praecipiunt (5), ut si *adversus fidelem alicuius actus illicitae actionis accusatio intendatur, et convictus fuerit, ad clerum ne promoveatur.* Eadem habet synodus ancyrana (6).

2. Origenes contra Celsum ecclesiasticum hac de re canonem sic describit: *christiani lapsos in crimen carnis rursus resipiscentes, haud secus ac redivivos, recipiunt.... ea tamen conditione, ut quoniam lapsi sunt, excludantur in posterum ab omnibus dignitatibus, et magistratibus christianis.*

3. Ex S. Augustini epistola L., ubi explicans verba Apostoli: *oportet Episcopum sine crimine esse*, docet, exceptis iis peccatis, sine quibus vita transigi nequit, quodcunque flagitium ab ordinibus repellere: *non ait si quis sine peccato est, hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur, sed ait, si qui sine crimine est.* Eadem prorsus est sententia Iuliani Pomerii (7) Isidori hispalensis (8).

(1) Can. XVII. — (2) Can. XII. (3) In cap. X. de renunciatione. — (4) Epist. II. ad Timoth. I. ad tit. I. — (5) Can. IX., et X.
(6) Can. I., et II. — (7) De vit. contempl. lib. II. cap. 7. — (8) De Eccles. offic. lib. II. cap. 5.

4. Ex Epistola Martini I. Papae ad Amand: *tales*, inquit, *quaerimus ad sacros ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullumque vitae contagium mentes, et corpora praepediat.* Eadem habet S. Gregorius M. haud semel in suis epistolis (1), ubi diserte edicit poenitentiae obnoxio non patere ad ordinationem accessum: *praecipimus, ne unquam ordinationes illicitas facias, nec poenitentiae obnoxium ad sacros ordines permittas accedere.*

5. Demum ex eo, quod Ecclesia nunquam reprobarit, atque adeo admiserit, foveritque universalem poene praxim, qua pueruli, vel offerent seipsos, vel a parentibus Episcopis offerrentur, ut in pietate, ac scientiis instituti, suo ipsorum postea, ubi ad maturiorem pervenissent aetatem, accedente consensu, sacris ordinibus initiarentur. Atque huiusce praxeos illa praecipua ratio erat, nimirum, ut adolescentuli necdum saeculi contagio adflati, primigeniam animi, corporisque innocentiam servantes, clericatum ambirent solo castimoniae, religionis, sanctitatis, et vitae aeternae amore accensi (2).

III. Eodem intuitu ab ordinibus arcebantur I. Clinici, vel apud haereticos baptizati, quorum fides satis probata non habebatur (3). II. Neophyti, quippe qui facile in superbiam efferri possent (4). III. Peregrini, quorum non satis perspecta fides, morumque integritas: Coelestinus (5), Leo M. (6): et synodus illiberitana can. XXIV: *omnes qui peregre fuerint baptizati, eo quod eorum minime sit cognita vita, placuit ad clerum non posse cooptari.* Potiori iure quicunque aliqua nominis macula laborabant *παρα τον κανονα irregulares* habebantur: eiusmodi erant haeretici, apostatae, schismatici, aliique id genus, nisi prudens Ecclesiae *οικονομια dispensatio* in gratiam multitudinis ex haeresi, vel schismate in Ecclesiae sinum redeuntis intercessisset, ut in Catharis decrevit synodus nicaena can. VIII: *de his, qui se nominant* Catharos, *id est, mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam catholicam; placuit sancto, et magno concilio, ut impositionem manuum accipientes, sic in clero permaneant... ubicunque, sive in municipiis, sive in civitatibus, ipsi soli reperti fuerint ordinati, qui inveniuntur in clero, in eodem habitu perseverent.* Eodem pacto in collatione carthaginensi cum Donastis actum est (7).

IV. Quin etiam omnes, qui poenitentiae publicae subiecti fuissent, ab ordine suscipiendo arcebantur ex antiquissimo ecclesiastico canone, scilicet, ut qui canonicam poenitentiam subiissent, in Clero cooptari omnino vetarentur. Unde concilium carthaginense IV. sic decernit (8): *ex poenitentibus, quamvis sit bonus, clericus non ordinaretur. Si per ignorantiam Episcopi factum fuerit, deponatur a Clero, quia se ordinationis tempore non prodidit poenitentem. Si autem sciens Episcopus ordinaverit talem, etiam ab episcopatus sui ordinandi duntaxat potestate privetur.* Idem praescribunt Siricius P. (9), Innocentius I. (10), Gregorius M. pas-

(1) Lib. I. ep. XXV.
(2) Thomass. part. II. lib. I. cap. 23. — (3) Conc. neocaesar. can. XII. Innoc. I. epist. XXII. — (4) Apost. Epist. I. ad Timoth. 3. — (5) Epist. II. ad Episc. narbon. — (6) Epist. LXXXIV. ad Anastasium.
(7) Decretum Marcellini tribuni, et notari ad calcem collat. III. Augustinus serm. DLVIII. — (8) Can. LXVIII. — (9) Epist. I. cap. 14. — (10) Epist. XXII. cap. 3.

sim in suis epistolis concilia arelatense II. *can. XXV.*, toletanum I. *can. II.*, etc: videsis Thomassinum (1).

V. Porro seculis temporibus, licet Ecclesia ab veteris hac in re ecclesiasticae disciplinae severitate recessisset, quum et occultos peccatores exceperit, nec omne publicorum criminum genus irregularem faciat, adhuc tamen irregularitatis *ουσια essentia* in eo est, ut ex certis, determinatisque criminibus, iis etiam per poenitentiam remissis, maneat irregularitas Ordinum susceptionem, eorumque usum impediens.

VI. Igitur irregularitatis nomine veniunt *canonica impedimenta, quae vetant quominus quis ad ordines promoveatur, vel in susceptis ministret*, Cur autem impedimenta dicantur, illud in caussa est, scilicet quod iure novo non contrahantur, nisi in casibus e iure expressis (2).

VII. Antiquitus irregularitas praecipue in crimine, eiusque suspicione locum habebat, adeo ut ille diceretur irregularis, qui non erat sine crimine, atque adeo non irreprehensibilis. Verum postea audiri quoque coepit irregularitas ex defectibus quibusdam tum corporis, tum animae. Duplex igitur iure novo distinguitur irregularitas, altera scilicet ex defectu, et altera ex crimine: utraque varias sub se species complectitur, quarum praecipuas duntaxat hic paucis explicabimus, reservata theologis moralibus longiori hac de re disquisitione.

Irregularitas ex defectu natalium

VIII. Prima igitur irregularitas oritur ex *defectu natalium*. Antiquitus huiusmodi defectus irregularitatem non gignebat, et quaqua ratione illegitimi, si Sacerdotio digni viderentur, ordinibus libenter initiabantur. At secutis temporibus pluribus ex caussis, quas recenset Espenius (3), primum filii presbyterorum, dein et quicumque illegitimi huic irregularitati obnoxii fuerunt, quod quidem antiquius non videtur saeculo IX. quum primi hac in re perlati canones sint (4). Igitur qui huiusmodi contraxit irregularitatem ordinari vetatur, nisi in coenobiis, aut in canoniis religiose probati fuerint conversati, vel dispensationem consequantur, quae in minoribus ordinibus ab Episcopo rite impartietur, alias a summo Pontifice (5). Qua quidem pontificia dispensatione indiget etiam illegitimus monasticam vitam professus, si ad praelaturas suae religionis adsumendus sit.

Irregularitas ex defectu corporis

IX. Irregularitas ex defectu corporis in populo hebraico, utpote carnali, plurimi fiebat (6). Verum eiusmodi leges cum synagoga evanuerunt (7). Igitur legibus ecclesiasticis ii duntaxat corporis defectus irregularem facie-

(1) Part. I. lib. I. cap. 56.

(2) Cap. XVIII. de sentent. excomm. in VI. — (3) Part. II. tit. X. cap. 3. — (4) Can. VIII syn. bituricensis an. 1031 can. VIII: syn. pictaviensis an. 1078: cap. 1. de fil. presbyt: et decretum Urbani II. an. 1095. can. I. dist. 56.

(5) Cap. I. de filiis presbyt. in VI. — (6) Levit. XXI. 18, et 19. — (7) Sozomenus lib. VI. cap. 3: Palladius in hist. lausiaca cap. XII.

bant, ab quibus ad ordinum munia obeunda impotens quis redderetur. Canones vulgo dicti apostolici *LVI.*, et *LVII.* uti quoque irregulares evadebant, qui sponte sua nulla necessitate urgente, membrum sibi indicissent, tanquam suimet homicidae (1). At saeculo V. eadem irregularitas ad quoscuuque defectus extenta est, qui vel insignem deformitatem adferrent, vel scandalum gignerent (2). Ceterum superveniens iam ordinatis debilitas, modo susceptos ordines exercere non impediat, irregularitatem non inducit (3). Ad eiusdem irregularitatis speciem ea referri etiam potest, quam subeunt, dementes, energumeni, et epileptici (4).

Irregularitas ex bigamia

X. Irregularitas ex bigamia anctorem habet Apostolum: *oportet Episcopum esse unius uxoris virum... diaconi sunt unius uxoris viri* (5). Quibus in locis, uti recte observat Estius, dicuntur unius uxoris viri, qui duas uxores non modo simul non habuerint, sed nec etiam successive; quae sane communis est Patrum sententia antiquissima, et universali Ecclesiae consuetudine probata.

XI. Iam vero quid, si quis duas quidem uxores habuerit, at alteram ante baptismum? Graeci sane, qui huiusce irregularitatis rationem ex incontinentia, eiusve suspicione hauriebant, coniugii ante baptismum initi nullam habendam esse rationem censebant. Unde *can. apost. XVI.* praescribit: *qui post baptisma duobus coniugiis fuerit implicitus, vel habuerit concubinam, non potest esse Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel omnino ex numero sacerdotali.* At contra Patres latini ex quodam Sacramenti defectu hanc irregularitatem desumentes, quippe contrahens secundas nuptias *quandam Sacramenti normam amisisse visus sit*, ut loquitur Augustinus (6), ex plurali uxorum numero eam omnino exoriri docuerunt, ita ut quis revera sit bigamus, si duas habuerit uxores, licet alteram ante baptismum susceperit (7). Atque apostolica haec regula adeo invaluit, ut quamvis Apostolus presbyterorum duntaxat, et diaconorum meminerit, eam tamen Ecclesia ad hypodiaconatum, aliosque inferiores ordines deinceps extenderit.

XII. Postremo quum Apostolus nonnisi veros bigamos ab ordinibus arcendus praescripserit, canones tamen duo alia addiderunt bigamiae genera, nimirum *interpretativae*, et *similitudinariae.* Interpretativa est, in qua non re, sed vi ac potestate duplex coniugium consideratur, veluti si quis iteratas invalidas nuptias contrahat (8), vel si quis ducat uxorem alio marito viduatam (9): aut ab alio fornicarie corruptam (10): vel virginem, quae post nuptias alteri prius, quam coniugi suo, se immiscuerit (11). Si-

(1) Can. apost. XXI.
(2) Hilarius, et Gelasius Rom. Pont. can. XII., et can. III. dist. 55. — (3) Ibid. cap. 1. et XIII. — (4) Syn. tolet. XI. can. III: can. II; III; IV. dist. 33.
(5) Epist. I. ad Timoth. 3. — (6) De bono coniugali cap. XVIII. — (7) Innoc. III. in epist. ad Victricium rothomag. cap. V: August. ibid: s. Leo m. epist. 1. cap. 3. et Coelestinus III. in cap. III. de bigamis non ordinandis.
(8) Cap. IV. de bigamis non ordinandis. — (9) Can. VIII. dist. 50.— (10) Can. II. dist. 33. — (11) Can. XI; et XII. dist. 34.

militudinaria est, quum quis sacro decoratus ordine, aut solemni castitatis voto constrictus uxorem ducat, licet virginem, cumque ea rem habeat, quamvis enim irritas nuptias contrahat. ut tamen ea contrahendi libido puniatur, veluti bigamus reputatur (1). Postrema haec bigamiae irregularitas Episcopi dispensatione deletur, ne ordinibus suscipiendis obstet (2). Superiores vero nonnisi Pontificis auctoritate amovetur.

XIII. Bigamia non solum aditum praecludit ad Ordines, sed minores etiam clericos ad laicalem conditionem redigit, ut ne per ipsam quidem uxoris mortem ad clericatum redeant (3). Clerici vero maiores, qui nempe sacros ordines susceperunt, ubi bigamiam contrahant (ut si subdiaconus invalidum cum vidua matrimonium ineat), licet ab omni ecclesiastico ministerio arceantur, clericalia tamen privilegia non amittunt.

XIV. Episcopo non ea adest facultas, ut bigamum sive verus sit, sive interpretativus, ab irregularitate eximat, tum quod ad maiores ordines, tum quod ad inferiores, et beneficia simplicia. Qua de re nova Ecclesiae disciplina rigidior esse videtur in bigamos, quam in criminosos; quod enim ad hos attinet, Episcopum dispensare posse colligitur ex decreto Innocentii III. (4). At vero in bigamos olim mitiorem fuisse Ecclesiae disciplinam ex hactenus dictis satis patet.

Irregularitas ex defectu libertatis

XV. Irregularitas ex defectu libertatis ex apostolica videtur profluere traditione. Apostolus enim Onesimum servum ordinare noluit, sed Timotheo praecepit, ut ipsum, Philemone domino suo consentiente, ordinaret, cui postea in cathedra ephesina successit. Sic etiam canon ex sic dictis apostolicis LXXXI: *servos in clerum provehi sine voluntate dominorum non permittimus*. Huius irregularitatis ratio ea videtur fuisse, ne scilicet dominorum iura laederentur: quare ibidem subnectit canon: *ad eorum, qui possident, molestiam. Domorum enim eversionem talia efficiunt.* Iure neapolitano ex binis pragmaticis, servi adscriptii sine consensu suorum dominorum Clero adcenseri vetantur. Ceterum quod *apud Deum non est servus, non est liber, omnes unum sumus in Christo* (5): hinc servos consentientibus dominis suis ordinari posse, et hoc ipso libertatem adipisci, nulli unquam dubium fuit (6); *si quando autem etiam dignus servus visus sit, qui ad gradum eligatur, qualis noster quoque Onesimus visus est, et domini concesserint, ac liberaverint, et aedibus emiserint, fiat.*

XVI. Eiusdem irregularitatis vinculo videntur obstricti syndici universitatum, tutores pupillorum, et quicunque ad rationes reddendas obbligantur, nisi prius administrationis rationes habuerint, eaeque constiterint (7). Tum concilium carthaginense I. (8): *recte statutum est, ut obnoxii alienis negotiis non ordinentur.*

(1) Can. XIV. caus. 27. q. I; et cap. VII. de bigamis non ordinandis. —(2) Cap. I., et IV. de clericis coniugatis. — (3) Cap. III. de bigamis non ordinandis : cap. un. eodem in VI.
(4) Cap. VI. eodem. — Apost. epist. III. ad Galat. 28. — (5) Can. apost. ibid.
(6) Cap. un. de obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non. — (7) Can. IX.

Irregularitas ex defectu lenitatis

XVII. Irregularis ex defectu lenitatis is dicitur, qui alicuius morti, etiamsi iuste, ac legitime illata sit, se interposuerit. Ecclesia enim semper a sanguine abhoruit. Quam ob rem Apostolus in Episcopis, et diaconis inter caetera requirit, ut non sint percussores: et concilium toletanum VI. (1) in iis tantummodo caussis clericos a regibus iudices fieri permittit, *ubi iureiurando supplicii indulgentia promittitur, non ubi discriminis sententia praeparatur. Si quis ergo sacerdotum contra hoc comune consultum discussor in alienis periculis extiterit, reus effusi sanguinis apud Christum, et apud Ecclesiam perdat proprium gradum.* Idem praescribunt synodus toletana XI. (2), et Alexander III. (3). Expressius Innocentius III. (4): *sententiam sanguinis nullus clericus dictet, aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur intersit. Nec quisquam clericus litteras scribat, aut dictet pro vindicta sanguinis destinanda.*

XVIII. Hinc in irregularitatem incurrunt 1. Clerici, qui in caussa sanguinis iudices agunt, quam non evadunt, licet eiusmodi iudicium, ceu delegati Principis, exerceant (5).

2. Clerici, qui, ubi vindicta sanguinis exercetur, ita intersint, ut in illam sua auctoritate influant (6). Et ita textus Innocentii III. intelligendus, neque enim irregularis erit clericus, qui tanquam merus spectator ex curiositate forsan illic adsit (7). Licet negandum non sit ecclesiasticos minus decere huiusmodi spectaculis interesse.

3. Clerici, qui in eiusmodi iudiciis notarii, graphiarii, et actuarii munere funguntur: adhaec qui advocati, aut adsessoris partes agunt, si contra reum postulent, vel consulant, aliique ad ipsam sanguinis sententiam, eiusve executionem proxime concurrentes.

4. Clerici, qui de gravi crimine sibi irrogato, cui poena sanguinis addicta est, accusationem instituant, vel iudicialem denuntiationem, et simul non *protestentur expresse*, *quod ad vindictam*, *seu poenam sanguinis non intendant*, quae contestata denuntiatio si intercesserit, non vetantur quominus sibi illatas iniurias persequantur, et quidem *ne daretur plerisque materia trucidandi eosdem* (clericos), *et ipsorum bona libere depraedandi* (8). Iure neapolitano ex bulla Xysti V. relata in pragmatica IV. (9) clerici facinorosos homines, eorumque fautores publicis iudicibus detegere non vetantur. Ceterum agere criminaliter ad vindictam sanguinis ad privatas personas non spectat, sed duntaxat ad officiarios publicos. Postremo quod ad testes spectat, nihil certi Iure Canonico statutum est: at vero distinguunt DD. inter testes voluntarios, et necessarios, sive coactos; atque illos irregulares fieri docent, haud vero istos, ubi ad testimonium ferendum a publicis iudicibus cogantur.

(1) Can. XXXI. — (2) Can. XXIX. caus. 23. q. VIII. — (3) In cap. V. ne clerici vel monachi. — (4) In cap. IX. eodem.

(5) Cap. IV. de raptoribus. — (6) Cap. X. de excessibus praelatorum. — (7) Glossa in dictum caput. — (8) Cap II. de homicidio in VI. — (9) De perseq. malefactor.

XIX. Iam vero huiusmodi ex defectu lenitatis irregularitati non sunt obnoxii 1. Episcopus, praelatus, vel clericus quicunque iurisdictionem obtinens temporalem, qui homicidio, aut alio maleficio in iurisdictione sua commisso, ballivo, aut alii cuicunque iniungat, ut de eo rite inquirat, iustitiaeque debitum exequatur, quamvis ille ballivus, vel alius contra reos, ita exposcentibus iustitiae legibus, ad poenam sanguinis processerit (1).

2. Episcopus, qui clericum degradatum curiae saeculari tradat, modo quammaxime operam suam adhibeat, ut ille poena capitis non damnetur, licet certo sciat sic traditum capitali poena adliciendum (2).

3. Furiosus, infans, aut dormiens, qui hominem mutilet, aut occidat: tum clericus, vel quisquis adgressoris occisor, cuius insidias nullo pacto, nullaque ratione evadere possit (3).

XX. Duo hic postremo omnino animadvertenda. Primum: eiusmodi irregularitatem contrahere non clericos modo, verum et laicos: unde hi Ordines, quin et ipsam clericalem tonsuram citra dispensationem suscipere vetantur. Alterum: non laicos modo, verum et clericos in eiusmodi irregularitatem non incurrere, ubi sententia sanguinis executioni demandata non sit; neque refert videre, num fortuito eventu, an fraude executio impedita fuerit; quum irregularitas haec ex iure positivo inducta strictam velit interpretationem.

Irregularitas ex crimine

XXI. Olim, ut iam antea diximus, omnia crimina, quaecunque ea essent, sive manifesta, sive occulta, et quae publica poenitentia expianda erant, ab ordinibus arcebant, licet legitimis poenitentiae exercitationibus iam essent diluta. Verum sanctissima haec disciplina ad saeculum usque IX. adcurate in Ecclesia reservata est, quo tempore primum per falsas decretales induci discrimen coepit inter crimina publica, et occulta, atque illis adfixa irregularitas, ab his vero amota. Atque hinc factum est, ut occulti criminosi, qui clam poenitentiam peregissent, et in suos pristinos ordines restituerentur, ubi iam ordinati essent, et Clero quoque adcenserentur, ubi laici ad ordines adspirarent. Eiusmodi inter publica, et occulta crimina discrimen probavit Gratianus (4). Igitur iure decretalium ex iis dumtaxat criminibus oritur irregularitas, quae vel infamiam sive iure, sive facto irrogant ob maculam, qua inde criminosus adspergitur (5): vel quae nominatim sunt expressa.

XXII. Iam vero crimina, quae infamiam irrogant praecipua sunt: apostasia a Fide, haeresis, crimen laesae maiestatis, simonia, etc. Neque ab infamiae nota exempti scenici, comoedi, foeneratores, seditiosi, usurarii, etc. (6).

XXIII. Crimina, quibus speciatim in iure irregularitas addicta est, sunt 1, Baptismi iteratio, eidemque impensum ministerium (7). 2, illicita, sive

(1) Bonifacius VIII: cap. fin. ne clerici, vel monachi. — (2) Innocentius III. cap. XXVII. de verb. signif. — (3) Clemens V. in clement. un. de homicidio.

(4) Dist. L. ad calcem can. XXVIII. — (2) Cap. LXXXVII. de regulis iuris in VI. — (5) Cap. II. de haereticis in VI. Codex can. afric. can. LXIII.

(6) Cap. II. de apost., et iterat. Baptis.

furtiva Ordinis susceptio, vel Ordinis non suscepti publicus in Ecclesia usus (1). 3, clerici, qui per saltum promoti, si illicite suscepto ordine ministrant (2). 4, qui excommunicatione, alterave censura adligati ordinibus initiantur, vel ordinum sic illicite susceptorum munia in Ecclesia peragere audent (3). 5, demum, ac potissimum homicidae, quique iniuria membrum humanum mutilarint: qua de re irregulares sunt.

1. Quicunque in caussa fuerint, cur eiusmodi crimen perpetratum fuerit, et quidem sive physice, ut aiunt, sive moraliter, scilicet mandato, consilio, precibus, auxilio, favore, etc. (4).

2. Qui dantes operam rei illicitae hominem, licet casu, sive fortuito, occiderint, vel membrum detruncarint. Quamobrem clerici, qui vel chirurgiac, vel choreae, aliisve sibi vetitis operam dantes homicidium commiserint, irregulares sunt.

3. Qui in arte, quam profitetur, vel oscitanter versatus, vel requisitam legitime diligentiam adhibere negligens hominem, licet casu, vel interficiat, vel membrum detruncet (5). Porro constat nullam contrahi irregularitatem, ubi homicidium sit omnino fortuitum: scilicet quum actio sit licita, debita adhibeatur diligentia, nec homicidium ulla ratione praevideatur (6).

4. Demum irregularis quoque ille censendus est, qui in probabili dubio versatur, num actum admiserit, cui irregularitas certo adnexa est. Quod dubium *facti* a moralistis vulgo dici consuevit. Profecto Clemens III. consultus de presbytero dubitante de homicidio a se perpetrato in hunc modum respondit (7): ***quia vero, utrum occasione vulneris decessisset, dubium habetur, tuae discretioni duximus respondendum, quod quum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, te convenit iniungere presbytero memorato, ut in sacris ordinibus non ministret.***

XXIV. Dispensationem in irregularitatibus quod spectat, profecto quae ex temporario oriuntur defectu, uti aetatis, libertatis, scientiae, etc. eo ablato evanescunt: quae ex perpetuo, et perseveranti vitio dimanant, sola dispensatione auferri possunt. Episcopi dispensant cum illegitimis, sed quantum ad minores ordines, et beneficia simplicia, uti quoque in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepto tamen homicidio voluntario, aliisque ad forum contentiosum deductis: in reliquis R. Pontificis venia opus est. Ceterum sive Episcopus dispenset sive etiam R. Pontifex, dispensationis canones servandi sunt, nimirum ut parce, et nonnisi Ecclesiae utilitate, aut necessitate id postulante, eiusmodi dispensationes impertiantur.

(1) Cap. I., et II. de eo, qui furtive, etc., et cap. I., et II. de cler. non ordin.
(2) Cap. un. de cler. per saltum, etc.
(3) Tit. de cler. excomm., etc. ministrante. — (4) Tit. de homicid. — (5) Cap. VII. de homicidio. — (6) Cap. IX. ibidem.
(7) Cap. XII. ibid.

TITULUS XXXI.

DE ASCETIS MONACHIS ET REGULARIBUS

I. Tribus prioribus Ecclesiae saeculis crebra occurrit mentio ascetarum: verum hi non iidem sunt, ac monachi, ascetae namque vocabantur christiani, qui durius quoddam, ac strictius vitae genus profitebantur: quam vocem a philosophis mutuati erant, qui *exercitationem virtutis, et obedientiae ασκησιν* vocabant. Monachorum vero nomen, et institutum serius coepit. Hinc apud Originem ascetae nuncupantur, qui a carnibus, ac rebus vitam habentibus abstinebant, quam abstinentiam canones sic dicti apostolici *ασκησιν exercitationem* vocant. Tum Cyrillus alexandrinus Annam prophetissam *Ασκητριαν ευλαβεςατην ascetriam· religiosissimam* vocat, quippe quod de ea Lucae II. scriptum sit: *non discedebat de templo ieiuniis, et obsecrationibus serviens nocte, ac die.*

II. Monasticae vitae originem quod attinet, deciana persecutione fervente multi homines in Aegypto huius tempestatis aestum ut vitarent, in vicinas solitudines, ac montes se receperunt, ut ibi tutum a vexationibus perfugium invenirent, ac simul liberius in pietate, et rerum divinarum contemplatione sese possent exercere. Haec vitae ratio eorum nonnullis adeo fuit iucunda, ut persecutione cessante in casulis, sive cellulis, quas in solitudine sibi ipsi aedificaverant, permanere mallent, quam ad pristina sua domicilia reverti. Primi, et notissimi horum fuerunt Paullus, et Antonius; quorum alterum Hieronymus (1) vitae anachoretarum auctorem, illustratorem alterum nominat. Nondum vero ullum exstructum erat monasterium, neque ullae hominum ad certas regulas vitam conformantium suam societates coaluerant, sed pauci tantum, et singulares homines huc illuc in desertis Aegypti dispersi agebant aetatem, donec Pachomius, pace Ecclesiae reddita, quaedam in Aegypti Thebaide aedificanda curavit monasteria: unde sensim in christiano orbe variae emerserunt piorum hominum societates certas profitentium vivendi leges, atque instituta. Et sane non multo post M. Basilius monachorum fautor, atque propagator, ac veluti novus parens fuit, qui monasticum institutum triplici *castitatis, paupertatis*, et *obedientiae* voto a se auctum perfecit, consummavit, absolvit.

III. Ex Oriente in Occidentem prodiit monasticae vitae professio opera s. Athanasii, qui quum Romam vitam S. Antonii a se conscriptam adsportasset, eam romanis, ut sequerentur, auctor fuit. Hinc brevi emerserunt varia monachorum instituta, ita ut Cassiani testimonio (2) tot in Occidente propemodum essent regulae, quot monasteria. Sed tandem saeculo VI. ineunte, Benedictus regulam tradidit, quam fere omnes occidentalis Ecclesiae monachi amplexati sunt, licet deinde in varias congregationes abierint. Omnium antiquissima est Casinensis regni neapolitani ab ipso s. Benedicto in monte casino erecta, quae reliquarum veluti parens habetur,

(1) Epist. XXII. ad Eustochium cap. 16.
(2) Lib. II. de instit. monach. cap. 2.

et auctrix. In regno quoque neapolitano binae aliae emerserunt congregationes benedictinae, scilicet *montis Virginis* s. Gulielmi eremitae vercellensis an. 1124, et *Coelestinorum* s. Petri de morrhonae aesernini, qui ad solium pontificium elatus Coelestini V. nomen adsumpsit an. 1274.

IV. Monachi igitur ita dicti, quod solitariam vitam agerent, antiquitus nonnisi duplici erant in genere: alii enim simul in conventibus degebant, qui et ideo *coenobitae* etiam dicti, quorum praepositi *archimandritae*, *coenobiarchae*, et communiter *abbates* vocati sunt. Alii seorsum agebant, qui *anachoretae*, et *eremitae* dicti, quos nimirum vita commendatior a nutu, et regula abbatis veluti manumissos silvestribus antris mancipabat, ut in solitudine impensius sanctitati vacarent. Ubi vero horum plures in eadem solitudine alii ab aliis paullulum disiuncti viverent, omnes communi nomine *laura* dicebantur. His addi possunt *sarabaytae*, *stylitae*, Ἀκοίμητοι, sive *insomnes*, Βοσκοὶ sive *pascentes*, aliique; verum de his fusius in nostris *antiquitatibus christianis*, ubi de vitae monasticae progressu exquisitius agemus.

V. Medio saeculo XI., uti supra iam observavimus, quum Canonici praesertim cathedralium vitam communem voto paupertatis adstrictam profiteri coepissent; quod sane institutum concilia romana sub Nicolao II., et Alexandro II. probarunt, et promoverunt: hinc canonici sic dicti *regulares* exorti sunt. Hi sub regula s. Augustini inclaruerunt, vel quod ad exemplum cleri hipponensis omnem bonorum proprietatem dimitterent, vel quod regulam ea aetate Augustino tributam amplexati fuerint. Ipse Alexander II. eosdem in suam Ecclesiam patriarchalem s. Ioannis in laterano quum recepisset, ortum inde suum habuit Canonicorum lateranensium congregatio, cuius caput fuit basilica, sive monasterium lateranense.

VI. Inter regulares post saeculum XII. mendicantes clarescere coeperunt. Hi sunt coenobitae, qui eleemosynis fidelium vitam agentes Clero in functionibus hierarchicis auxilio sunt. Horum primi, et celeberrimi sunt Ordines praedicatorum, minorum, augustinianorum, et carmelitarum. Praedicatorum Ordinem a s. Dominico hispano institutum, et quidem sub regula s. Augustini (quae postea in comitiis generalibus pluribus capitibus aucta est) Innocentius III. in concilio generali lateranensi IV. adprobavit. Minorum regulam, quam propriam, ac novam in rigida paupertate instituit s. Franciscus assisiensis, ab Innocentio III. iam probatam, Honorius III. an. 1223. confirmavit. Eodem poene tempore Carmelitarum nonnulli in Europam profecti suae regulae adprobationem ab eodem Honorio III. an. 1226. impetrarunt. Hos a b. Bertoldo Calabro in monte carmelo primum collectos ad certam vivendi regulam S. Albertus Patriarcha hierosolymitanus redegerat. Postremo eremitas augustinenses ante concilium lateranense IV. iam vigentes, nonnullisque praerogativis ab Innocentio III. auctos, in unam ex pluribus congregationis societatem redegit an. 1245. Innocentius IV.

VII. Porro iam praecesserant in Galliis *trinitarii* pro redemptionis captivorum operi addicti, auctoribus s Ioanne de Matha, ac s. Felice Valesio, quorum institutum ipse Innocentius III. an. 1209 adprobaverat. Tum non diu post, scilicet an. 1235. prodiit in Hispaniis Ordo *s. M. de Mercede* ad redimendos etiam captivos a s. Petro Nolasco, s. Raymundo de

Pennafort, ac Iacobo Aragoniae rege in Ecclesiam inductus. Tum poene secuti sunt *servitae* b. Alexii de Falconeriis florentini an. 1233., *hieronymitae* b. Petri de Pisis an. 1421., *minimi* s. Francisci de Paula calabri in regno neapolitano an. 1474., *fratres charitatis* s. Ioannis de Deo in Lusitania an. 1572., *carmelitae discalceati* sive *nudipedes* ex reformatione s. Theresiae an. 1592., *augustiniani discalceati* an. 1585., *trinitarii* item *discalceati* an. 1599., aliique. Videsis Robertum Miraeum, et Philippum Bonannum Ordinum regularium historiographos clarissimos.

VIII. His porro accesserunt clerici, qui votis, certisque regulis addicti communem agunt vitam, ex quo *clerici regulares* dicti sunt. Horum prima congregatio dicta *theatinorum*, quippe quae ortum habuit a Ioanne Carafa neapolitano Episcopo theatino, qui postea Paullus IV. Pontifex maximus fuit, socio adscito s. Caietano tienaeo an. 1524. Tum deinceps prodierunt *somaschi* s. Hieronymi Emiliani veneti an. 1531., *barnabitae* Ven. Antonii M. Zachariae cremonensis an. 1533., *clerici regulares minores* instituti a s. Ioanne Francisco, et Fabritio Caracciolis neapolitanis, ac venerabili Augustino Adorno genuensi: *clerici regulares ministri infirmorum* s. Camilli de Lessis theatini in regno neapolitano an. 1586. *clerici regulares Matris Dei*, Ven. P. Ioannis Leonardi Lucensis an. 1595. *Clerici regulares scholarum piarum* s. Iosephi a Calasantio aragonensis an. 1621. Atque haec praecipua sunt clericorum regularium instituta apud nos notiora.

IX. Tum et alia clericorum instituta in Ecclesiam invecta sunt; qui scilicet sub certis quibusdam regulis communem vitam agunt, at vel nulla vota emittunt, vel duntaxat simplicia: qua de re ut a regularibus distinguerentur, eorum collegia *congregationes presbyterorum saecularium* dictae sunt. Huiusmodi sunt *oratoriani* Romae instituti a S. Philippo Nerio florentino an. 1577., *pii operarii* ven. P. D. Caroli Carafa neapolitani an. 1634., Patres *sacrae familiae Iesu Christi*, Matthaei Ripae neapolitani sinensi apostolatu clarissimi an. 1732. Vota simplicia emittunt *doctrinarii*, sive Patres pueris, ac rudibus in doctrina christiana instruendis mancipati ven. Cesaris de Bus Galli an. 1589., quibus an. 1725. *doctrinarii* status pontificii, ac regni neapolitani adiuncti sunt, unamque congregationem constituunt: *patres missionis*, s. Vincentii a Paulo galli an. 1632: *collegiales sinenses, indi, aliarumque exterarum nationum* modo indicatae congregationis sacrae familiae Iesu Christi: *Patres congregationis ss. Redemptoris* s. Alphonsi de Ligorio neapolitani, qui ad episcopalem santagathensem cathedram evectus, illam summa virtute, mirabili pietate, ac singulari providentia administravit. Demum *Patres Congregationis ss. Sacramenti* P. D. Vincentii Mannarini calabri, qui modestia, animique demissione conspicuus fuit (1).

(1) Cum Religiosi omnes sub militari regimine e neapolitani regni monasteriis expulsi fuissent, illis duntaxat relictis, qui Mendicantes vocantur, bonaque fere innumera ad eorumdem regularium Ordinum instituta spectantia distracta essent, Ferdinandus I. Rex pientissimus in suo reditu an. 1815. in nostras ditiones citra Pharum, restituendis ipsis religiosis Domibus totus incubuit. Cum vero ob luctuosas temporum conditiones patrimonii regularis ea evasisset conditio, ut omnibus utrius-

X. Plures etiam equestres Ordines a christianis Principibus, R. Pontificibus adsentientibus, constituti sunt, et quidem vel *militares*, vel *hospitalarii*. Militares, quippe qui regionum catholicarum fines a barbararum gentium incursionibus armis defenderent: hospitalarii, quod hospitalitatem sacra potissimum loca visitantibus, infirmisque impenderent. Huiusmodi antiquitus fuere *equites s. Sepulcri* eiusdem custodiae addicti, *equites s. Lazari hierosolymitani* curandis infirmis, praecipue vero leprosis, mancipati, qui plura olim hospitalia in regno nostro, Regibus neapolitanis faventibus, iisdemque singulares praerogativas indulgentibus, habuere: at quod privilegiis pontificiis contra regiam iurisdictionem abuterentur, mandato Philippi II. ex consultatione ducis alcalensium an. 1568. hinc omnino eliminati sunt (1). *Templarii*, ita dicti a templo Domini, ad peregrinos loca sancta invisentes a praedonibus tuendos: porro hi quod divitiis, quibus adfluebant, abuterentur, a Clemente V. in concilio viennensi, instante Philippo Pulchro Galliarum rege, extincti sunt. Equites *theutonici* in Germania, *sacri milites Christi* in Lusitania, equites *s. Stephani* in Hetruria, Equites *ss. Virginis Adnuntiatae*, et equites *ss. Mauritii*, et *Lazari* in Sabaudia: tum in Hispaniis saeculo XII. Maurorum incursionibus oppositi sunt 1. Equites *s Iacobi de Spatha* an. 1175. 2. *Calatravenses* an. 1158., ac 3. *Alcantarenses* 1176. Horum trium equestrium ordinum saeculo XV. exeunte reges catholici administrationem, ac magnum magisterium bullis R. Pontificum, ac praecipue Innocentii VIII. nacti sunt. Demum in regno Valentiae saeculo XIV. ordo *Montesiae* institutus est, ac in locum extincti *templariorum* ordinis suffectus (2). Videsis modo laudatum Philippum Bonannum.

XI. Porro inter reliquos semper emicuere equites Rhodii, sive melitenses atque hospitalarii, ac militares quum et in nosocomio s. Ioannis Baptistae mirabili liberalitate, et charitate infirmis ministrent, et simul peregrinos mari iter agentes adversus turcarum impetus, armis propugnent. Ipsis

que sexus restituendis conventibus impar esset, hinc art. XIV. concord. an. 1818. permulta constituta fuerunt, quae heic recensenda non abs re duximus.

Et I. cautum religiosas domus eo maiori numero restituendas, quem dotationum, quae superessent, modus patiebatur, ex iis praesertim Institutis, quae iuventuti in Religione, et litteris instituendae, curae infirmorum, et praedicationi Verbi Dei incumbunt.

II. Decretum bona Ordinum regularium non alienata, religiosis domibus reserandis debita proportione esse adsignanda.

III. Sancitum quod numerus existentium conventuum mendicantium, quos minores observantes regulares, alcantarinos, et cappuccinos vocant, augeatur, quoties circumstantiae, et fidelium necessitates id ipsum postulent.

IV. Statutum quod religiosis domibus constitutis, et dotatis ipsarum, aeque ac mendicantium superioribus liberum foret novitios acceptare.

Denique religiosos omnes in utriusque Siciliae regno vel existentes, vel restituendos suis superioribus generalibus subiectos fore eodem conventionis articulo cautum fuit. Quae sane pacta tum ecclesiastica, cum civili potestate executioni mandata fuerunt.

(1) Chioccarellus tom. X. archiv. tit. 3.

(2) P. Floresius in clavi histor. regni Hispaniae saec. IX., XII., et XIV.

Rhodio eiectis melitensem insulam elargitus est Carolus V. imperator an. 1530., unde rhodii, et melitenses dicti.

XII. Atqui hic sine piaculo recensere omiserim regium equestrem ordinem s. Ianuarii, quem an. 1741 Carolus Borbonius olim rex noster, nunc vero Hispaniarum monarcha pius, inclytus, felix, Neapoli instituit, singularibusque praerogativis decoravit; praecipue vero se, suosque successores eiusdem caput, et Primatem constituit ad Religionis catholicae tutelam, et propagationem, christianaeque pietatis incrementum. Eundem pluribus privilegiis exornavit Benedictus XIV. litteris apostolicis datis in forma brevis die 30. Iunii eiusdem an. 1741. Paternae Religionis aemulator Ferdinandus IV. utriusque Siciliae Rex (quem Deus sospitet semper, maximisque cumulet beneficiis) Ordinem s. Georgii, sive constantinianum antiquitate, ac praerogativis iam celebrem, cuius magnum magisterium, ac regimen haereditario iure sortitus est, an. 1768. Neapoli instauravit, constituto Antistite, eidemque, ac equitibus Ecclesia, aedibus, ac insigniis adtributis.

Monachi antiquitus in censu laicorum habiti

XIII. Et sane monachi homines erant ad vitam solitariam obligati, nonnisi in eremis, vel desertis locis degentes, ubi contemplationi, et poenitentiae exercitiis addicti, nullius, nisi suae ipsorum animae, curam gererent. At vero clericos in villis, et civitatibus versari oportebat, ut ibi in fidelium aedificationem ecclesiasticas functiones obire possent. Accedit, quod ex canonum praescripto clericus ordinandus non erat, nisi loco, sive titulo in Ecclesia, cui ipsi inserviendum esset, designato. Qui igitur simul stare poterat vita clericalis, et monastica, quin potius una alteri omnino opposita videbatur. Ad rem Hieronymus epist. LV. ad Riparium: *monachus non docentis, sed plangentis habet officium: alia monachorum est caussa, alia clericorum. Clerici pascunt oves, ego pascor.* Concilium chalcedonense haud semel monachos a clericis distinguit, illosque laicis adnumerat.

XIV. Verum in eo monachi caeteris laicis praestitisse videntur, quod quum pietate, ac doctrina emicuerint, ubi iusta aliqua caussa postulante ordinandi essent, per inferiores ordines ad sacerdotium celerius, quam alii, adscenderint (1).

XV. At vero non deerant caussae, ob quas monachos ad sacros ordines promovere tum permissum esset, tum et aliquando expediret. 1. ubi monasterium longe ab episcopali, et parochiali Ecclesia distaret. 2, ubi monasteria nimis ampla essent, quae licet oppidana, suos tamen habebant presbyteros. Eutyches haereticus non modo archimandrita, sed presbyter etiam sui monasterii Constantinopoli erat (2). 3, Episcopi aliquando inter monachos quosdam seligebant quos in Ecclesiae ministerium adsciscerent. Monasteria namque propter bene institutam in pietate, et doctrina educationem, veluti Ecclesiae seminaria haberi coeperunt. 4. Denique nonnunquam accidit, ut Episcopus aliquis, et universus eius clerus monasticam vivendi rationem praeoptarent, rebus suis propriis omnibus sponte renuntiantes, et omnia ad priscae Ecclesiae sub Apostolis exemplum in commune

(1) Gelasius P. Epist. ad Episcopos Lucaniae.—(2) Liberatus breviar. cap. XI.

conferentes. Hanc vivendi rationem Eusebius in Ecclesia vercellensi, et Augustinus in Ecclesia hypponensi cum suis Clericis tenuere. Postremo mendicantes, quum ex proprio instituto antiquae monachorum vivendi rationi actuosam, et pro fidelium salute vigilem quoque vitam coniunxerint, hinc iam inde ab sua ipsorum origine in *fratres clericos*, et *fratres laicos* sic dictos *conversos* distincti sunt Id quod potiori iure de clericis regularibus intelligas.

Regulae ad vitam monasticam pertinentes

XVI. Primum eas leges iuvat explicare, quae monachorum respiciebant admissionem: ac primo id semper cavendum fuit, ne Ecclesiae, vel reipublicae inde detrimentum sequeretur: quamobrem vitam monasticam amplecti vetabantur.

1. Curiales, nisi possessiones suas cum iis partirentur, qui loco ipsorum publica patriae, curiaeque munia subirent (1).

2. Servi, nisi dominorum suorum voluntas accesserit: id quod leges acque ecclesiasticae, ac civiles semper praescripserunt (2).

3 Mariti, et uxores sine mutua utriusque partis concessione (3). Unde Paullinus ipse, eiusque coniux Theresia, bona sua (quae amplissima erant) ex communi voluntate pauperibus erogarunt, atque ita mutuo consensu monasticam vitam amplexati sunt.

4. Filii, nisi prius petita parentum suorum venia (4). Verum parentibus semper inculcatum est, ut sinerent suos liberos volentes monachos, vel clericos fieri.

XVII. Professionem quod spectat, profecto ut quis licite, ac valide profiteatur duo praecipue requiruntur, nimirum legitima aetas, et praevium tirocinium. Aetas legitima antiquitus erat quatuordecim annorum in maribus, et duodecim in foeminis (5). Ubi stricta admodum esset regula, aetas requirebatur annorum octodecim (6). Sed ex tridentino in quacunque Religione tam virorum quam mulierum professio ante decimum sextum annum expletum emissa nulla est, nullamque inducit obligationem (7). Qua de re minime improbanda illorum ordinum instituta, quae maiorem exigunt aetatem.

XVIII. Tyrocinium, seu novitiatus semper professionem anteire debuit. Monachi orientales, praesertim Aegyptii trium annorum probationem requirebant (8). Quod institutum Iustinianus servandum decrevit (9). Gregorius m. ad biennium tirocinii tempus redegisse videtur (10). At s. Benedictus unius anni probationem praescripsit in sua regula: quam omnes poene secutis temporibus Monachi occidentales adoptarunt. Eandem quoque tridentinum constituit (11). Porro Ordinum instituta, quae longius praescribunt experimentum tantum abest, ut infirmaverit, quin potius firmaverit

(1) L. LXIII. Cod. theod. de decurion. — (2) Nov. XII Valentiniani III. ad calcem cod. theod.— (3) Paullinus epist. XIV. inter epist Hieronymi.— (4) Conc. gangr. can. XVI: Basilius reg. mai. quaest. XVI. L. LV; cod. de Episcopis.

(5) Cap. VIII., et cap. II. de regularibus. — (6) Cap. VI. eodem; et clement. III. eodem. — (7) Sess. XXV. de regul. cap. 15.—(8) Sozomenus lib. III. cap. 33.

(9) Nov. V. cap. 2. — (10) Lib. VIII. epist. 23. — (11) Ibidem.

magis. Postremo ut professio valida sit, nulla tironi vis metusve nullus iniiciendus est. Qui enim consensu violenter extorto ad perpetuum, durissimumque vitae genus adigi quis poterit?

XIX. Igitur religiosus professionem suam legitime impugnabit vitio vel nullitatis, vel extorsionis. Verum post lapsum quinque annorum audiendus non est. Neque intra quinquennium auditur, si habitum mutavit, aut proprio motu monasterio excessit, quo casu apostata habendus est (1). Episcopus ergo adeundus est, qui post caussam cognitam contra vota eum restituat in integrum. Tum nonnisi vis, aut metus, qui hominem constantem vincere potest, argumentis evidentibus probandus legitima erit huiusce restitutionis caussa (2).

XX. Monachi in semel suscepta monastica regula perpetuam ducere vitam adiguntur. Verum saeculo XII. mos primum invaluit, qui dein veluti in regulam evasit, scilicet ut a laxiori ad rigidiurem ordinem, haud vero e contrario, transitus monachis permissus censeretur: quam postea tridentinum probasse videtur. Porro mendicantes omnes, nisi cum Pontificis venia, in alium, praeter carthusianum ordinem, se recipere nequeunt (3).

XXI. Monachi ex primigenia institutione perpetuis poenitentiae exercitationibus addicti, unde illud Hieronymi (4): *monachus non docentis, sed plangentis habet officium.* Eodem intuitu iam inde ab IV. exeunte saeculo, uti supr. *tit. XXVIII.* observavimus, tonsura, quae propriuos poenitentium insigne erat, usi sunt. Tum labore manuum victum sibi parabant, ne aliis oneri essent, animasque suas ab diaboli tentationibus incolumes custodirent; ac plerumque non in civitatibus, sed in desertis, remotisque sucessibus monasteria olim aedificari consuevere (5). Postremo ex concilio chalcedonensi *can. IV.* monachi vetantur *ecclesiasticis, civilibusque negotiis communicare*, quippe qui debeant *quietem diligere, et intentos esse tantummodo ieiunio, et orationi, in locis, quibus renuntiaverunt saeculo, permanentes.*

XXII. Innocentius III. praecipuas complectitur monasticae vitae Leges (6), scilicet ne quis monachorum lineis camisiis uteretur, nec proprium aliquo modo possideat. perpetuum in oratorio, refectorio, et dormitorio silentium observare, ab esu carnis abstinere, commissa ab abbate monasterii officia demisse suscipere, ac fideliter obire, orationi intentum esse, etc. At vero regularium omnium status potissimum in triplici castitatis, paupertatis, et obedientiae voto constitutus est, quae antiquitus duntaxat simplicia erant, at postea solemnitate ab Ecclesia adiecta, sollemnia evasere.

XXIII. Votum obedientiae, quod regulares emittunt, non in eo tantummodo positum est, ut superiori in iis, quae monasterii regimen spectant, demisse pareant; at praeterea perfectam suimetipsius abnegationem postulat, omnigenamque a superioris voluntate dependentiam: *prima apud eos confoederatio erat, obedire maioribus, et quidquid iussissent, facere* (7). Porro tria potissimum in monastica obedientia requirit S. Benedictus (8),

(1) Trident. Sess. XX. de ref. cap. 19.—(2) Can. XX. caus. 8. q. 1.—(3) Extr. 1. de regular. inter comm — (4) Epist. LV. ad Ripar. — (5) Hieron. epist. IV. ad Rusticum.—(6) Cap. IV. V. de statu monachorum, et canon. regul. — (7) Hieron. epist. XXII. ad Eustoch. cap. 15. — (8) Reg. benedict. cap. 5.

nimirum ut *sine mora*, *non tepide*, *et cum bono animo* monachi suis pareant superioribus, scilicet non ex timore, sed ex charitate, et amore perfectionis.

XXIV. Votum castitatis non modo severam ab omni carnali impuritate abstinentiam monachis indicit, quae christianorum communis est, verum et monachos a nuptiis arcet. Profecto si quae unquam virtus in monachis elucere debet, ea profecto est puritas. Quorsum enim perpetuae poenitentiae exercitationes, frequentia ieiunia, perennis rerum coelestium meditatio, assiduae praecationes, nisi ut puritatem, qua homines magis Angelis accedunt, integram in anima custodiant? Etiam esseni, et therapeutae apud iudaeos ab mulieribus abstinebant, quippe qui ασκησει *virtutis exercitationi* ex proposito addicti. Porro, uti modo observavimus, temporis progressu monachorum matrimonia, quae duntaxat illicita erant, etiam nulla facta sunt: id quod in synodo romana an. 1139. primum sancitum censet Espenius (1).

XXV. Porro reliquis votis illud paupertatis semper difficilius habitum est, quod eo non modo quodcumque rerum dominium, sive proprietas, sed etiam ususfructus, iurisque usus monachis interdicatur; nullusque suum quidquam habeat, sed omnia ex abbatis nutu communia sint, uti mos fuit primitivae credentium multitudinis (2). Quinimmo nec abbatis quidem, atque adeo neque summi Pontificis venia poterit quis qualemcumque sibi tribuere proprietatem, ita huius abdicatio regulae monasticae adnexa est. Si quis autem sibi proprium aliquid, iuvito, vel inscio superiore detinere auserit, fracti voti reus utriusque suffragii iure ad biennium privabitur, tum et pro transgressionis gravitate depositione ab officio, eiectione e monasterio, aliisque poenis multabitur, ac demum moriens, nisi res omnes numerato dimiserit, sepelietur extra commune coemeterium (3). Iam vero hactenus dicta de proprietate regularibus vetita, de eorumdem monasteriis, et conventibus ne intelligas, nisi fuerint capuccinorum, et minorum observantium, quibus nec etiam in communi possidere ius est (4), reliqua vero statos reditus possident: unde qui in his profitentur ad legitimas haereditates admittuntur (5), easque adquirunt monasterio.

XXVI. Postremo praeter hactenus explicata tria praecipua monasticae professionis vota, non desunt regularium Instituta, quae peculiaria quaedam alia emittunt. Ita trinitarii, ac mercenarii redimendis captivis voto se adstringunt, fratres charitatis s. Ioannis de Deo infirmorum in hospitalibus ministerium vovent: Clerici regulares ministri infirmorum animam agentibus, etiam peste grassante, ex voto praesto sunt; uti quoque clerici regulares scholarum piarum instituendis in pietate, ac litteris rudibus, ac puerulis voto se dedunt. Tum et somaschi orphanis ad pietatem, litteras, artesque moechanicas informandis ex suo ipsorum instituto addicti. Minimi s. Francisci de Paula, nisi graviter aegrotent, victu duntaxat esuriali utuntur. Sinenses, indi, aliique ex exteris nationibus adsciti in collegium modo recensitae congregationis sacrae familiae Iesu Christi expleto tiro-

(1) Part. II. tit. XIII. cap. 4. — (2) Actor. cap. II., et III. — (3) Cap. IV. de statu monachorum: Trid. sess XXV. de regular. cap. 2.
(4) Trid. ibid. cap. 3. — (5) L. LVI. cod. de Episcop, et cleric.

cinio apud congregationis superiorem Deo vovent 1. se paupertatem, et 2. obedientiam servaturos, tum 3. sacros ordines suscepturos, ubi id superiori expedire videatur; deinde 4. se animo paratos esse, ut ad orientales plagas proficiscantur, ibique vel propriae vitae discrimine christianis mysteriis ethnicos imbuant, ac tandem 5. ulli congregationi, sive collegio, quodcunque illud sit, in posterum haud se nomen esse daturos. Iisdem quinque votis se obstringunt quicunque in eadem congregatione degens in hoc collegium cooptari voluerit. Haec votorum emissio bis a Clemente XII. adprobata fuit litteris apostolicis editis in forma brevis die 7. Aprilis an. 1732., et 22. Mart. 1736. Equestres demum militares ordines tuendae armis religionis voti fibula se obstringunt.

De abbatibus, aliisque monachorum praepositis

XXVII. Ut monachi sui Instituti munia facilius obirent, plerumque monasteria plures, ac diversas in classes partita, iisdem idonei Antistites praepositi sunt. Dein monachi uni cuidam parebant, quem *decanum* vocabant; et centeni alium quendam sibi praepositum habebant, inde *centenarium* dictum. Praeter hos erant quoque Patres plerumque hebraico vocabulo *abbates* dicti, et *hegumeni*, hoc est duces: dicti quoque *archimandritae* a *mandra*, sive ovili quod essent horum sacrorum in Ecclesia gregum custodes, sive ductores.

XXVIII. Abbatum summa erat potestas: ad ipsos enim spectabat 1, divinorum officiorum administratio 2, disciplinae monasticae directio. 3, in monachos ab officii sui praescripto deflectentes animadversio, ac poenis cum corporalibus, tum spiritualibus coercitio. Poenae spirituales erant censurae ecclesiasticae, praecipue vero Eucharistiae, sacrorumque omnium interdictio. Poenas corporales duplicis fuisse generis indicat Cassianus (1), nimirum plagas, et expulsionem: tum *ibidem* crimina, ob quae eiusmodi poenae infligi consueverint, sigillatim enumerat.

XXIX. Ad concilia quoque haud raro invitabantur Abbates, atque adeo sedendi, ac suffragium ferendi praerogativa donabantur aeque ac presbyteri. Sic in concilio constantinopolitano sub Flaviano an. 448. vigintitres archimandritae cum triginta Episcopis Eutychetis damnationi subscripserunt.

Monachi civitatis Episcopo subiecti

XXX. Quanta vero cunque fuerit abbatum potestas, semper tamen Episcoporum iurisdictioni subiiciebantur. Sanctissimis enim illis monasticorum Institutorum auctoribus nefas visum est ab episcopali potestate omnium maxime in Ecclesia divinitus constituta immunitatem adfectare Unde concilio chalcedonensi (2) tria sanciuntur. 1. Nullum omnino aedificandum, aut constituendum monasterium *praeter conscientiam Episcopi*. 2. Monachos per unamquamque civitatem, et regionem subiectos esse Episcopo, et quietem diligere. 3 Episcopum convenire civitatis competentem mona-

(1) Coll. II, cap. 16. — (2) Can. IV.

steriorum providentiam habere. Haec synodica sanctio legibus imperialibus firmata fuit (1).

XXXI. Eadem quoque per Occidentem viguit disciplina. Id patet ex pluribus, variisque per ea tempora habitis conciliis; uti aurelianensi I. (2), aurelianensi II. (3) epaonensi (4), etc., ac praesertim concilium arelatense V. generaliter definit, ut *monasteria, vel monachorum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cuius sunt territorio constituta.*

XXXII. Verum secutis temporibus paullatim monachi ab episcopali potestate exemptiones obtinere conati sunt. Ac primo quidem VI. saeculo monachis indulta tantummodo est exemptio ab Episcoporum exactionibus, ac libera abbatis tributa est electio. Eiusmodi immunitatem pluribus monasteriis Gregorius M. indulsit (5): at expresse Episcopis *diligentia disciplinae*, hoc est canonica auctoritas reservata est. Hoc enim intuitu concilia ad annum usque millesimum celebrata monachos Episcopis subditos repraesentant. Concilium vernense anni 755. haec habet: *unusquisque Episcoporum potestatem habet in sua parochia tam de Clero, quam de regularibus, vel saecularibus ad corrigendum, et emendandum secundum ordinem canonicum spiritualem* (6). Similia habent synodi moguntinum (7), parisiense an. 829. (8), aquisgranense an. 836. (9): quinimmo, ut idem auctor observat (10) etiam post annum Christi millesimum eadem viguit in Ecclesia disciplina, adeout neque ipsa Sedis Apostolicae tutela, qua monasteria gloriabantur, monachos ordinariae episcopali potestati subduxerit (11). Igitur si quae occurrunt monachis per ea tempora indulta privilegia, de temporalium potius cura intelligenda sunt, quam de canonica, et interiori disciplina.

XXXIII. Porro negandum non est iam inde ab saeculo XII. monachos avide ab episcopali auctoritate, etiam quod ad spirituale regimen, exemptionem aucupari coepisse. Quam fuerit ab hac aviditate abhorrens s. Bernardi animus satis liquet ex eius epistolis (12). In ea de abbate s. Maximini trevirensis graviter conqueritur, quod, ut effugeret sanctissimum Alberonis Archiepiscopi studium in sepurgando suo monasterio, patronos Romae potentissimos nactus sit, et suorum confirmationem privilegiorum. Tum *epistola XLII.* in abbates sui saeculi incredibili studio, atque ardore invehitur, quod *quum ne unum quidem verbulum de suis imperiis subditos praetergredi patiantur, ipsi propriis obedire contemnant Episcopis.* Similia habet *lib. III de consid.* At quaecunque fuerit hac in re Bernardi sententia, illud profecto constat saeculo XII. fere singulos Ordines, et monasteria omnia *plenas* obtinuisse exemptiones; scilicet, ut non modo ab episcopalibus eximerentur exactionibus, decimis, procurationibus, cathedratico synodatico etc., verum et quod ad temporalium bonorum administrationem; ac spirituale monachorum regimen Episcopi subducerentur potestati. Ipsimet fratres minores, quorum Institutor s. Franciscus omne

(1) Nov. LXVI., et CXXIII. — (2) Can. II. — (3) Can. XXI. — (4) Can. VIII. (5) Lib. VI. epist. 12.; et lib. VII. epist. 15. — (6) Can. III., et V. — (7) Can. XI. XII., et XIX. — (8) Can. XXXVII. — (9) Can. I., et II. Videsis Thomass. part. I. lib. III. cap. 27. — (10) Ibidem cap. XXVIII, et XXIX. — (11) Cap. III. de privilegiis; cap. III. eodem in VI. — (12) Epist. CLXXX. ad Innocentium II.

prorsus aversatus fuerat exemptionis privilegium, eadem monachorum suae aetatis cupiditate acti sunt. Verum, uti ad rem observat Baronius ad an. 1176. istuc *gratum non fuit s. Francisco, sed fratris Heliae hominis non divino spiritu, sed carnis prudentia nitentis fuit opus.*

XXXIV. Non vacat hic caussas rimari, cur monachi, ut ab Episcopi potestate eximerentur, tantopere laborarint. Gravis ne, et exorbitans Episcoporum in monachos dominatus impulit, an potius (quae s. Bernardi. uti modo observavimus, senteutia est) nimia bonorum temporalium affluentia? Aiunt enim hinc factum esse, ut iu laxationem disciplinae, morumque dissolutionem abeuntes, propriis obedire Episcopis fastidiverint, non tam ut appetentes libertatem, quam ut fugitantes disciplinam (1). Addunt et illud, scilicet eiusmodi exemptionum privilegia plura, eademque gravia in Ecclesiam mala invexisse: nec id mirum, subnectunt: illis enim adeo ecclesiastica turbatur hierarchia, ut s. Bernardus (2), monstro similes esse dicat ecclesiasticorum graduum status, qui a superioribus divisi Capiti αμεσως *immediate* coniungitur, haud secus ac si digitus non proxime manui, sed capiti adnecteretur. Quamobrem haud semel factum est, ut concilia, et Patres de iisdem vel abolendis, vel duntaxat temperandis cogitaverint. Abolere prorsus αδυνατον *impossibile*, temperare vix aliquando, ac ne ipsis quidem tridentinis Patribus prorsus feliciter successit. Abs re igitur non erit hic potiora regularium exemptionibus moderandis saucita tridentina decreta recensere.

Ac 1. Episcopus, tanquam Sedis Apostolicae delegatus monachos extra claustra degentes visitet, eosdemque si deliquerint, puniat, et corrigat (3):

2. Monachi intra claustra degentes, et extra ea notorie delinquentes, ut populo scandalo sint, a suis superioribus instante Episcopo, et intra tempus ab eodem praefigendum, severe puniantur, Episcopo de iam facta punitione admonito: sin minus a suo superiore officio priventur, et in delinquentes animadvertere Episcopi ius esto (4). Tum a Clemente VIII. adiecta est superioribus regularibus indicta prohibitio, monachos delinquentes in alia suorum ordinum monasteria extra dioecesim ablegandi (5).

3. Ecclesiae regularium, quibus cura animarum adnexa est, ab Episcopis quotannis visitentur, iisdemque in omnibus curam animarum spectantibus prorsus pareant (6).

4. Monasteria monialium Sedi Apostolicae immediate subiecta ab Episcopis delegata potestate gubernentur (7). Tum *ibidem* cap. V. omnium etiam exemptarum monialium clausura Episcopis apostolica auctoritate commissa est.

5. Monasteria commendata, in quibus non viget regularis observantia ab Episcopis, etiam auctoritate apostolica, annis singulis lustrentur: ea vero, in quibus regulares viget observantia, quae tamen ab debita vivendi ratione nonnihil deflexerint, Episcopis tum demum invisere, ac repurgare licebit, postquam eorumdem superiores de necessaria restauratione admoniti, illam intra sex menses adgressi non sint (8).

(1) Bernardus epist. CLXXX.
(2) Lib. III. de consid. cap. 4. — (3) Sess. VI. de refor. cap. 3. — (4) Sess. XXV. de ref. cap. 14. — (5) Bulla suspecti regiminis XXXIX. — (6) Ibid. cap. 11. — (7) Sess. XXV. de regul. cap. 9. — (8) Sess. XXI. de ref. cap. 8.

6. Monasteria exempta, quae neque concilio provinciali decernente, neque Metropolitano instaute sese in congregationes erexerint, Episcopis, in quorum dioecesibus sita sunt, tanquam Sedis Apostolicae delegatis subdantur (1).

7. Regulares fidelium confessiones non audiant, nisi prius impetrata ab Episcopis adprobationem, et veniam obtinuerint (2).

8. Adhaec neque in suis Ecclesiis contradicente Episcopo, neque in Ecclesiis non suorum ordinum, nisi prius impetrata ab Episcopis facultate, praedicare praesumant (3).

9. Denique in censuris, et interdictis Episcopo mandante evulgandis, ac servandis, diebus festis, eorumque ritibus custodiendis, aliisque exteriorem, ac publicam divini cultus politiam spectantibus, regulares quacumque exemptione muniti Episcopis omnino pareant (4).

XXXV. Saeculo XIV. Archiepiscopum neapolitanum peculiarem quandam monachorum curam egisse liquet ex constitutionibus synodalibus Ioannis Ursini Archiepiscopi neapolitani editis circiter an. 1330., quarum *n. L.* sic habet: *volentes, ut monachi, qui relictis mundanis illecebris, elegerunt in religionis habitu in arce contemplationis Domino famulari, a quibuslibet deviis praeserventur*; *statuimus, et ordinamus, quod nullus monachus civitatis, vel dioecesis neapolitanae egrediatur de monasterio, nisi forsitan egrediendi iusta, ac rationabilis caussa fuerit, quo casu committimus, quod egrediatur associatus uno alio monacho eiusdem monasterii, incedentes cum cucullis, et ad loca honesta tantummodo accedentes, ac de sui abbatis impetrata licentia, vel obtenta. In contemptorem vero quemlibet in his scriptis excommunicationis sententiam promulgamus.*

De sanctimonialibus

XXXVI. A primis usque saeculis virgines in Ecclesia fuisse, qui sese christiano ritu Deo sacrabant, discimus ex s. Cypriano, Tertulliano, aliisque antiquis Patribus, qui de virginibus, qui sese Christo dicarint, loquuntur. Hae vel parentum custodiae ab Episcopis commendabantur; vel parentibus destitutae gravissimarum foeminarum curae committebantur in communibus aedibus ipsis deputatis (5). Quae quidem communes virginum aedes in sanctimonialium monasteria tandem evaserunt, quarum origo cum origine monachorum complexa est. Nam Rufinus saeculi *IV.* scriptor *de vitis Patrum* (6) refert in una urbe Oxyrinchi plura fuisse monasteria, quam domus, et ibi sacrarum virginum immortali signo desponsarum vigintimillia fuisse, dictas *sanctimoniales* a sanctimonia (7). Eas Hieronymus (8) voce aegyptiaca vocat *nonnas*, quod *monachas* significat. Iisdem regulae praescripserunt s. Augustinus, s. Caesarius arelatensis, s. Benedictus, s. Franciscus, etc.

(1) Sess. XXV. de reg. cap. 8. — (2) Sess. XXIII. de ref. cap. 15. — (3) Sess. XXIV. de ref. cap. 4.
(4) Sess. XXV. de regular. cap. 12. — (5) Conc. carthag. III. Can. XXXIII.
(6) Lib. II. cap. 3. — (7) August. lib. de s. virginitate cap. ult. — (8) Epist. XXII. ad Eustochium cap. 6.

XXXVII. Fuere sanctimonialium monasteria alia quidem, in quibus perpetuo inclusae detinebantur, alia vero, e quibus egredi fas erat. Statutum autem fuit, ut firmissimis munitionibus eiusmodi monasteria circumdarentur. Tum Bonifacius VIII. constituit, ut moniales professae sub perpetua essent clausura (1): *ita quod nulli earum religionem tacite, vel expresse professae sit, vel esse valeat quacumque ratione, vel caussa, (nisi forte tanto, et tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo, seu scandalo commorari) monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas.*

XXXVIII. Porro hanc Bonifacii constitutionem non ubique statim obtinuisse, tum ex pluribus constat, tum vel maxime ex Ioannis Ursini archiepiscopi neapolitani *constitutione synodali XLVIII.*, ubi primum abusio indicatur, qua *moniales extra sua monasteria per habitacula saecularium personarum discurrunt;* dein vetantur aeque moniales, ac abbatissae quacunque ratione, vel caussa monasteria egredi, ac tandem praescribitur, *ut si forsan caussa rationabilis egrediendi monasterium suaderet, eo casu volumus pro parte ipsarum monialium ad nos recursum haberi pro egrediendi licentia obtinenda.* Postremo Bonifacii constitutio in Synodo tridentina (2), non modo renovata est, verum et Episcopis ius tributum restituendi, ubi violata fuerit, et ubi inviolata est, conservandi clausuram in monasteriis etiam exemptis, idque delegata Sedis Apostolicae auctoritate: quae tridentina constitutio ubique terrarum feliciter suum effectum sortita est (3).

(1) Cap. un. de statu monachorum in VI.
(2) Sess. XXV. de ref. cap. 5. — (3) Iure novissimo concordati an. 1818. art. XIV. sancitum fuit quod restitutis religiosis monialium domibus liberum foret novitias recipere, necnon puellarum dotes, quae Deo sese in posterum mancipaverint iuxta canonum sanctionem monasteriis cedere.

TOMI I., ET LIBRI I. FINIS.



INDEX

TITULORUM LIBRI I.

—

ADDITAMENTA

DIATRIBA ISAGOGICA

LIBER I.

INSTITUTIONUM CANONICARUM

LIBRI TRES

AD USUM SEMINARII NEAPOLITANI

AUCTORE

IULIO LAURENTIO SELVAGIO

CUM ANIMADVERSIONIBUS ATQUE ADDITAMENTIS

IOSEPHI ROMANI PRESB. NEAP.

IN ARCHIEPISCOPALI LYCEO

UTRIUSQUE IURIS ANTECESSORIS SUBSTITUTI

Editio altera auctior et emendatior

TOMUS II.

Δευτεραι φροντιδες σοφωτεραι

Neapoli

EX TYPOGRAPHEO AD SIGNUM ANCORÆ

MDCCCXLVI

INSTITUTIONUM

CANONICARUM

LIBER SECUNDUS

Cognita personarum ecclesiasticarum qualitate, earumque characteribus, expositoque iure, quod cuique suae conditionis intuitu convenit, ordinis ratio postulat, ut rerum ecclesiasticarum tractationem adgrediamur, rerum scilicet, quae ad aeternam beatitudinem consequendam conducunt, et ad ipsius Ecclesiae, eiusque ministrorum usum destinatae sunt. Porro non eadem ratione *de rebus* ius canonicum agit, et civile. Et sane ius civile res spectat, prout ab hominibus adquiri, tueri, amittive possunt. At iuri canonico tantum proposita est rerum divisio, atque administratio. Neque enim rerum ecclesiasticarum dominium potest quis sibi vindicare, quae sunt vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum.

TITULUS I.

DE RERUM ECCLESIASTICARUM DIVISIONE

I. Res ecclesiasticae, scilicet quas ius canonicum respicit, vel *spirituales* sunt, vel *temporales*. *Spirituales*, quae animarum salutem, earumque aeternam beatitudinem, veluti proprium *σκοπον* spectant. Porro hae, vel *σωματικη corporea* quadam substantia, et sensibili veluti obteguntur, uti Sacramenta, Sacrificia, preces, ritus sacri, etc. vel *ασωματον incorporeum* quid sunt, et insensibile, uti *virtutes multiplices Spiritus S. donationes*, etc. *temporales*, quae vel publico cultui divino peragendo, vel congruae clericorum substentationi sunt destinatae, uti *decimae*, *oblationes*, *redditus ex beneficiis*, etc.

II. Ad res spirituales σωματικας *corporeas* (de ασωματοις *incorporeis* tractatio reservatum theologis peculium) vulgo a canonistis referuntur res *sacrae*, *sanctae*, et *religiosae*. At felicius fortasse alii istas medium spirituales inter, et corporales ordinem constituere contendunt, tanquam spiritualibus inferiores, et temporalibus potiores. Huiusmodi sunt vasa sacra, aedes sacrae, coemeteria, etc.

III. Num aliquid res sacras inter, sanctas, et religiosas discrimiuis intersit, iuvat hic paucis inquirere. Ac primo sacer a זכר *zecer*, hoc est *memoria* deductum vult *Mazochius* in additamentis ad Vossium: unde sacra dicta sint, quae memoriae mandari deceret. Non abs re igitur in iure nostro sacra dicuntur, tum quae divino cultui quoquo modo sunt destinata: uti *Ecclesiae*, *altaria*, *Sanctorum reliquiae*, etc: tum et strictiori notione, quae sollemni ritu per Episcopum Deo dicata sunt, uti *calices*, *altaria*, *vasa Sacrificii*, *ipsaemet sacrae aedes, etc.* De his enim specialis quaedam memoria servanda est, ne Deo semel dicata profanis usibus adhibeantur.

IV. Sanctae: ex pluribus huiusce vocabuli ετυμοις illud potius videtur, ut sit a *sancitum*, unde sanctum idem sit, ac sancitum: quod enim sanctione quadam subuixum est, etsi non sit Deo consecratum, sanctum tamen est, hoc est inviolabile. Sic leges dicuntur sanctae, et πετωνυμικως mores sancti quia divinis humanisque legibus adamussim conveniunt. Recte igitur in iure nostro res *sanctae* vocantur, quae *sanctione*, seu legis prohibitione sunt inviolabiles. Et Ecclesiae *sacrosanctae* nuncupantur, eiusmodi sanctae tum *religione*, tum *lege*: religione scilicet, quod sacris ritibus sint Deo consecratae: lege autem, quod divinis, humanisque sanctionibus quisque illas violare vetetur.

V. Religiosa demum loca sunt, quae sacro cuidam usui addicta, veluti a nobis semota relinquuntur ετυμω deducto a verbo *relinquo*, quod plures, doctioresque sequuntur ετυμολογοι. Antiquo Romanorum iure lucus ille religiosus erat, quo mortuus esset illatus: sepultura enim veluti relinquebatur, dum humano eximebatur commercio (1). Porro haec religio, quam apud romanos privata constituebat auctoritas, apud christianos non sine Ecclesiae auctoritate inducitur (2). Porro inter res sacras, sanctas, religiosas principem locum habent Sacramenta, quae satius *res divinas* dixeris, quum Deum ipsum habeant auctorem.

TITULUS II.

DE SACRAMENTIS ECCLESIAE GENERATIM

I. Plures de Sacramentis Ecclesiae generatim quaestiones, uti de numero, ουσια *essentia*, necessitate, aliisque theologi tractant. Ab his vero, aliisque eiusdem generis capitibus discutiendis se abstinent Canonistae, sed quae sacri canones, synodalia decreta, et ritualia in Sacramentorum administratione servanda praecipiunt, haec veluti propriam muneris sui partem exequuntur, quam et nos hic pro instituti nostri ratione paucis absolvemus.

(1) L. VI., et VIII. D. de relig. sumpt. — (2) Infer. in tit. de sepulturis.

II. Et 1. quod ad necessitatem, Sacramenta *necessaria* a *voluntariis* distinguunt Canonistae (1). Necessaria vocant quae *sine interitu salutis aeternae* praetermitti nequeunt, neque contemni, ut Baptismus, Confirmatio, Poenitentia, Eucharistia, et Extrema Unctio: reliqua duo, scilicet Ordo sacer, et Matrimonium voluntaria sunt, quod sine *salutis dispendio* pro cuiusque arbitrio recipi possint, et refutari; quum ea ad totius Ecclesiae profectum, et utilitatem principaliter pertineant (2). Atqui de Sacramentorum necessitate ab hoc Canonistarum haud parum theologorum differt *ἰδίωμα idioma*: ut in tractatu theologico *de Sacramentis* observabis.

III. Characteris, de quo plura scholastichi, vel nomen spectes, vel *οὐσίαν essentiam*. Nominis primus meminit Innocentius IV. (3). Hunc secuta synodus tridentina (4) definit per tria Sacramenta Baptismum, Confirmationem, Ordinem imprimi characterem, hoc est *signum aliquod spirituale, indelebile, unde iterari non possunt*. At quantum ad *οὐσίαν substantiam*, antiquissima extant ecclesiastica monumenta, Basilii praesertim, Ambrosii, et Augustini, ex quibus illud perspicuum est, Ecclesiam ab apostolica traditione huiusmodi dogma accepisse, cuius dogmatis veluti consectarium est apostolica itidem semper in Ecclesia servata praxis, scilicet tria illa Sacramenta valide collata nunquam iterandi (5).

IV. Verum perantiqua Ecclesiae praxis fuit, ut quando de eorundem validitate prudens dubium subesset, de integro conferrentur (6). Inde tamen non sequitur Sacramenta illa fuisse iterata: *non enim*, ait Gregorius X, *monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum* (7), sed in eo recens ab veteri Ecclesiae disciplina discrepat, quod antiquitus sine ulla conditione absolute conferebantur, secutis vero temporibus formae adposita conditio est. Huius conditionatae formulae mentio prima occurrit in capitularibus regum Galliae (8), ubi haec habentur: *de quibus dubium est utrum sint baptizati, an non, omnimodis absque omni scrupulo baptizentur, his tamen verbis praemissis: non te rebaptizo, sed si nondum baptizatus es, baptizo te in nomine, etc.* Porro haec praxis neque in Galliis statim universe obtinuit (9). At vero ubique obtinere coepit, postquam eandem conditionatam formulam praescripsit Alexander III. (10) qua decretali collectioni gregorianae inserta, statim pro iure communi receptum est, ut nonnisi sub conditione Sacramenta illa de integro conferrentur, de quibus dubium foret, num valide recepta fuerint, quod postmodum Ritualia, et praecipue Romanum praescripsere. In Sacramentis autem, quae pluribus constare videntur materiis, quas *partiales* theologi vocant, hanc regulam tradit Innocentius III. (11): *in talibus*, inquit, *non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat praetermissum*.

V. Sacramentorum minister ordinarius solus est Parochus in sua Pa-

(1) Cap. IV. de transact., et Gratianus ad can. XXII. C. 1. Q. 1. — (2) Lancellot. inst. lib. I. tit. 2. §. 1. — (3) Decretal. cap. III. de Bapt. — (4) Sess. III. can. IX.

(5) Tit. de Sacramentis non iterandis. — (6) Conc. carthag. V. can. VII: S. Leo epist. ad Rust. — (7) Lib. XVI. ep. 17. — (8) Lib. VI. cap. 8. — (9) Ibid. lib. VII. cap. 391.

(10) Cap. II. de Bapt. — (11) Cap. I. de Sacram. non iter.

rochia (1): qui et *proprius Sacerdos* respectu populi sibi commissi vocatur *in cap.* omnis utriusq. sexus *de poenitentia, et remis.* Unde et *αυτονομαστικως antonomastice* pastor dici consuevit: et in II. synodo provinciali neapolitana decernitur (2): *nemo audeat sine Ordinarii permissu extra necessitatem in aliena paroecia Sacramenta ministrare.*

VI. Porro Sacramentorum ministris plura observanda praecipiuntur 1. Ut piam sanctamque vitam ducant, qui semper parati sint ad sancta sancte tractanda: *noverint Sacramentorum ministri sibi necessariam esse cum primis conscientiae puritatem, et morum sanctitatem, quanta decet ministros Christi, et dispensatores Mysteriorum Dei* (3). 2. Ad Sacramenta administranda arcessiti statim *accurrant, ne si quemquam sua incuria Sacramentorum praesidio destitui contingant, divinae sese indignationi, et gravissimis Ordinarii poenis obnoxios efficiant.* 3. Ut fidelis populus, qua par est, reverentia ad Sacramenta accedat, illorum vim, et usum pro suscipientium captu explicare non omittant (4). 4. Ritus, quos in Sacramentorum administratione servandos Ecclesia iam recepit, non modo non omittant, neque contemnant, sed nec etiam in novos commutent (5). Qua de re I. synodus provincialis neapolitana decernit (6): *in sacramentorum administratione observetur R. Ecclesiae ritus, et ad Cathedralem in ritibus se conforment inferiores Ecclesiae.* Idem praescribit S. Carolus Borromaeus (7).

VII. Iam vero ritus distinguuntur, et alii sunt universales, alii dicuntur particulares. Universales sunt, quos vel Scripturae praescribit auctoritas, vel tota per orbem frequentat Ecclesia. Particulares vero, qui non iidem ubique, sed in diversis Ecclesiis sunt diversi. De illis intelligendus est laudatus modo tridentini canon, de postremis loquitur Augustinus epistola ad Casulanum his verbis: *omnis pulchritudo filiae Regis intrinsecus: illae autem observationes, quae varie celebrantur, in eius veste intelliguntur: unde ibi dicitur: in fimbriis aureis circumamicta varietate.* Utrosque autem complectitur superius memoratum decretum (8).

VIII. Demum in ministrandis Sacramentis vitanda omnino est rei cuiusque temporalis exactio. Vetus Ecclesia libenter accipiebat oblationes illas, quas ad Ecclesiae ministros, ac pauperes alendos fideles ipsi ultro exhibebant, nunquam vero in Sacramentorum administratione pretium, pecuniamve repetiit: *pretio nulla res Dei constat*, ait Tertullianus (9), *etiamsi quod arcae genus est, non de honoraria summa quasi redemptae Religionis congregatur. Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, et si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert.* Hinc concilium lateranense II. sub Innocentio II. in hunc modum decernit (10): *et neque pro pastu, vel sub obtentu alicuius consuetudinis ante, vel post a quoquam aliquid exigatur, vel ipse* (qui Sacramenta suscipit) *dare praesumat, quoniam simoniacum est.* Idipsum praescribunt

(1) Trid. sess. XXIII. de ref. cap. 13.—(2) Tit. III. cap. I.—(3) Eadem synod. prov. ibid.
(4) Synod. trid. sess. XXIV. de ref. cap. VII.—(5) Synod. trid. sess. VII. can. XIII. — (6) Cap. XII. — (7) Syn. provinc. 11. const. 2.—(8) I. syn. prov. neap.
(9) Apol. XXXIX. — (10) Cap. II.

synodus lateranensis III, et quae postea secutae sunt synodi: unius vero synodi provincialis neapolitanae (1) verba hic ponam: *cum gratis communicanda noverimus, quae gratis accepimus, et Apostolus cupiat magis mori, quam ut gloriam hanc quis evacuet, omni vigilantia providendum, ut omnis avaritiae, vel simoniacae labis suspicio de medio tollatur, prohibeaturque ne quid in Sacramentorum administratione directe, vel indirecte exigatur sub poenis de iure statutis, aliisque arbitrio Ordinarii infligendis.* Eadem habet I. synodus provincialis mediolanensis (2).

IX. Ceterum sicut vetitum non est fidelibus aliquid eleemosynae loco ministris offerre, ita ex altera parte licet ministris huiusmodi oblationes accipere (3). At in hac oblatorum receptione quaevis vel tacita pactio vitanda est: id elucet potissimum, quum eadem promptitudine divitibus, ac pauperibus Sacramenta ministreutur: nam nulla, aut exigua ab istis, ab illis maxima, copiosaque speratur eleemosyna. Hinc eadem neapolitana synodus ibidem: *ante collationem nihil sacerdos exigat, post vero laudabilis consuetudo servetur, ita tamen, ut non exigatur per spiritualium subtractionem.*

X. Quod vero aliquando parochi, congrua aliunde portione destituti, ex huiusmodi populi oblationibus vitam transigant, indecens visum non est sancire, vel taxare, quid parocho in Sacramentorum administratione, aliisque sacris sanctionibus conferendum sit. Mos iste, si minus in caeteris Sacramentis, in quibus haud levi populi offensioni foret, in matrimonio tamen administrando potissimum invalut. Neque enim oppido timendum est, ne ob iura solvi consueta, vel sancita, matrimonium differatur; neque haec dilatio maximo semper est discrimini. Adhaec adnotat Espenius (4), parochialia huiusmodi iura videri *in locum decimarum personalium (quae de iure communi debentur, et hodie passim in desuetudinem abierunt) successisse: ut sicuti laici eo titulo debebant de omni suo lucro decimas dare sacerdotibus, ita vice illarum solvant iura illa vel viventes, dum matrimonium ineunt, vel post mortem, dum sepeliuntur.*

TITULUS III.

DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE

I. Iure antiquo ordinarius Baptismi minister in primis habebatur Episcopus: unde Tertullianus de Baptismo (5): *dandi Baptismi ius habet*, inquit, *summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc presbyteri, et diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate.* Et quidem Episcopi plerumque per se ipsi baptismum conferebant; nude S. Hieronymus de Episcopis generatim scribit (6): *dant baptismum, catechumenos erudiunt.*

II. Porro iure novo Parochi, animarum cura cum iure administrandi Sacramenta semel ab Episcopo accepta, sicut illam independenter ab Episcopo, et quasi iure proprio exercent, ita tamquam ordinarii ministri baptismum conferunt: caeteri vero presbyteri, aut diaconi extra casum necessitatis ba-

(1) Cap. XII.—(2) Part. II. const. I. — (3) Conc. later. IV. cap. II. de simonia.
(4) Part. II. tit. I. cap. 3. — (5) Cap. XVI.—(6) In Cap. III. Sophoniae.

ptizare vetantur, nisi petita, et impetrata a parocho, vel ab Episcopo facultate. At diaconos quod spectat speciale quid sancitum reperitur a Gelasio P. scilicet *ut absque Episcopo, vel presbytero baptizare non audeant, nisi praedictis ordinibus fortasse longius constitutis, necessitas extrema compellat* (1) Unde inter presbyterum, et diaconum illud agnoscunt discriminis Canonistae, quod presbytero possit pro lubito parochus baptismi ministerium committere, diacono vero nonnisi ubi legitime impeditus fuerit.

III. Necessitate urgente non modo clerici inferiores, verum et laici quicunque privatim, et sine caeremoniis baptizare possunt (2). Synodus quidem illiberitana (3): *cathecumenos in necessitate infirmitatis constitutos, ubi Ecclesia in proximo non fuerit, iis tantummodo laicis baptizare permittit, qui lavacrum suum*, h. e. Baptismum *integrum habeant, et bigami non sint:* unde a baptismate etiam in casu necessitatis conferendo arceri videntur bigami, et poenitentes Verum uti in eundem canonem observat doctiss. Albaspinaeus, *subintelligi vult, si plures laici tali tempore non defuerint, tum statui omnino vult, unus ut e laicis, qui nondum poenitentiam exsolverit, neque bigamus fuerit, baptizet.* Igitur ubi clericus non adsit, qui semper in hoc ministerio laicis est praeferendus, neque laici prae laico selectio fieri potest, a quocumque homine sive fideli, sive infideli baptismus licite recipi poterit. Unde Eugenius *part. IV.* in instructione pro Armenis diserte docet: *in casu necessitatis etiam* paganus *baptizare potest.* Porro in quacunque etiam extrema necessitate neminem posse seipsum baptizare respondit Innocentius III. (4), quum inter baptizatum, et baptizantem debeat esse discretio Quod vero infantes in mortis periculo constituti plerumque ab obstetricibus baptizentur, hinc *nulli foeminae licet sub poena excommunicationis obstetricis munus exercere, nisi a proprio Parocho ad baptismum in necessitate conferendum fuerit adprobata* (5).

De tempore conferendi Baptismatis

IV. Sollemnia Baptismati conferendo in Ecclesia constituta tempora praecipua erant Pascha, et Pentecostes (6). Unde Hieronymus ipse (7) Zachariae Prophetae vaticinium: *exibunt aquae vivae ex Hierosolyma... in aestate, et hieme erit*, quod LXX. Interpretes legunt εν θερει, και εν εαρι *in aestate, et vere*, multos ad duo sollemnia Baptismi tempora adplicare scribit. Porro non deerant Ecclesiae, praesertim in Oriente, in quibus etiam Epiphaniae sollemnitas Baptismati conferendo addicta erat (8). Et in Ecclesia hierosolymitana auctor est Sozomenus (9) in encaeniis Ecclesiae Constantino M. super Christi sepulchrum aedificatae dictae *anastasia* Baptismum conferri consuevisse. Quod vero in quibusdam per Hispanias, et Gal-

(1) Can. XIII. dist. XCIII.—(2) Tertull. de Baptismo XVII., Hieron. in dialogo contra luciferianos. — (3) Can. XXXVIII.

(4) Cap. IV. de Baptismo. — (5) Syn. II. prov. neap. ibid: syn. prov. mediol. IV. part. II. const. 2. — (6) Tertull. de Baptismo, cap. XIX. Hieron. epist. LXI. ad Pammachium cap. XVI. — (7) Comment. in Zachariam cap. XIV.

(8) Nazianz. orat. XI. de Baptismo. — (9) Lib. II. cap. 26.

lias Ecclesiis mos invaluerit, ut Baptismus etiam in festis Apostolorum, et Martyrum diebus conferretur, hanc consuetudinem *improbabilem, et emendandam confusionem* adpellat Siricius *P.* (1). Tum S. Leo epistola ad Episcopos Siculos *irrationabilem novitatem* vocat quorundam per Siciliam Episcoporum *πρᾶξιν praxim*, qua in vigilia, et die Epiphaniae Domini Baptismum conferebant. Adeo certum est in Ecclesiis, praecipue occidentalibus, nonnisi duo Baptismati conferendo constituta fuisse tempora; nimirum Pascha, et Pentecosten: id quod ad VIII usque saeculum obtinuisse constat ex Gregorio II. (2). Eandem banc veterem consuetudinem renovare conatus, et Benedictus XIII. in Synodo Romana (3). Tum caeremoniale Episcoporum praescribit ne per octo dies ante vigilias Paschae, et Pentecostes, nisi periculum immineat, infantes baptizentur. Ac demum Rituale Romanum de Baptismo adultorum monet *decere huiusmodi Baptismum, ex apostolico instituto, in sabbato sancto Paschatis, vel Pentecostes sollemniter celebrari.*

V. Iam vero in laudatis R. Pontificum decretalibus ab generali regula ii excipiuntur, qui in mortis, aegritudinis, vel naufragii periculo versautur: quum igitur infantum vita inopinatis casibus sit obnoxia, ut nulla de eorundem vita securitas baberi possit; hinc ex vetusta quoque ecclesiastica consuetudine obtinuit, ut ipsis, quamprimum commode fieri possit, baptisma conferretur. Antiquitus quidem, nisi aliud postulaverit necessitas, in proximo Paschate, vel Pentecoste baptizabantur, uti colligere est ex Augustino (4), et ex Ambrosio de mysterio Paschae (5): at secutis temporibus satius visum est non diu paedobaptismum differri. Unde in II. synodo provinciali neapolitana (6), parentes iubentur ultra octavum ab ortu diem infantis baptismum non differre, gravissimis in parochos sancitis poenis, quorum negligentia quisquam sine baptismo decesserit.

Baptismus nonnisi in Ecclesia conferendus.

VI. Antiquitus in sola cathedrali Ecclesia baptismus sollemnis administrabatur, in ea enim tantummodo amplum erat baptisterium plerumque extra Ecclesiam constructum. Neapoli adhuc extat prope veteris cathedralis Ecclesiae situm Ecclesia S. Ioanni sacra amplum in medio babens baptisterium, ubi neapolitani sacris aquis abluebantur. At multiplicato fidelium numero in principalioribus Ecclesiis, vel prope eas baptisteria aedificata sunt, quae propterea Ecclesiae baptismales dictae sunt ad distinctionem parochialium quae baptisterio carebant, uti mox observabimus (7). Porro secutis temporibus, uti parochi ordinarii baptismi ministri facti sunt, ita omnes passim erectae parochiae baptisteria acceperunt, in quibus parochiani sollemniter baptizarentur, Ecclesiamque parochialem, ceu matrem, venerarentur. Quare Concilium viennense (8), (quod secutae sunt Provincialis synodus neapolitana) prohibuit, *ne quis in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesiis, in quibus sunt*

(1) Epist. ad Himerium tarraconensem cap. I.—(2) Epist. IV.—(3) Tit. XXVI. cap. I.—(4) Serm. CLX.—(5) Cap. V.—(6) Tit. III. cap. II.—(7) Tit. XI.
(8) Clemen. unic. de Baptismo.

ad hoc fontes specialiter deputati (nisi Regum, vel Principum, quibus valeat in hoc casu deferri, aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi) audeat baptizare. Idem praescribit I. synodus provincialis Mediolanensis (1).

De cathecumenis

VII. Cathecumeni ii semper in Ecclesia audiere, qui per plures veluti christiani tirocinii gradus ad baptisma disponebantur, ac praeparabantur. Profecto verbum πατεχειν in sacro novi Foederis Codice haud semel *in primis christianae Religionis elementis instituere* significat (2). Unde Tertulliano (3) *novitioli*, et Augustino (4) *tyrones Dei* dicti sunt, quod eam vitae conditionem amplecterentur, quae milites Dei, et vitae aeternae candidatos ipsos efficeret.

VIII. Nemo ad catechumenatum sine sollemni manuum impositione, eiusque comite oratione admitti consuevit (5). Adiungi quoque consuevit obsignatio adhibito Crucis signo. Unde Augustinus (6): *catechumenos secundum quendam modum suum per signum Christi, et orationem manus impositione puto sanctificari.*

IX. Catechumeni vulgo tres in classes dispescuntur: scilicet in *audientes, genuflectentes*, et *competentes*, sive *electos*. Audientes ii dicebantur, quibus in Ecclesiam ingredi licebat ad sermones, et sacras Scripturas, quae in priori Missae parte recitabantur, audiendas. Verum antequam preces inchoarentur, e vestigio eos abire oportebat, diacono ex excelsiore loco proclamante : *ne quis audientium*, etc. (7). Genuflectentes, sive prostrati ii erant, qui in Ecclesia post Episcopi sermonem persistentes, manuum impositionem cum propriis quibusdam precationibus in genua provoluti recipiebant (8). Tandem proximi Baptismo candidati competentes, sive electi nuncupabantur. Competentes, quod ab Episcopo publice in Ecclesia Baptismum peterent: electi vero, quod ab Episcopo, peracta ipsorum examinatione, eligerentur, ut Baptisma proxime futuris diebus festis acciperent. Unde ab Cyrillo hierosolymitano (9) φωτιζομενοι *illuminandi*, et ab auctore constitutionum Βαπτιζομενοι *baptizandi* dicuntur.

X. Methodus, qua catechumeni electi ad Baptismum deducebantur, haec potissimum erat. Adpropinquante Paschatis festivitate primum nomina sua dabant, quae Episcopo mandante a sacerdote, vel diacono speciatim ad hoc negotium deputato scriptis Ecclesiae inserebantur, quae proinde *dypticha* dicta sunt. Sequebatur exacta, ac pluries repetita exploratio, quasnam in antegressis catechumenatus gradibus progressiones fecissent. Tum viginti ante baptismum diebus exorcizabantur. *Exorcismi* precationes erat e sacris litteris collectae, et compositae ad Deum orandum, ut satanae in illis potestatem frangeret, tum ab ipsis spiritum erroris, et pravitatis expel-

(1) P. II. const. 2. — (2) Epist. I. ad cor. 14., et ad galat. 6. — (3) Tertul. de Poenit. 6. — (4) August. de symb. ad cathecum. 2. — (5) Conc. II. Illiber. can. XXXIX, et arelat. I. can. VI. — (6) De peccatorum meritis II. 26.
(7) Const. apost. VIII. — (8) Const. apost. ibidem 6; conc. nicaen. can. XIV. — (9) Catech. I; et II.

leret. Durante exorcismorum tempore catechumeni variis detinebantur exercitationibus, nimirum ieiuniis, abstinentiis,et speciatim ab usu coniugii, geniculationibus, pervigiliis, peccatorum confessione, chameuniis, lacrymis, iniuriarum condonatione, pauperum commiseratione etc. Dein Fidei symbolum edocebantur, quod memoriae ipsis mandandum erat coram Episcopo in ultimo ante baptismum examine recitandum. Symboli recitationem ex tempore excipiebat orationis dominicae institutio, dicta oratio fidelium, quippe quae a solis baptizatis adhibere poterat. Adhaec aptas edocebantur responsiones, quibus in Baptismo utendum èrat, ubi ab Episcopo, vel presbytero baptizante interrogabantur. Postremo aliquot ante Baptismum diebus velati incedebant, et in aliquibus saltem Ecclesiis eorundem tum aures tangebantur, ipsis dicendo *ephpheta*, tum oculi luto illiniebantur. Eiusmodi methodum vix indicasse satis esto de eadem exquisitius in nostris *antiquitatibus christianis*.

XI. Constat igitur ritus, et caeremonias, quas hodie in Baptismate conferendo observari praecipit Ecclesia, tantae esse antiquitatis, ut eorundem institutio saltem ex parte apostolicae traditioni recte deferatur (1). Qua de re piaculum omnino est, vel illas omittere, vel non ea, quae tantum mysterium decet, reverentia adhibere. Ubi contigerit infantem ob mortis periculum domi baptizatum supervivere, ad Ecclesiam adducendus est, ut omissi ritus celebrentur; id quod vetus ecclesiastica traditio docet, et synodales constitutiones praescribunt. Synodus dioecesis neapolitanae an. 1669. *de Baptismo cap. III.* decreuit: *si forte metu mortis baptizatus celeriter infans domi fuerit, recteque deinde convaluerit, ad reliquas Ecclesiae caeremonias suscipiendas mature in Ecclesiam deferatur.*

De patrinis

XII. *De patrinis* iuvat pauca subnectere: ac primo olim *sponsores*, *fideiussores*, aut etiam *Fidei dictatores* dicti sunt, quippe qui de fide, et sufficienti catechumenorum instructione sponderent. Uti quoque interdum *offerentes* adpellati sunt, eo quod catechumenos ad baptismum offerrent.

XIII. Praecipua patrinorum muuia erant,baptizantium institutioni praeesse, eosdemque Episcopo baptizandos offerre, et e sacro fonte suscipere. Porro distinctione opus erat masculos inter, et foeminas, scilicet ut pro illis viri, ac plerumque diaconi: pro his vero mulieres, ac praecipue diaconissae ad eiusmodi munus seligerentur. Quum enim catechumenae nudae in aquas immergerentur, et ex aquis suscipiendae essent, hinc pudori muliebri, et honestati consulendum fuit (2).

XIV. Antiquitus quidem parentes naturales ut plurimum suos praesertim infantes filios baptismo offerebant, ac pro iisdem profitebantur, et fidem spondebant (3). At vero extraneis etiam dabatur id munus obire, praesertim ubi de orphanis, proiectis, servulis, aliisque id genus baptizandis ageretur (4). Porro spirituali cognatione coniugia dirimente secutis temporibus inducta, parentes vetati sunt suos e baptismo filios suscipere:

(1) Tertul. lib. de coron. milit. cap. III. Basilius lib. de Spiritu S. cap. XXVII.
(2) Const. apost. lib. III. cap. 16.—(3) August. epist. XXIII.—(4) August. ibid.

nullus proprium filium, aut filiam de fonte baptismalis suscipiat (1): sola necessitas parentes omni hac in re et poena, et culpa solvit (2).

XV. Adhaec caveant patrini, ne existiment sponsioni suae se satis facere, si aliquod post baptismum munus baptizato, vel baptizati parentibus offerant, sed potius *intelligant se Christo filios spiritualiter generare, tenerique ex vi susceptionis eos in catholica fide, et probis moribus instruere, si modo parentes hoc facere neglexerint iuxta sacros canones* (3). Qua de re ab patrini munere excrcendo repellendi sunt excommunicati, interdicti, infames, ac notorie flagitiosi, et qui christianae fidei rudimenta ignoraverit (4). Neque admittendi sunt monachi, vel cuiusvis Ordinis regulares, aut moniales per mandatum procurationis (5).

XVI. Demum plura hac in re saluberrima praecipit II. synodus provincialis neapolitana 1. *Plures patrini in Baptismo non adhibeantur, sed unus, vel una, vel ad summum unus, et una.* 2. *Sanctorum tantum nomina baptizatis imponantur.* 3 *Baptismus collatus statim a Parocho, antequam baptizatus ab Ecclesia discedat, in libro consueto, quem paratum prope baptisterium retineat, adscribatur .... huiusmodi baptismorum liber clave apud solum Parochum servanda custodiatur.* Postremo parochi non omittant patrinos *monere de spirituali contracta cognatione, scilicet inter susceptores, et baptizatum ipsum, ac illius patrem, et matrem, nec non inter baptizantem, et baptizatum, et illius patrem, et matrem.* Eadem praescribit S. Carolus Borromaeus in suis synodis provincialibus, ac praesertim in I. (6).

De Sacramento Confirmationis

XVII. Quoniam Baptisma prioribus Ecclesiae saeculis, uti modo observavimus, ut plurimum per Episcopum administrabatur, hinc ea ubique generatim viguit consuetudo, ut hominibus statim post lavacrum regenerationis, Confirmationis quoque Sacramentum conferretur (7). Ii tantummodo casus excepti erant, scilicet ubi Episcopus abesset, vel si qui in villulis, castellis, aliisque ab Ecclesia matrice dissitis locis, aut aegritudine urgente in lectulos per presbyteros, vel diaconos Baptismum reciperent (8). Adhaec generalis illa praxis non modo in adultis, verum et infantibus adcurate observabatur (9): et in Ecclesia graeca hodiedum servatur, uti colligitur ex Graecorum rituali, et probat Iacobus Goar (10).

XVIII. Verum secutis temporibus Ecclesiae satius visum est, Confirmationem in eam aetatem differre, in qua baptizati ratione utentes maiori cum fructu illam reciperent, praesertim quum infantibus cum hoste pugnandum non sit, cuius rei caussa huiusmodi Sacramentum a Christo Do-

(1) Syn. mogunt. can. LV.

(2) Can. VII. caus. 30. q. 1. —(3) I. Syn. prov. neap. cap. XIV.— (4) Syn. dioeces. neap. an. 1694. p. II. cap. 2. — (5) Ibidem.

(6) I. Part. II. const. II., et IV. part. II. const. II. — (7) Tertul. de Baptismo cap. VII., et VIII. Cyrillus hierosol. cateches. mystag. cap. III. n. 1., et auctor constit. apostol. lib. VII. cap. 43., et 44. — (8) Hieron. contra Lucifer. cap. IV.— (9) Innoc. I. epist. 1. cap. III: Gregor. M. epist. ad Ian. Calarit. lib. III. ep. IX.— (01) Goar in notis ad Rituale pag. 367.

mino institutum est. Synodus I. provincialis neapolitana (1) vetat, ne *illi, qui nondum quinque sit natus annos, Confirmationis Sacramentum conferatur*: verum aliae synodi septennium requirunt.

XIX. Tum II. synodus provincialis neapolitana plura hac in re praescribit. 1. Caveant mulieres, *ne saeculi luxu, et procaci corporis cultu, ac satanae pompis adfluentes, quibus in baptismo renunciarunt, ad Confirmationem accedant: easque, sive confirmandae sint, sive matrinae, repellendas esse decernit* (2). 2. *Nomina confirmati, eiusque parentum, et patrini aut matrinae, et patriae a magistro caeremoniarum in peculiari quodam libro digesta conscribantur.* 3. *Mares a solis moribus, foeminae a solis foeminis in Confirmatione suscipiantur, neque ulli liceat plures, quam duos eadem die in Confirmatione tenere sine Ordinarii licentia.* 4. *Qui non sunt notu maiores confirmandis, aut nondum ipsi confirmati sunt, pro patrinis in hoc Sacramento non admittantur.* 5. Studeant parochi fideles admonere, ut ea cum pietate, et religionis ardore *ad hac Sacramentum accedant, ut dum caro inungitur, anima consecretur.* Adhaec 6. de eiusdem Sacramenti natura, vi, salutaribusque effectis fidelem populum edocere satagant, *ut omnes intelligant, illud non modo non negligendum, aut nimium differendum, verum et ardenti animo expetendum* (3). Neque demum 7. omittant fideles admonere, tum de charactere, quod per illud in anima imprimitur, tum etiam de spirituali cognatione, quae inter confirmatum, ipsiusque parentes, atque patrinum contrahitur.

XX. Manuum impositionem, eiusque comitem orationem essentialem esse huius Sacramenti materiam, et formam communis poene est theologorum, et canonistarum sententia. Profecto 1. Sacrae Litterae manuum impositioni, eiusque comiti orationi virtutem Spiritus S. adscripsere (4). 2. Semper, et ubique in confirmandis neophytis adhibita est. 3. Non alia ratione potest evinci contra haereticos ex sacris Litteris confirmationis veritas.

XXI. Plerique theologi contendunt etiam unctionem aeque ac manuum impositionem ad essentiam pertinere huius Sacramenti. Id quod probant 1, quod veteres Patres utrique gratiae spiritualis effectum ex aequo videantur tribuere 2, quod Patres omnium antiquissimi Tertullianus, Cyprianus etc. utramque semper adhibitam memorent. 3, quia utraque cum immemorabili institutione expressius Sacramenti Confirmationis effecta significare videatur.

XXII. Verum non desunt canonistae, et theologi, et quidem non imi subsellii, uti Habert, Aurelius, Sirmondus Sambovius, l'Herminier, etc., qui censent solam manuum impositionem essentialem esse huius Sacramenti materiam.

Profecto 1, Apostoli nonnisi manuum impositione ad conferendum neophytis Spiritum S. usi videntur: *tunc imponebant manus semper illos, et accipiebant Spiritum S.* (5): *et quum imposuisset illis manus, venit Spiritus S. super illos* (6). *Dehinc manus imponitur, per impositionem advocans, et invitans Spiritum S...... tunc ille sanctissimus Spiritus*

(1) Cap. XIV. — (2) Tit. III. cap. 3. — (3) Syn. dioeces. an. 1694. p. II. cap. III.
(4) Act. Apost. VIII, XIX. — (5) Act. VIII; — (6) Act. XIX.

super emandata, et benedicta corpora libens a Patre descendit (1). Particula sane illae *tunc, quum* etc. manuum impositionem, et quidem praecise iudicant.

2. Non potestatem ungendi, sed potestatem manus imponendi ab Apostolis Simon magus emere adtendavit. Porro homo praestigiis adsuetus, si vidisset oleum ab Apostolis adhibitum, potius illud, magicum ratus, ab ipsis emere studuisset.

3. Sacrae Litterae locis indicatis manuum impositionem memorant, tacent unctionem: atqui tacent et Patres. Fac Apostoli unxerint: Patres sacras litteras explicantes unctionem supplessent, vel inde ratiocinando eduxissent: nullus omnino vel explicando supplevit, vel ratiocinando eduxit, plures etiam aperte negarunt: uti Patres concilii moguntini (2).: *hoc Sacramentum*, inquiunt, *ab initio sola manuum impositione adhibitum*, *mox sub ipsis Apostolorum temporibus ex eorundem traditione adhibita chrismatis unctione coepit conferri.*

4. Si utraque Sacramento ϑσιώδης *essentialis* habita fuisset, profecto una ab altera indivulsa fuisset, immo unum morale constituissent. At contra post lavacrum regenerationis, et unctionem, ante vero manuum impositionem vestium candidarum indumentum recenset Ambrosius (3). Mellis, et lactis societatem qua Christus suos infantat (4). Vestis albae adsumptionem (5). Tum presbytero, immo et aliquando diacono permissum baptisma, permissa et unctio: at manuum impositio semper vetita, nisi vel super energumenos ex Innocentio I. (6), et ex concilio carthaginensi IV., vel super cathecumenos ex synodis hispaniensibus. Hinc profecto emicat Unctionem antiquitus habitam fuisse tanquam Baptismi ritum, vel potius mediam inter Baptismum, et Confirmationem; illius quidem perfectivam, huius vero praeambulam.

5. Postremo non idem specie chrisma latinum, et graecum. Latinum est oleum simplex cum modica balsami quantitate commixtum: graecum vero ex auctore *ecclesiasticae hierarchiae* collectio est bene spirantium materiarum, et ex euchologiis Goarii, et Hamberti oleo balsamum, et tres, ac triginta aromatum suaveolentium species admiscentur librarum pondere fere nonaginta; quae non modico vino commixta, et igne diu concocta unguentum componunt ab oleo specie diversum: et quidem 1., entitate 2, virtute 3, effectu, *entitate:* olea enim, praesertim aromatum igne concreta, non sensibilibus modo, verum et insensibilibus invicem partibus resoluta formam priorem immutant, ac novam compositi totius adsumunt: et quidem eo tenacius, quo ramosae partes invicem intextae firmius adhaerescunt, ac difficilius in pristina resolvuntur; adeo in tertiam quandam, quae chimicis, et physicis balsamum proprie dicitur, entitatem coalescunt. *Virtute:* potentissima enim haec sunt, et caustica prae oleo simplici, quod blandissimum est, ac vitae delicium. Demum *effectu:* illa enim incendunt, exurunt, penetrant, adstringunt, oleum contra molliendis, relaxandis, fovendis partibus adcommodatum. Iam vero si haec in aqua mutatio fieret,

(1) Tertul. de Baptismo VII.
(2) Cap. XVIII.—(3) Lib. II. de Sacr. cap. VII.—(4) Tertull. lib. I. contra Marcionem. —(5) Cyrillus catech. IV. mystag. —(6) Epist. ad Decentium.

nullus aquam hanc artefactam, specie diversam a simplici, adfirmare detrectaret Baptismo prorsus ineptam. Quum igitur essentiales Sacramentorum materiae immutabiles sint, et eaedem in Ecclesia fuerint, ac nunc sunt, uti erudite demonstrat Morinus (1), et sanioris doctrinae theologi docent; quisnam, quaeso, unctionem apud latinos, et apud graecos specie diversam essentialem Confirmationis materiam iure adfirmare quiverit? Sunt et alia argumenta, quae ab Sirmondo, Sambovio, aliisque huius sententiae patronis producuntur; praecipua indicasse satis esto ad dignoscendum quam gravi culpae se reddat obnoxium, qui manuum impositionem recipere negligeret: Sacramentum enim periculo nullitatis exponeret. Verum ubi ex ignorantia omissa sit, Sacramentum iterandum non est, sed caute supplendum, quod incaute fuerat omissum (2). Porro de hoc capite fusiori calamo agemus in nostris *antiquitatibus christianis*.

XXIII. Illud hic adnotare lubet: scilicet antiquissimam esse Ecclesiae praxim, ut chrisma nonnisi ab Episcopo conficiatur, a quo dioecesani archipresbyteri, vel parochi illud singulis annis accipiant (3). Qua de re synodus toletana I an. 400. decernit (4): *quamvis poene ubique custodiatur, ut absque Episcopo chrisma nemo conficiat: tamen quia in aliquibus locis, vel provinciis presbyteri dicuntur chrisma conferre, placuit ex hac die nullum alium nisi Episcopum, chrisma facere, et per dioecesim destinare.* Porro praxis chrisma conficiendi in coena Domini nonnisi saeculo VI. inducta videtur: ipsius enim prima occurrit mentio in sacramentario S. Gregorii, quod per illud temporis conscriptum est.

TITULUS IV.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE

I. Sacramentum Corporis, et Sanguinis Christi a s. Paulo, et ab antiquis Patribus aliquando dictum *coena Domini*, *communio*, *eulogia*, *viaticum* etc., ut plurimum *Eucharistia* adpellari consuevit, quod in eius usu Deo gratiae agantur (5): id quod et ipse Christus praestitit in eius institutione. Nonnisi a sacerdotibus, dum Missae Sacrificium peragunt, consecranda est: atque adeo ipsamet non Sacramenti modo rationem habet, verum et divinum novae Legis Sacrificium constituit, cuius ministri soli presbyteri a Christo Domino instituti sunt. Diaconi tantummodo ex Episcopi, vel presbyteri delegatione illam administrandi potestatem habent, quo munere antiquitus quam saepissime fungebantur. Eucharistiam enim ab Episcopo acceptam ad absentes diaconi deferebant (6). Tum etiam in quibusdam Ecclesiis illam in Missa sollemni fideli populo distribuebant. Verum praecipue diaconis dominici Sanguinis dispensatio concredita erat. Excipe presbyteros, qui illam αμεσως *immediate* ab Episcopo, vel presbytero loco Episcopi celebrante accipiebant (7). Verum ex quo desiit communio laicorum

(1) De administr. Sacram. Poenitent. VIII. 18.
(2) Cap. I. de Sacr. non iterandis. — (3) Conc. chartag. IV. can. XXXVI.
(4) Can. XX.
(5) Iustinus apol. II. — (6) Iustinus M. ibid. — (7) Syn. nic. can. XVIII.

sub specie vini, diaconi ea praerogativa privati sunt; id quod saeculo XII. vergente, et XIII. ineunte contigisse videtur.

II. Iure novo solis parochis Eucharistiae administratio reservata est: hinc religiosi sub poena excommunicationis (1) ipso facto incurrenda vetantur absque speciali presbyteri parochialis licentia Eucharistiam cuicui sive clerico, sive laico administrare. Verum secutis temporibus non modo presbyteri quicunque, verum et religiosi dum Missae Sacrificium peragunt cuique illam petenti porrigunt: id quod hodiedum obtinet. Qua de re ius parochiale ad solam communionem paschalem, et Viatici administrationem redactum est.

III. Olim statim post collatum Baptismum recens in Christo genitis non adultis modo, verum et infantibus Eucharistia impertiri consuevit: quam quidem consuetudinem ad saeculum usque XI. in aliquibus saltem latinis Ecclesiis viguisse haud obscure indicat Hugo a S. Victore, qui ea tempestate scripsit. Apud graecos etiamnum eadem disciplina servatur, uti ex eorundem ritualibus, atque euchologiis colligitur, testaturque Graecorum rituum peritissimus Arcudius de Sacramento Eucharistiae (2).

IV. Verum secutis temporibus contraria in Ecclesiam consuetudo inducta est, scilicet ut Eucharistia pueri non reficiantur, nisi ubi *ratione aetatis, et discretionis eiusdem coelestis doni capaces* fuerint: synodus neapolitana (3). Quae tum vetat, ne quis *ad primum divini corporis convivium accumbat, qui facultatem non obtinuerit a parocho*: tum et ipsimet parocho mandat, ut ipse puerulos *instruat, declaretque omnia, quae de hoc Sacramento fides tradit, ac edoceat animi praeparationem, et modum, quo ad recipiendum ipsum Deum sub specie panis latitantem accedere debeant.* Ceterum pueros in extremis agentes, qui Poenitentiae Sacramento capaces fuerint, sacro Viatico munire parochi non dubitent (4).

V. Infideles, catechumeni, haeretici, ecclesiasticis censuris obstricti, ac generatim notorii quique peccatores, uti publici usurarii, homicidae, blasphemi, concubinarii etc. a sacro convivio arcendi sunt: neque enim fas est *sanctum dare canibus, aut proiicere margaritas ante porcos* (5). Quod vero ad publicos peccatores spectat satis non est, ut sint sacramentaliter confessi, verum et requiritur, ut publico scandalo satisfecerint. Quod si occulte petant, haud ipsis Eucharistia deneganda est, dummodo qui adsunt eos ad frugem bonam se recepisse noverint (6).

VI. *Mortis supplicio perituris Eucharistiae Sacramentum non est subtrahendum* (7). Porro *ante diem, quo mortis supplicium subiturus est reus, Eucharistia ei* conferatur, *vel saltem mane eiusdem diei, quo ad mortem trahendus est, nullique dubium sit ad id de iure* parochos *teneri.* Idem habet V. synodus provincialis mediolanensis *constitutione* X. Eadem praxis viget quoque in universa Italia, et Germania: at contra in

(1) Clementina I. de privilegiis.
(2) Lib. III. cap. 2. — (3) Syn. dioeces. neap. an. 1694. p. II. cap. 4.
(4) Bened. XIV. syn. dioeces. lib. VIII. cap. 12.
(5) II. syn. prov. neap. tit. III. cap. 4.—(6) Ritual. rom. de sacr. Euchar.
(7) I. syn. prov. neap.

Galliis, et in Hispaniis reis ultimo supplicio damnatis, etiam poenitentibus, contritis, ac confessis Eucharistia non conceditur (1).

VII. Aevo apostolico, primisque Ecclesiae saeculis fideles vel quotidie, vel pluries per hebdomadam Christi Corpus accipiebant: neque enim quis divinis mysteriis interesse permittebatur, nisi qui et offerre, et de oblatis participare posset: id quod diu viguit, uti erudite demonstrat Cardinalis Bona (2). Verum deinde tepescente charitate sensim res eo delata est, ut plures synodi saeculo IX. celebratae decreverint laicos ter saltem per singulos annos communicare debere. Tandem remisso per universum orbem pietatis studio Ecclesia veluti coacta est praeceptum suum ad annuam communionem restringere (3): id quod firmavit synodus tridentina (4). Porro annuae communionis praeceptum iure communi nonnisi in Ecclesia parochiali, at ex disciplina Ecclesiae neapolitanae vel in Ecclesia cathedrali, vel in propria parochia, et quidem tempore Paschae, h. e. a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive adimplendum est, *nisi iustam ob caussam, et ex consilio proprii Sacerdotis in aliud tempus differre oportuerit.* (5). Pro civitate et dioecesis neapolitanae venia Congregationis Concilii tempus, quo annuae communionis praeceptum est adimplendum, primum an. 1694. ad diem usque Adscensionis, dein an. 1743. ad festum usque Trinitatis prorogatum fuit.

VIII. Aegroti quoque, et in carceribus detenti annuae communionis praecepto obstringuntur. Quinimo diutino morbo laborantes salutaribus monitis hortetur parochus, ut semel saltem singulis mensibus Eucharistiam percipiant (6). Porro in deferenda infirmis Eucharistia plura parochis observanda sunt. Ac 1, distinguant inter communionem *per modum viatici*, et *ex devotione*: illam enim tanquam iamiam morituris, quamvis non ieiunis, dabunt, et quidem peculiari forma, quae praescribitur in Rituali Romano *accipe frater* etc. Haec vero ceteris infirmis pietatis studio communicantibus nonnisi ante omnem cibum, et potum conferenda est, ita ut ne per modum quidem medicinae antea quidquam illis sumere liceat. 2, Parochus diu noctuque praesto sit ad Eucharistiam infirmis deferendam, ne eius negligentia quis sine hoc tutissimo, potentissimoque viatico decedat. Iam inde enim ab antiquissimis temporibus Ecclesiae quammaxime semper id curae fuit, adeo ut furentibus tyrannorum persecutionibus fidelibus eam etiam domi retinere permiserit, ut mortis urgente discrimine tanto muniti viatico alacriori animo ad martyrium properarent 3, Eucharistia nonnisi publice, ac pio fidelium, ac praecipue clericorum comitatu ea, quae tantum Sacramentum decet veneratione ad infirmos deferenda est. Parochi igitur partes erunt *populum saepissime hortari, ut frequens, assiduusque illam comitetur. Ea de re societates Corporis Christi in parochiis instituantur, ut audito campanae sono omnes adcurrant. Si enim erga umbram tam celebrem cultum pius, ac sanctus ille rex David legitur exhi-*

(1) Iuveninus de Sacram. diss. IV. Cap. 5.—(2) Rer. liturg. lib. II. cap. 7.
(3) Conc. later. in cap. *omnis utriusque sexus* XII. de poenit. et remiss. — (4) Sess. XIII. can. IX. de Eucharistia. — (5) I. syn. prov. neap. cap. XV. de Eucharistiae Sacram. — (6) II. syn. prov. neap. ibid.

buisse, quid faciendum ergo purissimam illam arcam, ubi omnis inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter? (1).

IX. Quamvis antiquitus ss. Eucharistiae Sacramentum nonnisi in Missa fideli populo adorandum exhiberi consueverit, deinde tamen mos in Ecclesiam inductus est, primum ut publice per plateas solemni pompa circumferretur, dein etiam ut in altari publicae fidelium venerationi proponeretur. Illud saeculo XIV. primum obtinuisse videtur: neque enim apud Urbanum IV. sollemnitatis Corporis Christi institutorem, neque apud s. Thomam, aliosque eiusdem aetatis scriptores quidquam de eiusmodi processionibus, sive supplicationibus occurrit, sed primum earundem meminit concilium senonense an. 1320. Hoc vero ex ipsius Sacramenti publica, ac visibili circumgestatione verosimiliter originem sumpsisse demonstrat Ioannes Baptista Thiers (2).

X. Publicas venerabilis Sacramenti aeque circumgestationes, sive processiones, ac expositiones praescribere, ac ordinare propria Episcoporum auctoritas est. Hinc regulares ex pluribus s. Congregationis Concilii decretis vetantur in suis Ecclesiis etiam ex caussa publica ss. Eucharistiam publice exponere, vel extra claustra circumferre, nisi venia ab Episcopo petita, et obtenta.

TITULUS V.

DE SACRAMENTO ORDINIS

I. *Ordinis* vocabulum apud veteres Ecclesiae Patres haud raro eo sensu accipitur, quo hierarchiam denotat, sive sacrorum ministrorum τάξιν *dispositionem*, et principatum, quo inferiores superiori parent, eidemque subiecti sunt, atque hinc, qui ecclesiastica pollent auctoritate, in ordine constituti dicuntur. Porro hic strictiori notione sacram denotat Ecclesiae caeremoniam, qua Episcopi manuum impositione, aliove sensibili signo ad sacra ministeria aliquos deligunt, et initiant.

II. Iam vero eiusmodi sacra caeremonia Sacramenti quoque rationem habet, quo intuitu recte definitur: *Sacramentum novae legis a Christo Domino institutum, quo traditur potestas consecrandi, offerendi, ac ministrandi eius corpus, et sanguinem, peccata remittendi, vel retinendi, necnon sacerdotio ex officio deserviendi* (3). Eiusmodi Sacramentum fuisse a Christo Domino institutum, omnesque veri novae Legis Sacramenti characteres preseferre late demonstratum habebis in tractatu theologico *de Sacramentis in specie*.

III. Non omnibus, et singulis aeque superioribus, atque inferioribus ordinibus Sacramenti rationem convenire, sed tantummodo Episcopatui, Presbyteratui, et Diaconatui, qui divinae sunt institutionis, concors poene est canonistarum sententia. Et sane, uti *libro superiori* iam satis demonstravimus, Hypodiaconatus, aliique inferiores ordines nonnisi ecclesiasticae

(1) I. syn. prov. neap. ibid. et V. syn. prov. mediolan. const. X.
(2) Dissert. de exposit. Ven. lib. II. cap. I. — (3) Trid. sess. XXIII. de sacr. Ordinis cap. I; et II.

institutioni tribuendi sunt, ac tantummodo eo sensu, quo in Diaconatu, tamquam, in suo fonte, et origine, unde tanquam surculi emanarunt, quodam sensu institutionis esse divinae dixeris. Porro hanc quaestionem definire noluit synodus tridentina, quum definiens *in Ecclesia catholica esse hierarchiam divinâ ordinatione statutam, quae constat ex Episcopis, presbyteris et ministris* (1), dedita opera ab adponenda voce *diaconis* abstinuerit, ne illorum theologorum, et canonistarum sententiam reprobare videretur, qui inferiores ordines a Christo Domino institutos fuisse autumant.

IV. Iam vero in singulis ordinibus, ac potissimum in superioribus plures gradus distingui possunt, uti in Diaconatu archidiaconi, Presbyteratu archipresbyteri, chorepiscopi, parochi etc., ac demum, et praecipue in Episcopatu, scilicet Metropolitani, Primatis, sive Exarchi Patriarchae, et supra reliquos Romani Pontificis, cuius in universa Ecclesia primatum non humani, at divini iuris, non honoris modo, et dignitatis, verum et potestatis, auctoritatisque libro superiori *tit. IX.* satis vindicavimus. Plura de sacra ordinatione eodem superiori libro dedimus, ac praecipue *tit. XXIV.*, ubi de moribus, scientia, aetate aliisque ordinandorum requisitis conditionibus, de interstitiis, de titulo, ac de proprio ordinationis Episcopo, de litteris dimissorialibus, ac tandem de temporibus ordinationum non pauca disseruimus. Illud igitur hic superest, ut quae ad Ordinem, prout est Sacramentum, spectant, *δια βραχέων breviter* explicentur.

V. Ac primo de materia. Nullus unquam dubitavit, *manuum impositionem* a Graecis *χειροτονιαν*, et *χειροθεσιαν* dictam, *ουσιωδην essentialem* esse Sacramenti Ordinis materiam, formam vero eiusdem comitem orationem. Illud autem addunt Morinus, aliique non imi subsellii theologi, et canonistae, nimirum in sola manuum impositione *ουσιαν essentiam* Sacramenti Ordinis esse constitutam, id quod pluribus demonstrant.

1. Apostolus in duplici ad Timotheum epistola, ubi de eiusdem sive in Episcopum, sive in presbyterum ordinatione agit, nonnisi manuum impositionis meminit: atque adeo soli manuum impositioni gratiae collationem adscribit (2). Idem prorsus dicas de S. Luca, qui *actorum VI.* diaconorum referens ordinationem haec habet: *hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus.*

2. Ad decimum usque saeculum per solam manuum impositionem Episcopi, presbyteri, et diaconi ordinati sunt: nulla enim vel sacrae unctionis, vel instrumentorum porrectionis mentio occurrit in omnibus ritualibus, et sacramentariis saeculo X. antiquioribus.

3. In plerisque orientalibus Ecclesiis non modo antiquitus, sed et hodiedum in Episcoporum, presbyterorum, et diaconorum ordinationibus sola adhibetur *χειροτονια* neque unquam latinis improbatae sunt eiusmodi ordinationes.

4. Concilium carthaginense IV. (3) Episcoporum, Presbyterorum, et diaconorum describens ordinationem, nonnisi manuum impositionem memorat, nulla adiecta porrectionis instrumentorum mentione, quam tamen Ca-

(1) Sess. XXIII. can. VI. — (2) Epist. I. IV. 14: et II. 1. 6.
(3) Can. II. III; et IV.

nonibus sequent bus expresse exhibet, quum de ordinatione inferiorum clericorum loquitur. Eadem habet de diaconis synodus ancyrana *can. IX.* et synodus nicaena *can. XIX.* diaconissas in censu laicorum habet, quod nullam recipiant χειροτονιαν.

5. Concilium tridentinum (1) constituit eiusdem Sacramenti ministrum esse aut Episcopum, aut sacerdotes ab Episcopo per manuum impositionem rite ordinatos.

VI. Neque dicas Eugenium IV. in instructione pro Armenis edita porrectionis duntaxat Instrumentorum mentionem iniecisse. Eugenii enim σκοπος *finis* ille tantummodo fuit, Armenos nimirum id docere, in quo ab Ecclesia Romana dissidebant, minime reiecta, quam sane tacite intelligebat, manuum impositione, utpote quae apud ipsos iam usurpabatur, et in qua cum Ecclesia Romana consentiebant (2).

VII. De forma sat constat, eam scilicet esse orationem, quae manuum impositionem comitatur. Et sane 1, in actibus apostolorum oratio manuum impositioni coniungitur 2, ex antiquissimo Ecclesiae instituto manuum impositio nunquam ab oratione disiuncta fuit ac 3. Concilium carthaginense IV., sacramentarium gregorianum, aliique veteres qua latini, qua graeci rituales libri non alia referunt verba ab Episcopo ordinante pronuntianda, quam orationem, quae impositis manibus recitaretur.

VIII. Hactenus explicata eo fine protulimus, ut inde colligamus, primam manuum impositionem, quam nulla comitatur forma, tum tertiam, quae adiuncta habet verba ab Episcopo pronuntianda: *accipe Spiritum sanctum etc.*, tum et sacrum chrisma, quo ordinandi inunguntur ab Episcopo dicente: *consecrare*, *et sanctificare digneris Domine*, *etc.*, tum demum et instrumentorum porrectionem, quae adnexam habet formam *accipe potestatem etc.* non esse, nisi ritus accidentales, ac caeremonias ab Ecclesia institutas, quo expressus varii Sacramenti Ordinis effectus significarentur. Huiusmodi autem ritus omnino omittendi non sunt, tum quia ab Ecclesia sanciti, et pluribus abhinc saeculis religiosissime adhibiti, tum vero praecipue, quod non desunt, qui aeque in manuum impositione ac in instrumentorum porrectione adaequatam, ut theologi loqui amant, Sacramenti Ordinis materiam constituunt.

IX. Quod tandem ad Hypodiaconatum, aliosque inferiores ordines attinet, in explorato est, traditionem instrumentorum, ac verba, quae tunc recitari solent, materiam, et formam, eorundem constituere. Id liquet tum ex concilio carthaginensi IV. (3), tum ex pontificalibus aeque antiquis, ac recentioribus Ecclesiae occidentalis. Porro in Ecclesia graeca etiam per manuum impositionem conferuntur, uti ex eiusdem euchologiis porquam manifestum est.

X. Solum Episcopum iure divino legitimum esse sacrae ordinationis ministrum fuse demonstrant theologi: et nonnulla nos etiam delibavimus *libro superiori*, ubi et late explicatum invenies, quisnam, quod ad Ordinationem attinet, proprius cuiusque Episcopus dicendus sit. Illud hic dun-

(1) Sess. XIV. de Extrema Unctione cap. III. —(2) Morinus de sacris ordinat. p. III. exercit. XI. cap. I. et exercit. XIV. cap. I.
(3) Can. V. VI. VII, VIII; et IX.

taxat innuere iuvat, nimirum Hypodiaconatus, aliorumque inferiorum ordinum ministerium posse a R. Pontifice simplici presbytero delegari. Concilium tridentinum in hunc modum decernit (1): *abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum, etiamsi nullius dioecesis, et exempti esse dicantur, cuiquam; qui regularis sibi subditus non sit, tonsuram, vel minores Ordines conferre.* Profecto abbates cistercienses bullas pontificias producunt, quibus ipsis impertitur facultas Hypodiaconatum, aliosque inferiores Ordines conferendi: quapropter Hypodiaconatus, inferiorumque Ordinum veluti ministri extraordinarii sunt censendi.

XI. Eadem synodus tridentina (2) anathema quidem in eos infligit, qui negaverint esse in Ecclesia praeter Sacerdotium alios Ordines, et maiores, scilicet Diaconatum, et Hypodiaconatum, et minores, scilicet, acolythos, exorcistas, lectores, et ostiarios. Verum in hac definitione de industria abstinuit ab adhibenda voce *tantum*, aliave simili, quemadmodum (3) definierat de Sacramentis, ea nimirum non esse neque plura, neque pauciora, quam septem. Nonnulli enim aeque theologi, ac canonistae, quorum sententiam amplectimur, contendunt Episcopatum Sacramentum esse, et Ordinem a Presbyteratu distinctum: tum nonnulli Canonistae primam tonsuram in censu habent Ordinum inferiorum; ac demum in Ecclesia graeca plures olim fuerunt Ordines inferiores, quam modo habeat Ecclesia latina: verum de hoc capite satis egimus libro superiori *tit. XXIII.*

XII. Illud denique hic ὡς ἐν παρόδῳ advertere praestat, veterem Ecclesiam iuxta Apostoli monitum (4): *manus cito nemini imposueris*, clericorum potius paucitatem, quam multitudinem studuisse, quum in magna clericorum copia vix esse nequeant, qui otio non torpescant, vel saecularibus curis se non immisceant. Porro eiusmodi fuisse veterem Ecclesiae disciplinam pluribus evincitur.

Ac 1. uti libro superiori *tit. XXIV.* iam ostendimus, quum antiquitus nefas fuerit clericos ordinare Ecclesiae alicuius ministerio non adscriptos, illud sane in more erat, ut in singulis Ecclesiis nonnisi singuli, vel ad summum bini constituerentur presbyteri, clerici vero inferiores vix unus, aut alter (5).

Tum 2. ex pontificali romano Damaso tributo constat veteres R. Pontifices adeo parce presbyteros, vel diaconos ordinasse, ut centum, et quinquaginta annorum intervallo ab tredecim R. Pontificibus vix centum et unum, ac quinquaginta presbyteros, diaconos vero nonaginta ordinatos invenias. Qui quidem licet omnino rari videantur; tamen Irenaeus in Romana Ecclesia sua aetate frequentes fuisse clericos scribit (6). Adposite Bellarminus (7): *haec certe paucitas tantorum Pontificum deberet omnes Episcopos serio admonere, ut nonnisi viros doctos, probos, et eo gradu dignos eligerent, quod omnino facerent, si decorem domus Dei ex animo diligerent.*

(1) Sess: XXIV. de ref. cap. 10. — (2) Sess. XXIII. can. II. — (3) Sess. VI. can. I. — (4) Epist. I. ad Timoth. V. 22.
(5) Conc. sardic. can. II: conc. carthag. III. can. XLV: conc. tolet. VI. can. II. — (6) Lib. III. contra haereses apud Cotelerium in vindiciis epist. Ignatii cap. 13. — (7) Epist. ad suum Nepotem Episc. teanensem.

3. S. Leo m. referens illud Apostoli *manus nemini cito imposueris*, *neque communicaveris peccatis alienis*, qua maxima potest tum animi, tum orationis contentione Episcopos admonet, ne *ante maturitatem aetatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinae sacerdotalem honorem* tribuere audeant (1): profecto ubi haec prae oculis haberent Episcopi, non adeo frequentes otiosis clericis dioeceses essent, neque Ecclesia haberet, unde quereretur de multiplicata quidem gente, non de magnificata simul laetitia (2).

XIII. Instituti ratio vetat plura in hanc rem adferre: illud tamen hic subnectendum duco, veterem in hoc capite Ecclesiae disciplinam nullam subiisse mutationem, neque a pristino statu aliquantum declinasse. Secutis enim temporibus haud raro identidem antiquae redintegratae sanctiones occurrunt, uti constat tum ex capitularibus regum francorum, et synodis per ea tempora habitis, tum ex concilio lateranensi III. *can. V.*, quo vetantur Episcopi *aliquem sine certo titulo in diaconum, vel presbyterum ordinare;* id quod Innocentius III. ad hypodiaconos etiam extendit: ac demum ex concilio tridentino (3), ubi sancitur, *ut nullus deinceps clericus saecularis, quamvis alias idoneus sit scientia, moribus, et aetate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, legitime possidere*. Et alibi (4): *sancta synodus vestigiis sexti canonis concilii chalcedonensis inhaerendo statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiae aut pio loco, pro cuius utilitate, aut necessitate adsumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus*. Non me latet modo laudato *cap. II.* Patres tridentinos titulum patrimonii, vel pensionis agnovisse, ac probasse, at illud quoque certum est, eiusmodi titulos ea duntaxat caussa admisisse, si id Ecclesiae necessitas, vel utilitas postulasset: *patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus iudicaverit adsumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum*. Hae tridentinae sanctiones novissima concordatorum lege firmatae, atque adeo ad ordines etiam minores, primamque clericalem tonsuram extentae sunt (5).

XIV. Coronidis tandem loco hic addam auream in hanc rem Benedicti XIV. constitutionem, a qua mihi temperare non potui, ubi omnium retro R. Pontificum sapientissimus Papa universos christiani orbis Episcopos ita hortatur: *in id mentis vestrae acies primum dirigenda est, ut cum adcurato delectu ii clericali militiae adscribantur, a quibus merito possit expectari, ut iis in lege Domini ambulantibus, et de virtute in virtutem euntibus, eorum vita cunctis adferat venerationem, et eorum opera Ecclesiis vestris spiritualem adferat utilitatem. Melius enim profecto est paucos habere ministros, sed probos, sed idoneos, atque utiles, quam plures, qui in aedificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, nequidquam sint valituri. Apostoli praeceptum, ut ne manus cuiquam nimis propere imponantur, tunc potissimum servari necesse est, ubi de*

(1) Epist. ad afros LXXXVII. cap. 1. — (2) S. Bernardus de convers. ad cler. cap. XXIX. — (3) Sess. XI. de ref. cap. II. — (4) Sess. XXIII. cap. 16.
(5) Cap. IV. n. 1; et 2.

promovendis ad sacros ordines, et ad sacratissima mysteria, quibus nihil est divinius, agendum sit.

TITULUS VI.

DE POENITENTIA

I. Sacramentum Poenitentiae olim ab antiquis Ecclesiae Patribus *confessio, manuum impositio, viaticum, secunda tabula post naufragium, laboriosum Baptisma,* aliisque adpellationibus designatum, tribus potissimum partibus, quasi materia constat, scilicet peccatorum confessione, contritione, et satisfactione, sive potius proposito satisfaciendi: formam vero constituit absolutio, quae antiquitus enunciabatur verbis deprecativis, at secutis temporibus proferri coepit verbis indicativis, quod et hodie obtinet, ac Rituale R. praescribit (1).

II. Prioribus Ecclesiae saeculis, atque adeo fere ad saeculum usque XII. triplex in Ecclesia viguit poenitentiae genus, scilicet sollemnis, sive canonicae, publicae, et privatae. Verum de hoc veteris disciplinae capite late agemus in nostris *antiquitatibus christianis*, uti etiam de canonibus, et libris poenitentialibus. Illud hic duntaxat observaro praestat, veterem Ecclesiae disciplinam in poenitentia sollemni, et publica iniungenda non esse omnino abolitam. Synodus enim tridentina decernit, ut ubi de criminibus agatur, quae publice, et coram multis sint perpetrata, *condignam pro modo culpae poenitentiam publice iniungi* oporteat (2), verum facultatem Episcopo tribuit, qua possit publicum poenitentiae genus in aliud secretum commutare, si id conducere iudicaverit. Adhaec sollemnem etiam poenitentiam etiamnum Episcopis in pontificali exhibet Ecclesia, eiusque ritum exacte describit, ut pro temporum, locorum, atque criminum gravitate, et personarum qualitate eam reducant. Huic autem iniungendae *dies cinerum*, quemadmodum publicae absolutioni *feria V. in coena Domini* aptissimum iudicatur tempus (3). S. Carolus Borromaeus ad utriusque publicae, ac sollemnis poenitentiae instaurationem Episcopos, parochosque hortatur in suis synodis.

III. Septem prioribus Ecclesiae saeculis non modo *in gravissimis delictis*, verum et *in minoribus* reservata Episcopo erat facultas poenitentes reconciliandi (4). Verum et hac lege idem canon eum eximit, qui ob crimen occultum publicam ab Episcopo impositam poenitentiam iam peregisset; hic enim poterat absente Episcopo a presbytero, etiam inconsulto Episcopo, reconciliari. Nam canonicam inter, et simpliciter publicam poenitentiam id discriminis intercedebat, quod illa nonnisi ab Episcopo publice in Ecclesia ante epsidem per manuum impositionem iniungeretur, qua peracta eadem sollemnitate fiebat reconciliatio, haec vero pro occultis peccatis quemadmodum secreto ab Episcopo, vel a presbytero Episcopi aucto-

(1) Eugenius IV. in decreto pro Armenis: syn. trid. sess. XIV. de Poenit. cap. IV. — (2) Sess. XXIV. de ref. cap. VIII.

(3) Pontificale rom. part. III. n. 2; et 3. — (4) Cyprianus epist. II. syn. carthag. can. XXXII.

ritate imponebatur, ita, ea peracta, etiam reconciliatio occulte fiebat, et quidem vel ab Episcopo, vel Episcopo absente, ipso etiam inconsulto, a simplici presbytero.

IV Iam vero post saeculum VIII. uti publica pro occultis peccatis *poenitentia* in desuetudinem abiit, ita quoque occultorum criminum poenitentiam presbyteris concessam fuisse creditum est, publicorum tantummodo Episcopis reservata. Hoc autem non de omnibus promiscue presbyteris intelligas, sed de iis duntaxat, quibus cura animarum commissa erat, scilicet parochis. Et quidem ex eo tempore ius excipiendi fidelium confessiones ipsi beneficio parochiali *αμεσως immediate* adnexum haberi coepit (1). Atque inde est, quod ad saeculum usque XIII. quisque adstrictus erat proprio sacerdoti, sive parocho, aliive superiori sua peccata confiteri, uti patet ex cap. *omnis utriusque sexus* (2), ubi etiam in haec verba decernitur: *si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de caussa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non possit solvere, vel ligare.*

V. Episcopis, et aliis superioribus, necnon minoribus praelatis exemptis Gregorius IX. primus indulsit, *ut etiam praeter sui superioris licentiam providum, et discretum sibi possint eligere confessarium.* Tum idem hic Gregorius fratres praedicatores privilegio fidelium confessiones excipiendi impertiit (3), quod dein alii mendicantes, praesertim minores consecuti sunt. Verum eiusmodi privilegium ad ea tempora inauditum quum gravia praelatos ac parochos inter, et mendicantes dissidia excitasset, haec *prorsus evellere, ac omnimode submovere intendens* Bonifacius VIII. sanxit, ut regulares administrandae Poenitentiae veniam pro idoneis fratribus ab Episcopis, praelatisve dioecesanis postularent: quod si autem hi renuerent, possent quorumlibet confessiones libere audire (4). Tum Benedictus XI. ordinis praedicatorum maluit Ordinarios cogere ad impartiendam tres intra dies designatis a superiore fratribus petitam veniam: quibus elapsis munus Confessarii obirent sine impedimento (5). Dein Clemens V. Bonifacii constitutionem innovavit (6): illam vero Benedicti Alexander V. ex ordine minorum restituit (7): tum qui secuti sunt R. Pontifices potius favere, quam adversari eiusmodi Regularium privilegiis studuerunt. Tandem synodus tridentina decernit (8): *nullum etiam regularem posse confessiones saecularium etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi ad parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, et adprobationem, quae gratis detur, obtineat: privilegiis, et consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus.*

VI. Modo iudicata illa mendicantium privilegia nonnisi salvo *parochi*, sive proprii sacerdotis iure sunt intelligenda: tum quod in privilegiis salvum semper censetur *ius tertii*, tum vero praecipue, quia eo sensu privilegia

(1) Trid. sess. XXI. de ref. cap. IV. — (2) Cap. XII. de Poenit; et remis. — (3) Bulla data Anagniae IV. Kal. octob. 1227.

(3) Cap. II. de sepult. in extravag. comm. — (4) Extravag. comm. cap. I. de privilegiis. — (5) Clement. *dudum* II de sepulturis. — (6) Constit. *regnans in excelsis.* — (7) Sess. XXIII. de ref. cap. XV.

illa interpretati sunt R. Pontifices, ac praesertim Martinus V., et Xystus IV. Ille enim in bulla an. 1281. expresse declarat, quod ii, qui fratribus confitebuntur, *suis presbyteris parochialibus* confiteri, *saltem semel in anno, prout concilium generale statuit,* teneantur. Hic vero praecipit (1), ut ipsi mendicantes docere desistant, haud teneri parochianos, saltem Paschatis tempore, proprio sacerdoti peccata sua confiteri: *quia*, ait, *de iure tenetur parochianus saltem in Paschate proprio confiteri sacerdoti.* Plures synodi etiam post concilium tridentinum antiquam consuetudinem semel saltem in anno proprio parocho confitendi inviolate servandam decrevere (2). Porro ipsemet sanctissimus Archiepiscopus Borromaeus in sua synodo dioecesana XI. Parochis imperat, ut *faciles se praebeant in consentiendo parochialibus suis, de quibus nulla sit suspicio, ut ad alios confessarios probatos se conferant.* I. synodus provincialis neapolitana hac de re sic decernit: *servetur constitutio fel. rec. Innocentii III., ut saltem semel in anno proprio sacerdoti, vel alteri ab Ordinario adprobato, singuli peccata sua confiteantur sub poenis ibi contentis, atque aliis arbitrio nostro pendendis.* Profecto postrema haec verba satis indicant eam fuisse concilii sententiam, nimirum parocho saltem constare debere suos parochianos annuae confessionis praecepto fecisse satis.

VII. Igitur iure novissimo in singulis dioecesibus Episcopi, parochi, aliique, quibus animarum cura concredita est, Sacramenti Poenitentiae ministri sunt ordinarii, et proprii, ceteri vero sive presbyteri. sive regulares illud iure veluti extraordinario, et delegato administrant. Tum parochi vi sui beneficii facultatem habent excipiendi confessiones suorum parochianorum etiam extra propriam parochiam, atque adeo dioecesim, ceteri vero presbyteri, nisi reipsa ab Episcopo adprobati sint, confessiones excipere vetantur, et quamvis ab Episcopo fuerint adprobati, attamen *dum in alienis parochiis hoc Sacramentum ministrare usuvenerit, a parocho, vel ab Ordinario licentiam ministrandi impetrent* (3). Quinimmo his Episcopi pro suo arbitrio limitatam ad tempus, personas, et materiam concedere solent facultatem. Plerumque ad sex menses impertiri solet, et aliquando pro viris tantum ratione aetatis. Adhaec ut plurimum confessiones monialium excipiuntur, quibus exquisito confessario opus est, nonnullique casus atroces, quos sibi Episcopus reservat (4). Sunt quoque casus veteri consuetudine R. Pontifici reservati, a quibus ut quis absolvi potuisset, olim Romam eundum fuit. At hodie Episcopis, nonnullisque presbyteris facultas de iisdem absolvendis a Romano Pontifice impertiri solet.

VIII. De casibus R. Pontifici reservatis, uti quoque de reservatis Archiepiscopo neapolitano opportunius in institutionibus moralibus. Illud hic tantummodo observare iuvat, reservationum utilitatem in eo praecipue positam esse, ut homines perpensa absolutionis difficultate, ab illis criminibus abhorreant. Poenitentiarius veluti Episcopi delegatus est, ut de iis cognoscat, et absolvat. In mortis autem articulo quilibet presbyter a quibuscumque, etiam Papae reservatis, criminibus morti proximum absolvit, modo

(1) Extravag. *vices*. III. de tregua.
(2) S. Carolus Borr. in I. syn. prov. mediol. part. II. cap. VI.
(3) I. syn. prov. neap. cap. XVI.—(4) Trid. sess. XIV. de Sacr. Poenit. cap 7.

is quaedam poenitentiae signa edat. Sed ne fraudi locus sit, aegroti ante omnia, ut hoc Sacramento se muniant, admoneantur, praesertim a medicis, quibus *praeceptum est* (1) *ut ad aegrotos adducti, antequam illorum curam suscipiant, eos moneant, ut idoneo confessario sua peccata confiteantur, alioquin ultra triduum ad eos visitandos non accedunt iuxta constitutionem Pii V, quia valde praeposterum est, neglecta nobilioris, ac semper duraturae animae cura, curando momentaneo pulveri tantopere invigilare.*

IX. Non desunt auctores, inter quos Ioannes Morinus (2), qui docent olim apud latinos etiam diaconos confessiones in extremo vitae periculo excepisse, lapsisque dedisse reconciliationem, atque absolutionem a peccatis, presbytero absente. Huic sententiae prora, et puppis est illud Cypriani (3), ubi haec habet (4): *si incommodo aliquo, et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata praesentia nostra apud presbyterum quemcunque praesentem, vel si praesens non fuerit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, et manu eis in poenitentiam imposita veniant ad dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt.* At vero Carolus Blaschus vir cl de Re Canonica benemerentissimus post expositas, reiectasque plures theologorum, canonistarumque in productum locum interpretationes, suam adfert, qua contendit Cyprianum tantummodo exomologesim diaconis tribuisse, hoc est caeremonias, ritusque ab Ecclesia praescriptos, qui tertium publicae poenitentiae gradum constituebant, scilicet *prostrationem*, graecis adpellatum ὑπόπτωσιν; haud vero manuum impositionem, quam absolutio a peccatis comitabatur, quamque diacono non tribuit Cyprianus (5) Hanc quidem interpretationem a Pamelio (6), Baluzio (7), Petavio (8), aliisque satis indicatam, iam produxerat in suis theologicis disciplinis Ioannes Laurentius Berti (9). At vero eaudem vir egregie doctus in modo indicata dissertatione petitis undique ex antiquis Patribus, atque adeo ab ipso Cypriano argumentis mire adstruit, eruditisque animadversionibus illustrat. Tum pluribus idem cl. auctor inquirit num quisquis sacerdos, licet excommunicatus, et degradatus, valide urgente mortis periculo absolvat, adhaec quodnam mortis periculum revera urgens dici possit erudite explicat. Modo indicatae in hanc rem dissertationes omnino adeundae.

X. Iam vero illud, quam maxime possunt, Episcopis curandum est, ac quam diligentissime providendum, ne *temere sacerdotes ad confessiones audiendas admittantur, sed curam adhibeant non mediocrem, ut tam saeculares, quam regulares clerici exactissime de vita, moribus, et doctrina examinentur, et probentur, ne vel caeco caecum ducente ambo in foveam cadant, si scientia desit* (10).

XI. Tum Confessariis haud levibus intentatis poenis graviter mandat, ne

(1) Eadem syn. prov. neap. ibid.
(2) Lib. VIII. de Poenitentia cap. 23. — (3) Epist. XII. ad Clerum de lapsis.
(4) Tom. II. opusc. dissert. I. — (5) In Tertull. pag. 200. — (6) In epist. Cyprian. XIII. — (7) In diatr. de Poenit et reconc. cap. II.
(8) Lib. XXXIV. part. II. cap. 4.—(9) Ibid. dissert. II.—(10) Eadem syn. prov. neap. ibid.

petant, aut exigant a poenitentibus pecuniam, aliudque temporale lucrum, sive ob poenitentiam pro peccatis perferendam, sive quod res sit restitutioni obligata, sive pro votorum commutatione, sive pro celebratione Missarum, nec omnino quidquam quovis quaesito colore (1).

TITULUS VII.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

I. Extremae Unctionis ministros sacrae litterae solos presbyteros aperte produnt (2) et ex traditione Ecclesiae nonnisi parochus, vel eius delegatus illam iure administrat. Regulares sub poena excommunicationis latae sententiae, et Sedi Apostolicae reservatae, vetantur hoc Sacramentum clericis, vel laicis ministrare (3). Apud graecos more ab Ecclesia latina nunquam improbato non Episcopi modo, verum et simplices presbyteri, ac potissimum parochi sacrum Oleum conficiunt, ac benedicunt (4). Verum in Ecclesia latina ex antiquissima consuetudine nonnisi Episcopi hanc consecrationem, sive benedictionem peragunt.

II. Extrema unctio quibusnam ministranda sit perbelle exponit I. synodus provincialis neapolitana cap. XVIII: *ut autem Sacramentum hoc neque sanis corpore ministrandum est, nec iamiam ingressuris mare ventorum vi turbatum, nec paullo post praelium commissuris, nec capite damnatis, nec denique infantibus nondum rationis usu praeditis: ita neque eis denegandum est, quibus, mortifero vulnere accepto, mortis imminet periculum, sive supervenieute febre correpti, sive vulnere tantum e vita decedant, etsi nec peccata confessione expiare, nec Eucharistiam sumere potuerunt, modo tamen ostenderint signa poenitentiae* Tum parochis mandat, ut aegroto, dum integris est sensibus illud conferant, *nec in eum articulum temporis differatur, in quo infirmus sensu omni caret, speque recuperandae sanitatis.*

III. Sanctum oleum ad hoc Sacramentum, et ad baptismum necessarium quotannis renovandum est, et a parochis, ne sacrilegio violari possit, ea, qua par est, diligentia vasis argenteis bene clausis repositum servandum est, et quidem patenti in loco a cornu Evangelii prope aram maximam clave munito, quae a solo parocho servetur, ostiolo vero iuscribatur: *sacra Olea* (5).

IV. Quamvis non eadem semper fuerit Ecclesiae disciplina, ut haec, aut illa corporis membra stata lege sacro oleo inungerentur; quum interdum aut dumtaxat pectus, aut membrum quod maiori dolore cruciaretur, inungi consuevisse videamus, pluribus tamen abhinc saeculis mos invaluit, ut oculi, aures, os, manus, tum et pedes, ac renes obliuerentur. Ita Rituale Romanum praescribit: at ibidem subnectitur honestatis ergo in mulieribus renum unctionem esse omittendam, quod quidem et in viris ser-

(1) Eadem syn. prov. neap. ibid.
(2) Iacobi V. 14.—(3) Clement. I. de privileg: clement. II. de sepult.—(4) Goar in notis ad Rituale graecorum.
(5) II. syn. prov. neap. tit. III. cap. 6.

vandum iubetur, si eo morbo laborat infirmus, ut non sine incommodo moveri possit. Quod tandem ad formam, qua hoc Sacramentum confertur, attinet, ea olim indicativa potius fuisse videtur, licet orationem aliquo modo complecteretur, at deinde in deprecativam immutata est, quam et probavit synodus tridentina, et omnino adhibendam decrevit (1).

TITULUS VIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII

I. Matrimonium ritu ab Ecclesia praescripto legitime a fidelibus contractum verum esse novae legis Sacramentum adversus recentiores haereticos synodus tridentina definivit (2), tum et theologi argumentis e sacris Litteris, veterique Ecclesiae traditione deductis fuse demonstrant. Matrimonium trifariam dividi solet, scilicet ut aliud sit *legitimum*, h. e secundum leges gentium legitime contractum, aliud *ratum*, h. e. inter fideles sollemnitate ab Ecclesia sancita initum, aliud denique *consummatum*, h. e. ubi matrimonio iam celebrato carnalis inter spuosos accesserit coniunctio (3).

II. Matrimonium ceu novae Legis Sacramentum duobus potissimum constat, scilicet mutuo contrahentium consensu, et parochi, ac trium, vel saltem duorum testium praesentia Mutuus cunsensus, qui et efficiens matrimonii caussa dicitur ab Eugenio Papa IV. in decreto pro Armenis, necessum omnino non est ut verbis exprimatur, sed satis erit, ubi signis, et nutibus manifestabitur (4). Quum vero signa haud raro dubia sint, et aequivoca, hinc nonnisi necessitate quadam modo urgente admittenda sunt. Atque adeo, ut certius de consensu constet, parochi curent claram, nullisque ambiguitatibus obnoxiam verborum formulam in contractu matrimoniali adhibere.

III. Christus Matrimonii contractum ad Sacramenti rationem elevans ipsiusmet *ϑσιαν naturam* non immutavit, qua de re sicuti caeteri contractus, ita et matrimonium per procuratorem recte perficitur, qui tamen habeat ad hoc speciale mandatum. Quinimmo singulare quid in hoc contractu decernitur (5), scilicet, ut si dominus mandatum revocaverit, et hanc revocationem, tam mandatarius, quam ea, cum qua contractus ineundus est, ignorantes contractum ipsum celebraverint, adhuc tamen nullus est, et invalidus.

IV. Matrimonium ex sui natura requirit consensum de praesenti: qua de re, conditione de praeterito, vel de praesenti adiecta, matrimonium validum erit, vel nullum, quoad adiectae conditionis veritas constabit, vel falsitas: inde enim de consensu utrum adfuerit, an defuerit, rectissime iudicatur. Tum conditione de futuro adiecta contractus sponsalium potius est, quam matrimonium (6). Unde conditione impleta novus requiritur con-

(1) Sess. XIV. cap. I.—(2) Sess. XXIV. de Sacr. Matrim. cap. I.—(3) Cap. VII. de divortiis.—(4) Cap. XXIII. de sponsalibus.
(5) In cap. fin. de procuratoribus in VI.— (6) Gonzalez ad cap. III. de conditionibus adpositis.

sensus, praesertim post synodi tridentini sanctionem, coram parocho, et testibus renovandus. Iam vero quum ex eiusmodi conditionatis matrimoniis quamplurimae exoriri possint implicatae quaestiones, merito quidem vetita sunt, neque a parocho, ut coram se contrahantur, admittenda.

V. Cultus, quem filii familias parentibus debent, requirit, ut in matrimoniis ineundis parentum quoque exquiratur consensus, qui tamen ubi desse contingat, matrimonium invalidum non erit (1). Atqui eiusmodi matrimonia sine consensu parentum Ecclesia iustissimis ex caussis merito semper est detestata (2) Adhaec Principes etiam suis legibus illa gravibus intentatis poenis prohibuere Unde iure neapolitano filii familias vetantur matrimonia insciis parentibus inire.

VI. Ex antiquissima Ecclesiae disciplina matrimonia nonnisi coram Episcopo, vel sacerdote celebranda. Tertullianus coniunctiones, occultas, idest non prius apud Ecclesiam professas, moechias, et fornicationis nomine suspectas traducit (3). Atque adeo ante Tertullianum s. Ignatius Martyr epistola ad Polycarpum scripserat: *decet vero, ut ducentes uxores, et nubentes cum Episcopi arbitrio coniungantur, ut nuptiae iuxta Domini praeceptum sint, non autem ad concupiscentiam.* Idipsum secutis temporibus non modo canones ecclesiastici, verum et sanctiones civiles praescripsere, et quidem iure meritissimo ob gravia, quae ex clandestinis coniugiis ut plurimum mala exoriri consuevere.

VII. Quum vero repetitae huiusmodi leges satis non essent refraenandae hominum cupiditati, synodus tridentina ut efficacius tanto malo remedium adhiberet, in hunc modum sanxit (4): *qui aliter, quam praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere adtentabunt, eos s. synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: et huiusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit, et annullat.* Igitur matrimonia clandestina, quae olim vetita tantummodo erant, iure novissimo nulla etiam sunt, et irrita.

VIII. Ubi vir, et mulier in diversis parochiis degant, licet synodus tridentina non definiverit coram quo parocho matrimonium celebrandum sit, tamen ut plurimum ex peculiaribus locorum statutis coram parocho mulieris Matrimonia celebrantur (5). Tum nonnisi parochus domicilii ad matrimonium legitime advocatur, scilicet parochus illius parochiae, in qua mulier iuxta communem, ac vulgarem loquendi modum domicilium habere censetur; quamvis non ita fixum, ut perpetuo ibi manere intendat. Et ubi in duabus parochiis ita inhabitet, ut in utraque ex aequo domicilium habere censeatur, poterit ex duobus parochis alterutrum seligere.

IX. Vagos quod spectat, qui proprium domicilii Parochum non habent, ex synodi tridentinae praescripto 1, haud facile ad matrimonia admittendi, 2. parochis cavendum, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. 3, ubi alteruter ex sponsis fixum alicubi domicilium

(1) Syn. trid. sess. XXIV. de ref. matrim. cap. I. — (2) Syn. trid. ib'd.
(3) Lib. de pudicitia. — (4) Sess. XXIV. de ref. matr. cap. 4.
(5) I. syn. prov. neap Cap. XI.

habeat, coram huius loci parocho matrimonium est contrahendum, eo quod sic tridentino decreto satis fiat, quod proprii parochi praesentiam requirit. Porro 4, ubi uterque sponsorum revera vagus sit, ac neuter proprium ulla ratione parochum habere videatur, attamen coram Parocho omnino matrimonium est contrahendum, ut validum sit. 5, demum vagi ad matrimonium non admittendi, nisi saltem adtestationibus Pastorum, ubi novissimam sedem habuerint, probent se omni matrimonii, aut sponsalium vinculo esse solutos.

X. Parochus alteri sacerdoti facultatem adsistendi matrimonio sive scripto, sive voce delegare potest: at vero requiritur, ut id speciatim exprimat, adeout, ex nonnullorum sententia satis data non censeatur, si parochus generatim alicui det facultatem omnia Sacramenta administrandi. Episcopus etiam non modo ipse matrimoniis per universam dioecesim adsistere potest, verum et alteri etiam sacerdoti id committere non vetatur, et quidem etiam invito parocho, id quod nonnisi raro, et gravi urgente necessitate faciendum, ne videatur parochus veluti iure suo expoliari.

XI Tres quoque, aut saltem duo testes requiruntur, qui matrimonio simul praesentes sint, ut matrimonium sit validum ex eiusdem tridentini praescripto. Quum vero tridentini Patres nullam testium qualitatem expresserint, hinc communiter tradunt canonistae quoscunque testes admitti posse, modo mentis compotes, atque intelligendo sint, quid agatur. Neque enim satis est, ut parochus, ac testes corporaliter sint praesentes, sed moralis etiam eorundem praesentia requiritur, scilicet ut sciant, et intelligant quid agatur, ipsorumque testimonio matrimonium probari possit. Qua de re I. concilium provinciale neapolitanum *cap.* XL. parocho iniungit, ut librum habeat, *in quo coniugum, et testium, nomina, cognomina etiam, patriamque, diem, et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat.*

De ritibus Sacramenti Matrimonii

XII. Matrimonium peculiaribus quibusdam sacris ritibus iam inde ab antiquis Ecclesiae temporibus celebrari consuevisse tum ex pluribus constat, tum vel maxime ex nuper indicatis s. Ignatii, et Tertulliani locis. Praecipui sunt 1, ut in Ecclesia celebretur (1): et licet synodus tridentina., ac I. provincialis neapolitana tantummodo de benedictione in Ecclesia suscipienda loquantur, ex antiqua tamen consuetudine pluribus synodicis constitutionibus firmata ipsamet matrimonia nonnisi in Ecclesia, quae Sacramentorum proprius locus est, contrahenda (2).

2. Sponsos iam Ecclesiam ingressos parochus, postquam paucis de indissolubili matrimonii vinculo, aliisque matrimonii oneribus admonuerit, eosdem formula Rituali romano praescripta interroget sigillatim de consensu, quem clara, et intelligibili voce etiam sigillatim pronunciabunt.

3. Data sibi utrinque a sponsis fide, iisdemque dexteras invicem iungen-

(1) Capitularia reg. franc. lib. VII. cap. 179. — (2) Syn. dioeceses. neap. an. 1694. p. II. cap. 9.

tibus parochus formula eodem Rituali praescripta eosdem coniungit dicens: *ego coniungo*, etc.

4. Tum parochus benedicit annulum, et aqua benedicta aspergit, quem spousus de manu sacerdotis acceptum imponit in digito annulari sinistrae manus sponsae, sacerdote dicente: *in nomine Patris*, etc. Antiquissimum in Ecclesia annuli nuptialis ritum demonstrant vetusta Ecclesiae monumenta apud Baronium *ad ann.* 57.

5. His expletis, si benedicendae sint nuptiae, ex Rituali romano parochus Missam pro sponso, et sponsa celebrat, quae binas orationes post orationem dominicam, et alteram ante populi benedictionem super sponsos Deo fundendas continet, quae benedictionis loco sunt. Verum in quibusdam provinciis nuptiarum benedictio Missam praecedit, quem morem synodus tridentina non improbat: namque *ibid. cap.* 1. haec habet: *si quae provinciae aliis ultra praedictas laudabilibus consuetudinibus, et caeremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri s. synodus vehementer optat.*

6. Demum *sacerdos sermone gravi sponsos moneat, ut sibi invicem servent fidem: orationis tempore, ac praesertim ieiuniorum, et solemnitatum casti maneant: et vir uxorem, atque uxor virum diligat, et in timore Dei permaneant. Postea eos adspergat aqua benedicta, et dicto* placeat tibi s. Trinitas, *det benedictionem* (1).

7. Demum parochus manu sua describat in libro matrimoniorum nomina coniugum, et testium, aliaque, uti nuper ex synodo neapolitano provinciali observavimus.

De sponsalibus

XIII. Matrimonium debent praecedere sponsalia, promissio scilicet sollemnis, et iurata de matrimonio, quandocumque alteri id placuerit, ineundo, unde dicuntur sponsalia de futuro, quum aliquando ipsum Matrimonium sponsalium nomine designatum occurrat, adiecta tamen distinctionis gratia vocula *de presenti*. Sponsalia non clandestine, at publice, hoc est coram Parocho alterutrius coniugis ineunda: porro ut plurimum coram parocho sponsalia iniri solent, id quod Neapoli obtinet. Verum si clandestine celebrentur, licet illicita, tamen sunt valida. Neque enim ut valida sint aliud requiritur praeter consensum externe sufficienter expressum.

XIV. Sponsalia diu ante matrimonium celebrari possunt, immo etiam inter impuberes, modo infantiam egressi consentire possint. Verum hodie sponsalia saltem publica inter impuberes sine superiorum licentia non admittuntur; quinimmo iure neapolitano vetiti sunt filii familias etiam sponsalia iniussu parentum inire.

XV. Effectus sponsalium est, ut si promissio reciproca fuerit, vel in scriptis redacta, pars deficiens coram iudice ecclesiastico conveniri, et ad poenam canonicam condemnari possit. Porro ubi ex eiusmodi matrimonio, ad quod alterutra pars per censuras compelli potest, gravia oritura mala timeantur, iudici ecclesiastico satius erit ab censuris abstinere.

XVI. Sponsalia 1. mutuo consensu uti contrahuntur, ita quoque dissol-

(1) Missale romanum ad calcem Missae pro sponso, et sponsa.

vuntur, tametsi iuramento firmata sint; iuramentum enim ipsam naturam contractus non immutat. Porro sponsalia impuberum neque mutuo consensu dissolvuntur, nisi postquam ad annos pubertatis pervenerint (1).

Adhaec 2, dissolvuntur etiam sponsalia matrimonio cum tertia persona contracto (2). Verum si tertia haec persona moriatur, priore adhuc soluta, sponsalium obligatio ex parte illius, qui promissis non stetit, reviviscit (3).

3. Professione religiosa, atque adeo etiam solo in Religionem ingressu (4). Id quod de parte non ingrediente Religionem tantummodo intelligas, cui liberum est cum altera contrahere; pars enim, quae religionem ingreditur, si eam deserat, iterum Sponsalium promissione obligatur (5).

4. Morbo immedicabili, et contagioso alterutrius partis, sive morbus sponsalia praecesserit, et ignotus fuerit, sive post sponsalia supervenerit, licet sponsalia iuramento firmata fuerint (6). Idem prorsus de superveniente infamia, deformitate, aut etiam paupertate intelligas.

5. Fornicatione, vel stupro a sponsa admisso (7).

6. Demum sponsi in longinquas regiones per diuturnum tempus abscessu (8).

XVII. Iam vero illud hic omnino animadvertendum in modo indicatis infamiae, morbi, paupertatis, stupri, aliisque supervenientibus περιςασεσι *circumstantiis* dissolvi quidem sponsalia ex parte illius, cui haec contigerint, haud vero ex parte alterius. Unde si sponsa consenserit contrahere cum sponso, cui supervenerit infamia, deformitas, etc., hic omnino promissis obligabitur.

De proclamationibus

XVIII Propiorem matrimonio viam parant *proclamationes*, quarum vestigia occurrunt apud Tertullianum (9). Concilium lateranense IV. easdem matrimonium omnino praeire iussit (10). Constituit enim, ut *cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesia per presbyteros proponantur competenti termino praefinito, ut intra illud qui valuerit, et voluerit, legitimum impedimentum opponat.* At disertius tridentinum sanxit, ut *ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum sollemnia publice denuntientur, inter quos matrimonium sit contrahendum* (11).

XIX. Ubi sponsi diversae sunt parochiae, in utraque proclamationes, sive denuntiationes faciendae sunt: *Nec in matrice tantum parochia, sed etiam in qualibet alia, ubi populus aderit frequentior, inter Missarum solemnia parochus denuntiet, inter quos sit matrimonium contrahendum* (12). *In populi conventu ab ipsis parochis clara voce matrimonium*

(1) Cap. VIII. de desponsatione impub.—(2) Cap. XV. et XXII. de sponsalibus.
(3) Zypaeus in iure novo tit. de sponsalibus. — (4) Cap. II. de convers. coniugatorum. — (5) Andreas vallensis in notis ad hunc tit. — (6) Cap. ult. de coniug. leprosorum: cap. XXV. de iureiurando.—(7) Eodem cap. XXV.
(8) Cap. XXII. de sponsalibus. — (9) Lib. de pudicitia cap. IV.—(10) Cap. III. de cland. despons. — (11) Sess. XXIV. de ref. matr. cap. I.
(12) I syn prov. neap. cap. XL.

contrahendum proclametur, et nomina denuntiatorum in valvis Ecclesiae adfigantur (1). Denuntiationes quandoque convenit omittere, id quod Ordinarii prudentiae arbitrioque relinquitur (2).

XX. Ut dubitationibus, quae ex domicilii mutatione suboriri solent, consulatur, in eadem paroecia tres huiusmodi proclamationes ne fiant, nisi uterque, vel alter sponsus saltem quatuor ante mensibus ibi domicilium collocarit, breviori autem elapso tempore una quidem in ea, ad quam recens commigrarunt: duae reliquae, unde discesserunt, peragantur (3).

XXI. Post ultimum denuntiationum diem de diebus, quibus hae factae sunt, tum et de nominibus, cognominibus, patria, et contrahere volentium parochia, deque impedimentis, si qua fuerint opposita, parochus fidem faciat. Si vero post denuntiationes intra bimestre tempus nec ipse ut fidem faciat fuerit rogatus, nec matrimonium celebratum fuerit, denuntiationes denuo fiant, nisi aliter Ordinarius censuerit (4).

XXII. Unicus proclamationum σκοπος *finis* ille est, scilicet ut impedimenta, si qua revera sint, detegantur: qua de re graviter monendus est populus, ut illa parocho, vel Ordinario manifestare non renuat. *Poenas in sua dioecesi constitutas, aut constituendos incurrat quisquis, aut falsum impedimentum imposuerit, aut verum sibi compertum* retinuerit (5). Postremo parochus *matrimonium in Ecclesia publice per proclamationes non denuntiet, nisi prius sponsorum voluntatem, et libere praestandum contrahendi matrimonii consensum exploret: simulque eos de Fidei rudimentis percontetur, quos si minus instructos deprehenderit, sedulo erudire non negligat* (6).

TITULUS IX.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII

I. Impedimenti vocabulum hic ea notione usurpamus, quae significat quidquid matrimonium irritum reddit, vel illicitum. Iam porro ex impedimentis alia matrimonium nonnisi illicitum faciunt, at contractum non dirimunt, ea propter *impedientia* adpellata, alia vero etiam invalidum, irritum, sive nullum reddunt, quae *dirimentia* vulgo nuncupantur.

II. Impedimenta matrimonii alia iure naturae constituta sunt, alia iure positivo ecclesiastico, alia demum ex ipso nubentium facto oriuntur. Synodus quidem tridentina definivit (7): *si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse anathema sit.* Quare explorati iuris est Ecclesiam semper, vel a prima aetate, ius suae potestatis in impedimentis matrimonii constituendis exercuisse, ut late Iuveninus (8), aliique passim.

(1) II. syn. prov. neap. tit. III. cap. 9. — (2) Syn. trid. ibid. — (3) II. syn. prov. neap. ibid. — (4) Utraque syn. prov. neap. ibid.
(5) II. syn. prov. neap. ibid.
(6) Eadem syn. neap. ibidem. — (7) Sess. XXIV. de Sacr. matrim. can. IV.
(8) Tract. de Sacramentis.

De impedimentis impedientibus

III. Antiquitus crimina quaevis poenitentia publica plectenda impedimento erant,ne matrimonium contraheretur.Hinc occisori uxoris suae inter ceteras poenitentiae exercitationes iniungitur *uxorem nunquam ducere* (1). Et ex concilio moguntinensi post indicata enormia quaedam scelera, iis irretitos nunquam in posterum coniugio copulari posse decernitur (2).

IV. Iam vero secutis temporibus impedimenta ex crimine impedientia poene exoleverunt, quaeque hodie vigent, praecipua sunt: *Ecclesiae vetitum, tempus feriatum, sponsalia*, *votum.*

V. *Ecclesiae vetitum*, scilicet ubi Episcopus, vel parochus prohibitionem edant de non contrahendo ob dubium impedimenti alicuius, donec veritas innotescat (3). Item prohibitio concilii lateranensis IV., et concilii tridentini de non ineundis nuptiis sine praemissis proclamationibus, vel earundem dispensatione.

VI. *Tempus feriatum.* sive *clausum.* Huiusce impedimenti antiquitatem prodit synodus laodicena can. LII: *non oportet in quadragesima, aut nuptias, vel quaelibet natalitia celebrare.*Tum nonnulla deinde habita concilia alia addiderunt tempora, praesertim ieiuniorum, scilicet quadragesimae, adventus Domini, et ieiunii trium hebdomadarum ante festum s. Ioannis Baptistae (4). Qua in re quum varia esset ubique disciplina, synodus tridentina ut dissidentes Ecclesiarum mores componeret, ac simul tempus clausum nimium prolixum aliquantum contraheret, hanc sanctionem edidit (5): *ab adventu Domini nostri Iesu Christi usque in diem Epiphaniae, et a feria quarta cinerum usque in octovam Paschatis inclusive antiquas sollemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari s. synodus praecipit: aliis vero temporibus nuptias sollemniter celebrari permittit.* Tum ibidem *can XI.* anathema infligit in eos, qui dixerint *prohibitionem sollemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam ab ethnicorum superstitione profectam.*

VII. Porro hactenus dirta sollemnem duntaxat coniugum benedictionem respiciunt, easque pompas, ac sollemnes apparationes, quae nuptias comitantur, haud vero ipsum contractum matrimonialem coram parocho, et testibus. Ad rem I. synodus provincialis neapolitana cap. XL. *quum nuptiae interdici dicuntur ab adventu Domini usque in diem Epiphaniae: rursus a feria quarta cinerum usque ad octavam paschatis inclusive, doceant parochi populum, duo tantum eo tempore ab Ecclesia prohiberi: quorum alterum est, sollemnis benedictio coniugum: alterum vero, ne domum viri cum choreis, musicis, aliisque sollemnitatibus nova uxor traducatur* Expressius Rituale romanum de Sacramento matrimonii: *meminerint parochi a Dominica prima adventus usque ad diem Epiphaniae, et a feria quarta cinerum usque ad octavam Paschae inclusive sollemnitates nuptiarum prohibitas esse, ut nuptias benedicere, sponsam*

(1) Can. V., et VIII. caus. 33. q. II. — (2) Can. XX. caus. 32. q. VII. — (3) Cap. II. de matrim. contrah: et cap. ult. de clandestin. despons. — (4) Syn. ilerdensis can. X. — (5) Sess. XXIV. de ref. matr. cap. 10.

traducere, nuptialia celebrare convivia, matrimonium autem omni tempore contrahi potest. Quod vero ex iam inolita consuetudine id iuris obtineat, ut nuptiae eodem tempore, quo contrahuntur, publice etiam in Ecclesia benedicantur: hinc mos quoque viget, ut per illud clausum tempus sine Ordinarii venia nuptiae non celebrentur.

VIII. *Sponsalia*: scilicet ius alteri quaesitum ad futuras nuptias ex praeviis sponsalibus, modo haec non sint dissoluta. Et sane violaretur in re gravi fides alteri data, et promissio onerosa ei facta, et ab eo acceptata, ut ab initis sponsalibus quis resiliret (1). Ceterum de sponsalibus satis *tit. super.*

IX. *Votum*: scilicet votum simplex castitatis, sacrorumque ordinum, vel habitum suscipiendi religiosum, aut profitendi in religione, vel demum non nubendi (2).

X. Atque haec quatuor praecipua sunt impedimenta matrimonii impedientia: quibus addi possunt 1, dissensus parentum (3). 2, probatio status liberi. (4) 3, discussio cuiuslibet impedimenti in iudicium delati (5). 4, poenitentia publica ob enorme aliquod crimen (6), ac demum 5, catechismi ignoratio ex constitutione XLII. Benedicti XIV. (7).

De impedimentis matrimonii dirimentibus.

XI. Impedimenta matrimonii dirimentia licet plura, ac varia, omnia tamen ad quatuor capita revocari posse videntur, scilicet, ut alia 1, matrimonium dirimant ex defectu consensus, alia 2, ex defectu naturae, alia 3, ab Religionis sanctitate, ac demum 4, alia ab sanguinis propinquitate.

De impedimentis, quae matrimonia dirimunt ex defectu consensus.

XII. Huiusmodi sunt 1, *error* 2, *simulatio* 3, *dementia*, sive *furor* 4, *vis* 5, *metus* 6, *raptus* sponsae.

XIII. Ac primo error vel est circa personam, vel circa qualitatem, vel circa conditionem. Error circa personam irritum reddit matrimonium iure naturali, tametsi nullus ex altera parte dolus intercessit, neque error matrimonium anteivit, sed illud duntaxat est comitatus. Quamvis enim contrahens, detecto etiam errore, matrimonium contraxisset, semper tamen constat eo tempore, quo contraxit, consensum defuisse: id quod satis est, ut matrimonium sit nullum ex defectu consensus (8).

XIV. Error circa qualitatem, hoc est circa personae dotes, uti nobilitatem, divitias, virtutem etc. matrimonium non dirimit, tametsi alterius contrahentis dolus ei causam dederit, quum non desit consensus absolutus in personam, cum qua contractus initur. Excipe tamen, ubi huiusmodi qualitatis error errorem personae simul coniunctum habeat, e. g. si cui volenti primogenitam ducere, obtrudatur secundogenita quam non novit: item

(1) Can. XII; et L. caus. 22. q. II. — (2) Can. XX; et XVI. caus. 32. q. II; et cap. III. IV. V; et IV. Qui clerici vel voventes. — (3) Conc. trid. sess. XXIV. de ref. matrim. cap. I. et II. — (4) Cap. XIX. de sponsalibus. — (5) Cap. XXVII. ibid. — (6) Cap. II. de poenit; et remiss. can. VII; et VIII. caus. 33. q. II. — (7) Bullar. tom. I. — (8) Cap. II.; et IV. de coniugio servorum.

ubi consensum praestes sub eius qualitatis conditione, circa quam erratur e g. quum dicas: *accipio te in uxorem, si es virgo: secus te non accipio.* Binis hisce casibus matrimonium dubio procul est nullum ex defectu consensus: animus enim contrahentis ita in determinatam qualitatem fertur, ut nolit prorsus eum persona contrahere, si ei illa desit qualitas (1).

XV. Error circa conditionem. Conditionis nomine hic intelligitur status servitutis. Iam vero servi alii sunt domestici, qui operas suas hero locant, pacta pro iisdem mercede, alii adscriptitii, seu glebae, qui excolendis certis quibusdam agris sunt addicti ad quemcunque dominum hi spectarint: alii demum sunt servi stricte sumpti, et proprius dicti mancipia, in quos dominus plenum habet, et absolutum dominium, scilicet eos vendendi, locandi, et in iis, quae ipsis magis libuerint, operibus occupandi. De servis domesticis, et adscriptitiis nulla hic quaestio: quum enim vere liberi sint, matrimonia, si qua cum iisdem contrahantur, valida sunt, licet servilis eorundem conditio ignoretur.

XVI. At ad mancipia quod attinet: iure romanorum, quod antiquitus secuta videtur Ecclesia, conditio servilis contractum matrimonium dirimebat: atque inter personas servilis conditionis non matrimonium, sed contubernium esse censebatur (2). Porro Ecclesiam coniugia inter eiusmodi personas, ubi consensus dominorum non intervenisset, pro nullis habuisse, atque adeo dirimi permisisse, patet tum ex s. Basilio (3), qui docet coniugia inter servos esse fornicationes, et tum primum *firmitatem accipere, ubi coniugio domini adnuerint*, tum e canone quodam concilii cabilonensis II. relato a Gratiano (4), quo servorum coniugia adprobantur, ubi *per voluntatem dominorum* fuerint inita, tum demum ex eo, quod medio saeculo XII. Archiepiscopus salisburgensis Hadrianum Papam consuluerit, num servorum matrimonia invitis dominis inita valida habenda sint, an potius nulla. Hadrianus quidem respondet, eiusmodi matrimonia nulla ratione esse dissolvenda: at ex eo colligi posse videtur, tunc temporis primum antiquum ius abrogari coepisse, atque inductam distinctionem inter *scienter*, et *ignoranter* cum personis servilis conditionis contrahentes, quam adhibet Gratianus, ut antiquos canones conciliet cum apocrypho quodam Lucii P. decreto, quo aeque servorum, ac ingenuorum matrimonia indissolubilia pronuntiantur. (5).

XVII. Igitur iure novo, ubi personae servilis conditionis inter se matrimonium ineant, aut etiam una libera sit, altera serva, huiusmodi matrimonia sunt valida, modo illa servilem alterius conditionem non ignoret (6). At contra nulla sunt, ubi persona libera cum serva contrahat, quam credit esse liberam (7).

XVIII. *Simulatio*: ex defectu quoque consensus nuptiae simulatae nullae sunt, scilicet ubi quis simulato alterius nomine coniugium ineat cum muliere, *quam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam in eam*

(1) S. Thomas. in IV. sent. dist. XXX. q. I. art. 2.

(2) L. XIV. D. de ritu nuptiarum. — (3) Epist. canonica ad Amphilochium can. XLII. — (4) Can. VIII. caus. 29. Q. II.

(5) Can. I. caus. 29. q. II. — (6) Cap. I. de coniugio servorum. — (7) Can. IV. caus. 29 q. II; cap. II. et IV. de coniugio servorum.

consensit, quum in huiusmodi coniugio, nec substantia coniugalis contractus, nec forma contrahendi valeat inveniri. Namque ex altera parte dolus adfuit, et ex altera defuit omnino consensus, sine quo cetera nequeunt foedus perficere coniugale (1). Eadem ratione dementia, sive furor matrimonium dirimit ubi vel continua sit, vel licet interrupta, in ipso tamen nuptiarum momento eam viguisse constiterit (2).

XIX. *Nihil consensui tam contrarium, quam vis, aut metus* (3). Unde ex defectu consensus irrita quoque sunt matrimonia per vim, aut metum inita: ubi tamen vis, aut metus non levis sit, sed gravis, sive, ut loquitur Honorius III. (4): *talis metus inveniatur illatus, qui potuit cadere in constantem virum.* Profecto eiusmodi vis, aut metus, ubi iniuste ad consensum exprimendum inferatur; adhaec et tam grave malum immineat, vel imminere verisimiliter credatur, ut hominem alioquin prudentem ad aliquid agendum moveret, quod alias non esset facturus, dubio procul matrimonia hac ratione contracta nulla sunt (5). Secus vero, ubi malum imminens sit adeo leve, vel tam parum verisimiliter timeatur: ut inde vir prudens, et constans ad agendum moveri non consuescat. Ceterum in diiudicando, num metus gravis fuerit, an levis, personarum sexus, conditio, aliaeque *περιςασεις circumstantiae* inspiciendae sunt (6). Tum prudenti iudicis arbitrio relinquitur definire, metus, aut vis levis ne fuerit, an gravis. At quid si metus iuste incutiatur? e. g. quum iudex carcerem, aliamve poenam minetur iuveni, ni contrahat cum puella, quam sub matrimonii promissione stupravit. Huiusmodi matrimonium validum omnino est. (7).

XX. *Raptus*: legibus imperatoriis gravissimae adversus raptores poenae inveniuntur sancitae, uti videre est in codice theodosiano (8). At quod matrimonia spectat, Iustinianus indicata *leg. un.* sanxit, ne unquam rapta raptori matrimonio coniungatur, ne accedente quidem consensu mulieris raptae, vel parentum ipsius. Idem quoque constitutum occurrit in capitularibus regum francorum (9). Porro secutis temporibus illud iuris obtinuit, nimirum, ut ubi raptae, quae prius dissensit, consensus intervenerit, validum haberetur matrimonium (10). Denique concilium tridentinum (11) provide sanxit, eiusmodi matrimonium haud validum habendum, nisi rapta a raptore separata, et in loco tuto, ac libero constituta consentiat. Tum excommunicatio ipso facto incurrenda, aliaeque poenae in raptores, eisdemque consilium, auxilium, aut favorem praebentes infliguntur.

De impedimentis, quae matrimonia dirimunt ex defectu naturae

XXI. Eiusmodi impedimenta duo praecipua sunt, scilicet *defectus ac-*

(1) Innocentius III. in cap XXVI. de sponsal. et matrimonio.
(2) Arg. ex can. XXV. caus. 32. q. VII. — (3) L. XVI. D. de regulis iuris.
(4) In cap. XXVIII. de spons., et matrim. — (5) Cap. XIV. XV., et XXVIII ibid. — (6) Glossa ad caput VI. de iis, quae vi, metuque. — (7) Cap. X. de sponsalibus, et cap. II. de adulter. —(8) Lib. IX. tit. XXIV. de raptu virginum vel viduarum: et in L. un. cod. Iustin. eod. tit.
(9) Lib. VI. cap. LXIX. et lib. VII. cap. 349. — (10) Innocentius III. in cap. VII. de raptoribus. —(11) Sess. XXIV. de ref. matrim. cap. VI.

tatis et impotentia. Ex defectu *aetatis* irrita censentur matrimonia impuberum (1), nisi proximi pubertati, et simul ob praematuram corporis habitudinem ad naturale generationis, vel conceptionis opus apti sint (2). Cuius rei iudicium Episcopo dioecesano relinquit Benedictus XIV. (3). Senibus vero generatim indulget Ecclesia coniugium, tamquam infirmitatis remedium, et humanitatis solatium (4).

XXII. *Impotentia*, sive inhabilitas ad naturalem coitum, quae matrimonium anteeat, modo perpetua sit, licet e unius dumtaxat coniugis parte, matrimonium nullum facit (5). At quid si dubium sit, num impotentia matrimonium praecedens perpetua sit, an temporalis? hoc sane casu matrimonium inire nefas est: at ubi iam contractum sit, triennium experientiae coniugibus conceditur, ut adhibitis mediis possibilibus, ac licitis impotentiam auferre conentur: quo elapso triennio, et impotentia adhuc persistente, matrimonium dissolvitur, atque adeo licet impotentiam tantummodo relativam esse constiterit, permittitur tamen coniugibus ad alia vota transire (6), aut etiam simul cohabitare, ea tamen conditione, *in quas tanquam uxores habere non possunt, habeant tanquam sorores* (7): id quod intelligas, ubi nullum adsit incontinentiae periculum, quod raro accidit.

De impedimentis, quae matrimonia dirimunt, a Religionis sanctitate

XXIII. Eiusmodi impedimenta praecipua sunt, 1, *cultus disparitas* 2, *Ordo sacer* 3, *professio religiosa* 4, *ligamen* 5, *defectus parochi, ac testium* ac 6, demum *crimina homicidii, et adulterii*. De *Ordine sacro* satis lib. super. *tit. XXIX*, et de *professione religiosa ibidem tit. XXXI*. Tum de *parochi, duorumque testium defectu tit. super*. Quae supersunt reliqua hic paucis explicabimus.

XXIV. *Cultus disparitas:* eiusmodi dirimens impedimentum non in omnibus religione disparibus locum habet, sed tantummodo in iis, quorum alter sit baptizatus, alter vero, vel nunquam, vel invalide baptizatus: idque solo ecclesiastico iure antiquissima, ac universali consuetudine inducto, non tamen ante saeculum VI. Unde s. Monica, teste Augustino (8) nupsit viro infideli, et s. Clotildis Clodovaeo regi nondum baptizato. Coniugia catholicorum cum haereticis sunt quidem legibus Ecclesiasticis prohibita, quum gravia inde mala plerumque exoriantur; attamen valida sunt, quum nullo positivo iure irrita demonstrari possint. Atque adeo secluso subversionis alterius coniugis, ac prolis inde suscipiendae periculo, certisque positis conditionibus, petita R. Pontificis venia licita etiam sunt. Unde Urbanus VIII. ob communem religionis utilitatem Henricae Borboniae facultatem impertivit nubendi Carolo Anglorum regi haeretico.

XXV. *Ligamen*. Dum matrimonii foedus inter viventes coniuges integrum stat, sive ratum solummodo, sive consummatum, neutri fas est ad

(1) Cap. X. de desponsat. impuberum. — (2) Cap. III. IX. et XIV. eodem. — (3) Constit. LI. bullar. tom. II. — (4) Can. XLI. caus. 47 q. 1. can. XIII. caus. 31. q. 1. — (5) Can. XVI. XVII.; et XXIX. caus. 27. q. 11.

(6) Cap. V. de frigidis. — (7) Cap. IV. eodem. — (8) Lib. IX. confess. cap. IX.

secundas valide nuptias transire ex Apostoli sententia (1): *mulier alligata est legi viri, quandiu vir eius vivit* (2).

XXVI. Denique crimina *adulterii*, et *homicidii* quod spectat, antiquitus adulterium dirimens prorsus erat matrimonii impedimentum, id quod et leges imperatoriae praescripserunt (3). Id quod Ecclesia probavit: *marito mortuo*, inquit Augustinus, *cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non potest, cum quo prius adulterium fuit* (4). Quum vero Gratianus hanc Augustini sententiam sine negatione protulerit (5): hinc factum est, ut iure decretalium adulterium matrimonium non dirimat, nisi 1. ubi maritus adulterae aliquid in mortem coniugis suae, vel mariti adulterae machinetur, ut cum ea contrahere possit; vel ubi adultera eodem intuitu necem sui mariti, vel uxoris adulteri adtentarit (6) 2, ubi adulterium comitem habeat de matrimonio post coniugis mortem contrahendo promissionem 3, ubi vivente adhuc coniuge matrimonium revera contrahatur, sive illam promissionem, aut hoc matrimonium adulterium antecat, sive comitetur, sive etiam sequatur (7).

XXVII. Verum in utroque hoc casu requiritur 1. ut mulier adulterum matrimonii vinculo esse obstrictum non ignoraverit: alias impedimentum non inducitur (8): ut tam promissio, quam adulterium coniugis mortem anteierit (9) 3, ut promissio signis externis, ac sensibilibus fuerit manifestata, et simul etiam acceptata 4, demum ut adulterium sit utrinque formale, scilicet ut utraque pars alterius matrimonium noverit (10).

XXVIII. Homicidium quoque dirimens impedimentum non gignit, nisi ubi vir, aut uxor cum tertio in coniugis mortem conspirat, cuius revera mors sequatur, licet alter esset infidelis, et ad eius conversionem eiusmodi occisio viam pararit: *quum tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit* (11).

Impedimenta, quae matrimonia dirimunt sanguinis, sive necessitudinis intuitu.

XXIX. Eiusmodi sunt *cognatio naturalis*, sive *consanguinitas, cognatio legalis, cognatio spiritualis, adfinitas*, et *pubblica sponsalium honestas*. Ac primo consanguinitas est *vinculum personarum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum*, ut definit s. Thomas (12). Iam vero in hoc vinculo *lineae*, et *gradus* inspiciendi. Linea, sive *collectio personarum ab eodem stipite descendentium*, vel recta est, vel transversalis. Recta in iis personis agnoscitur, quarum una ab altera vel descendit, ut filius a patre, nepos a filio, unde dicta *descendentium*, vel adscendit, uti quum fit adscensus a filio ad patrem, a patre ad avum; unde dicta *adscendentium*. Transversalis in iis locum habet, qui ab eodem sti-

(1) Epist. I. ad Cor. VII. 39. — (2) Cap. II. de secundis nuptiis. — (3) Nov. Iustin. CXXXIV. cap. 12., et L. XI., et LX. D. ad legem Iuliam de adulteriis.
(4) Lib. I. de nuptiis, et concupisc. cap. X. — (5) In Can. II. caus. 31. q. 1.
(6) Cap. I.I. de eo, qui duxit in matrimonium. — (7) Cap. fin. eodem — (8) Cap. VIII. eodem. — (9) Indicato cap. fin. eodem. — (10) Cap. 1. eodem — (11) Cap. 1. de convers. infidelium.
(12) Supplem. quaest. LIV. art. 1.

pite descendunt, nec unus ab altero ortum ducit: uti fratres, consobrini etc., atque haec etiam bifariam partitur, ut alia sit aequalis, scilicet quum plures aequali gradu a communi stipite descendunt, uti duo fratres a patre, vel inaequalis, scilicet, quum plures a communi stipite inaequali gradu distant, uti patruus, et nepos. Porro hic nomine stipitis personam intelligimus, a qua consanguineae suam habent originem; nomine vero gradus maiorem, vel minorem distantiam, qua unus prae alio a communi stipite distat.

XXX. Iam vero in graduum calculo tres potissimum canones prae oculis habendi. In linea recta adscendentium, et descendentium tot constituendi gradus quot sunt personae dempto stipite. Unde filius a patre uno distat gradu, nepos ab avo duobus, pronepos ab proavo tribus etc. 2. In linea collaterali aequali personae quot gradibus a communi stipite, tot invicem distant: unde duo fratres uno tantum gradu inter se distant, quia nonnisi uno gradu distant a patre, in quo coniunguntur. 3. In linea collaterali inaequali quoto gradu persona remotior distat a communi stipite, eodem distant inter se: unde patruus, et filius ex fratre duobus distant gradibus, quia filius ex fratre, qui est persona remotior, ab avo duobus gradus distat.

XXXI. Atque ita se res habet in iure canonico: at vero ius civile, licet in graduum lineae rectae calculo cum iure canonico conveniat, in linea tamen transversa, sive collaterali ab eo discedit: tot enim gradus recenset, quot sunt personae dempto stipite; unde duo fratres, qui iure canonico nonnisi uno gradu invicem distant, iure civili distant duobus, quia duae sunt personae. Igitur ius civile per personas, ius canonicum per distantiam a stipite gradus recenset.

XXXII. *Consanguinitas* in quolibet gradu lineae rectae nullum facit matrimonium (1). In linea collaterali antiquitus ad septimum usque gradum matrimonium dirimebat, quo tempore fortasse Ecclesia ex iuris civilis calculo gradus recensebat, uti canones a Gratiano relati indicare videntur (2), at post ad quartum usque gradum inclusive consanguinitatem matrimonium dirimere Ecclesia sanxit (3).

XXXIII. Praeter cognationem naturalem bina alia cognationum genera matrimonia dirimunt; nimirum legalis, et spiritualis. Legalis, sive civilis oritur ex adoptione, de qua opportunius in institutionibus civilibus: eaque matrimonium dirimit in perpetuum inter personas, quae adoptionis intuitu parentum, liberorumque loco sunt, vel etiam aliquando fuerunt, uti inter adoptantem, et adoptatum, adoptatique posteros ad quartum usque gradum inclusive, tum et inter adoptatum, adoptantisque uxorem, et inter adoptantem, uxoremque adoptati; ac demum idem impedimentum legibus ecclesiasticis inductum quoque est inter adoptatum, et filios filiasque naturales, ac legitimos adoptantis, quasi iure quodam fraternitatis, quae agnoscitur inter filium legalem adoptantis, atque huius prolem naturalem. Verum in postremo hoc casu impedimentum evanescit, ubi vel morte adoptantis, vel emancipatione fraternitas illa dissolvatur (4).

(1) Nicolaus I. ad consulta Bulgar. cap. XXXIX. — (2) Can. I; et II. caus. 35. q. II. — (3) Conc. later. IV. in cap. VIII. de consanguin., et adfinit.
(4) Cap. un. de cognatione legali.

XXXIV. Huiusmodi legalis cognationis impedimentum iure civili primo inductum fuit (1), quod postea recepit Ecclesia, eiusque mentio occurrit apud Gratianum (2). Atqui canon iste excerptus est ex sententia Caii in modo indicata *leg. XVII*. Igitur potius eiusmodi impedimenti primus meminisse videtur Nicolaus I. in responsis ad consulta Bulgarorum, ubi haec habentur: *si qua per adoptionem mihi soror esse coeperit, quandiu durat adoptio, inter me, et ipsam nuptiae consistere non possunt.*

XXXV. Cognatio spiritualis, quae contrahitur in Sacramentis Baptismi, et confirmationis iure tridentino (3) nullum facit matrimonium inter baptizantem, et baptizatum, baptizatique patrem, et matrem, nec non inter patrinum, et baptizatum, baptizatique patrem, et matrem: item inter confirmantem, vel tenentem, sive patrinum, et confirmatum, confirmatique patrem, et matrem.

XXXVI. Huiusce etiam impedimenti meminit Nicolaus I. *ibid.*, eiusdemque rationem ex eo infert, quod *si inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio iungit, quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per coeleste Sacramentum regeneratio s. Spiritus vincit.* Atqui saeculo VI. Iustinianus iam sanxerat (4): *ea persona omnino ad nuptias venire prohibenda declaratur, quam aliquis, sive alumna sit, sive non a sacro suscepit baptismate.* Id quod firmatum postea fuit a Patribus trullanis (5). Unde patet iure civili fuisse inductum huiusmodi impedimentum, quam iure canonico. Adhaec quum eiusdem ratio illa plerumque adferretur, scilicet *quoniam spiritualis adfinitas corporum coniunctione maior est;* hinc eo impedimento non modo filios etiam, filiasque patrinorum obstringi veteres crediderunt, verum et omnes quotquot baptizatum, vel confirmatum in sacra, vel ablutione, vel confirmatione tetigissent: ita canones a Gratiano relati (6). et decretales congestae (7). Verum synodus tridentina indicato *cap. IV.* constituit, *ut unus tantum sive vir, sive mulier iuxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus, et una de baptismo suscipiant:* neque ultra principio recensitas personas spiritualem extendendam cognationem.

XXXVII. Adfinitas, sive personarum ex copula carnali exoriens propinquitas, nuptias dirimit inter consanguineos viri, et huius viduam uxorem, et vice versa inter virum viduum. et huius defunctae uxoris consanguineos. Antiquitus triplex agnoscebatur Adfinitas ex triplicibus gradatim initis nuptiis, nimirum primae nuptiae consanguineos viri reddebant uxori adfines *primi generis*, et vicissim: dein ubi superstes vidua ad secundas, tum ad tertias nuptias transiret, efficiebat secundum virum consanguineis primi viri adfinem secundi generis, ac tertium virum iisdem tertio genere adfinem, et e converso. Tria eiusmodi adfinitatis genera olim matrimoniis ineundis impedimento fuisse indicant canones (8), et evidenter supponit Concilium lateranense III. (9), ubi etiam prohibitiones de coniugio in se-

(1) L. XVII. et LV. D. de ritu nuptiarum: et § 2. inst. de nuptiis. — (2) Can. VI. caus. 30. q. III. — (3) Sess. XXIV. de ref. matrim. cap. 2.

(4) L. XVI. cod. de nuptiis. — (5) Can. LIII. — (6) Caus. 30. q. III. — (7) In tit. de cognatione spirituali.

(8) Can. III. et XXII. caus. 35. q. III. — (9) Cap. I. de eo, qui cognovit consang. uxoris suae.

cundo, et tertio adfinitatis genere minime contrahendo, quippe quae difficultatem frequenter inducant, et aliquando periculum pariant animarum, auferuntur(1). Unde iure novo a synodo tridentino *ibid. cap IV.* firmato, adfinitas ex copula licita ad quartum, ex copula vero fornicaria ad secundum usque gradum inclusive matrimonia dirimit. Iam vero consanguinei viri non fiunt per carnalem copulam adfines consanguineis foeminae, nec e contrario, quia *adfinitas non parit adfinitatem* (2). Uti quoque neque inter vitricum, et uxorem privigni, nec vicissim inter novercam, et privignae virum ulla intercedit adfinitas (3).

XXXVIII. *Publica sponsalium honestas*: qua ratione ex cognatione legali, eadem quoque ex publica sponsalium honestate dirimens exoritur matrimonii impedimentum. Etenim, ut loquitur Augustinus (4): *naturalis quidem, atque laudabilis humanae verecundiae instinctus suadet, ut cui quis debet caussa propinquitatis reverendum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus et ipsam pudicitiam coniugalem.* Sicut igitur per adoptionem quaedam constituitur propinquitas inter adoptatum, et adoptantem, ita quoque per matrimonium tantummodo ratum mulier vera est mariti uxor, et per sponsalia desponsi saltem imperfecte iam coniuncti censentur, ex quo duplici capite dirimens exoritur *publicae honestatis* impedimentum.

XXXIX. Eiusmodi impedimentum antiquitus intuitu matrimonii rati ad septimum usque gradum se extendebat, et in concilio lateranensi IV. ad quartum gradum restrictum est, quo iure tridentino nulla ex parte innovatum est, at potius firmatum. Ad eundem quoque gradum se extendebat, ubi ex sponsalibus de futuro oriebatur, modo tamen pura essent, ac certa, idest cum certa, et determinata persona, licet quavis ratione praeterquam ex defectu consensus, invalida. Verum synodus tridentina (5) hoc quoque impedimentum primum gradum non excedere sanxit, atque adeo nullum impedimentum produci indulsit, ubi sponsalia quavis ratione invalida essent. Quia vero synodus tridentina in impedimento ex matrimonio rato non consummato, uti modo innuimus, nihil innovavit, hinc efficitur ea pristino iure ad quartum gradum extendi, licet matrimonium quovis ex capite nullum esset, praeterquam ex defectu consensus, aut in praeiudicium priorum sponsorum.

ADDITAMENTA

DE MATRIMONIO

I. Quum matrimonium suam institutionem repetat a Natura, perfectionem a lege, sanctitatem a Religione, quae profecto ad Sacramenti rationem illud evexit, hinc sapientissime docet divus Thomas (6): *matrimonium*

(1) Ibid. cap. IV.— (2) Innocentius III. in cap. V. de consanguinit; et adfinitat.
(3) Bened. XIV. de syn. dioeces. lib. VII. Cap. 31. — (4) Lib. XV. de civit. Dei cap. 16.— (5) Sess. XXIV. de ref. matrim. cap. 3.
(6) 4. Sent. dist. 24. quaest. 1. art. 1. ad 4: et lib. IX. contra gentes cap. 78.

inquantum est in officium Naturae, statuitur iure Naturae: in quantum est in officium communitatis, statuitur iure civili: inquantum est Sacramentum, statuitur iure divino.

II. Porro si matrimonium inspiciatur ut simplex societas ab ipso Deo Naturae Auctore constabilita, primisque legibus a se-latis confirmata, illud profecto in nudo contrahentium cousensu consistit, et soli tribunali Dei subest: si ut civilis contractus, civilibus quoque legibus sanciuntur illa omnia, quae matrimonium ipsum praecedunt, comitantur, et sequuntur. Si vero ut societas a Religione consecrata, cum illud sit novae Legis Sacramentum, conditionibus duntaxat ab Ecclesia praescriptis, quae sola iure divino potestatem in Sacramenta habet, iniri potest.

III. Iamvero Christus Naturae, et gratiae Auctor ad Sacramenti dignitatem matrimonium extulit absque naturalis contractus immutatione: ideoque unus, idemque contractus munitus conditionibus ab Ecclesia praescriptis Sacramentum evadit, quod gratiam in contrahentes ex opere operato abunde parit. Unde in lege novi Foederis fieri nequit, ut contractus a Sacramento distinguatur, ita ut haec sint duo diversa; nam Sacramenti dignitas, et gratia divina institutione contractui naturali accessit Quamobrem leges civiles matrimonium spectantes in ipsum profecto respiciunt, ut merum contractum civilem, atque iura Religionis sarta tectaque tuendo, duntaxat civiles effectus, qui ab ipso promanant, illae dirigunt. Hinc conventiones nuptiales, filiorum civilis ordo, iura, successiones in bona parentum, aliaque id genus a civilibus legibus in Societatis utilitatem reguntur. Quibus praemissis non abs re duximus nonnullas canonico-civiles recentiores leges heic adnectere, quae matrimonium respiciunt.

IV. Et principio de matrimoniis mixtis pauca expendenda occurrunt. Sane coniugium *mixtum* illud est, quod contrahit *catholicus* cum *acatholica*, vel e converso: *acatholici* vero ii dicuntur, qui licet baptismo sint lustrati, christiano tamen nomine perperam gloriantur, quippe qui aut in haeresim prolapsi, aut in schisma.

Isthaec autem connubia ob periculum perversionis, et apostasiae, quod catholico, prolique nasciturae instaret, absque Summi Pontificis dispensatione, quae dumtaxat ob gravissimas rationes datur, illicita prorsus esse, tum conciliorum canones, tum Pontificum decreta inde usque a primis aerae christianae temporibus lata, apertissime demonstrant. Ne vero instituti fines praetergrediamur, recensere omittimus canones XV. illiberitanum, XI. arelatensem, LVII. nicaenum, XII. carthaginensem III., LXII. trullanum, aliosque, illum solummodo adferendo, quem chalcedonensis oecumenica synodus sanxit: *neque copulari debet nuptura haeretico, aut iudaeo, vel pagano, nisi forte promittat se ad orthodoxam Fidem persona orthodoxae copulanda transferre* (1): quam sanctionem Summi Pontifices latis legibus confirmarunt, praesertim s. Leo m. (2), Stephanus IV. (3), et Nicolaus I. (4). Heic quoque observare ne pigeat quae recentiori aetate ab Apostolica Sede in hanc rem sunt constituta.

(1) *Ex versione Dionysii Exigui apud Arduin. acta concil. t. II. col. 607.*
(2) *Ser. LXXXII.* — (3) *Apud Baron. ad an. 770. epist. ad Carolum, et Carolomannum.* — (4) *Resp. ad consult. Bulgar. n. XXII.*

Revera Benedictus XIV. expresse ait: *pontificiae auctoritati iniuria fit ab iis, qui illius interventu opus non esse contendunt, ut matrimonia inter partes, alteram catholicam, et alteram haereticam licite contrahantur* (1), idemque ille sanxit in sua constitutione *magnae nobis* ad Primatem Archiepiscopum, et Episcopos Coloniae missa die 29. Iun. 1748. (2).

Tum Pius VI. in rescripto ad Card. de Franckenberg Arch. mechliniensem sub die XIII. Iul. an. 1782; veteris ecclesiasticae disciplinae vestigiis inhaerendo, declarat parochum catholicum, si coniugia mixta impedire nullo pacto valeret, eisdem materialem suam exhiberet praesentiam hisce conditionibus:

I. Ut tali matrimonio non assistat in loro sacro, nec aliqua sacra veste indutus: ut etiam nullas Ecclesiae preces recitet, neque ullo modo coniugibus benedicat.

II. Ut pars haeretica scripto, ac iuramento coram testibus promittat se permissuram, ut pars catholica Religionem suam libere exerceat, prolesque omnes in eo instituat.

III. Ut similiter pars catholica eodem modo promittat se hoc praestituram, ut compartis conversionem efficaciter procuret (3).

His adde instructionem, quam edidit Congregatio Card. concilii tridentini interpretum die XV. Iunii an. 1793; et ab eodem Pontifice Pio VI. adprobata:

« Catholicum prae omnibus, vel catholicam parochi moneant, quod con- » trahendo matrimonium cum acatholica, vel acatholico, valide quidem » contrahant, sed illicite.

» Atque hinc plane consequitur nullo actu positivo ipsos posse isthaec » matrimonia probare, aut suo expresso consensu, et auctoritate confirmare. » Quapropter si cogantur in hac temporum conditione, et propter leges in » transactione Religionis anni 1673. praescriptas, matrimoniis catholico- » rum cum muliere acatholica assistere, satagant, ut se mere passive ha- » beant, atque tamquam inviti audiant dumtaxat utrumque consensum, ve- » rumtamen abstineant omnino a precibus recitandis, a benedictione im- » pertienda, atque ab omni alio Ecclesiae ritu adhibendo.

» Caveant insuper ne in publicandis matrimoniis mixtis religionem ex- » primant contrahentis acatholici, sed contrahentium tantum enuntient no- » mina, et cognomina.

» Abstineant rursus a concedendis dimissoriis, ubi secundum canones Ec- » clesiae catholicae canonicum aliquod impedimentum sit inter contra- » hentes. »

Adhaec summus Pontifex Pius VII. in rescripto ad Galliarum Episcopos sub die XVII. febr. an. 1809. diserte inquit (4): « quare si a nobis » petitioni huic respondendum nunc esset responsum certe nostrum a con- » stanti huius S. Sedis regula, et Praedecessorum nostrorum exemplo, » agendique ratione dissidere non posset ». Et Pius VIII. tum in brevi

(1) *Bened. XIV. de synod. dioeces. lib. IX. cap. 3 n. 3.* — (2) *Const. magnae nobis in eiusd. bullar. tom. 2.* — (3) *In rescript. cit. apud Moser de imped. mat. pag. 179.* — (4) *Rescript. cit. ad Episcopos, et Vicarios capitul. Galliar. apud Moser loc. cit. p. 194.*

sub die XXV. mart. ann. 1830. (1) tum in instructione, quam eidem adiecerat, Praedecessorum sanctiones de hisce coniugiis apertissime confirmavit.

At qui auream in hanc rem Gregorii XVI. fel rec. allocutionem omiserim? Quis porro, inquit (2), futurum putaret, ut pontificia isthaec declaratio (Pii VIII.), indulgentissima licet, et semel atque iterum per regium in » Urbe oratorem accepta, *eo sensu adhiberetur, qui inconcussa catholicae » Ecclesiae principia perverteret, et huius Apostolicae Sedis menti penitus repugnaret?* Verum quod nemo unus fingere, aut excogitare posset, » quodque vel leviter suspicari crimen fuisset, *id artificioso saecularis » potestatis impulsu* factum est. Vix rem non sine maxima animi molestia » novimus, nihil distulimus, quin expostulationes Nostras iis, ad quos pertinebat deferendas committeremus, una simul declarantes quanta Nos ex » apostolico munere teneret necessitas fideles opportune monendi, ne illud ab sancta hac Sede profectum arbitrarentur, a quo ipsa plane abhorret. Cumque ita Nobis fuisset responsum *veluti nullo querelae Nostrae » inniterentur fundamento* : epistola accessit alterius ex praedictae regionis Praesulibus, qui instante morte redditurus aeterno Iudici rationem » villicationis suae, misso ad Nos apographo instructionis traditae ab Episcopis, urgente civili Gubernio, accurate significabat *se, damna gravissima exinde Ecclesiae oritura laesosque illius canones divinae gratiae » lumine inspicientem, errorem cui subscripserat, libera mente motuque » proprio retractare*. In curam proinde statim incubuimus, ut perlato ad » serenissimum Regem germano istius apographi exemplo, magis magisque innotesceret Nos initam a memoratis Episcopis rationem interpretandi apostolicas Praedecessoris Nostri litteras, utpote Ecclesiae principiis, ac legibus adversantem, omnino reprobare (3).

» Haec autem secreta conventio quae prius a Confluentibus (vulgo *Coblentz*) nuncupata est, ex qua prodiit *instructio* reipsa locum habuit Berolini 19. Iun. 1834. inter Bunsen, et Arch. coloniensem Com. de Spiegel. Illa porro eadem est, de qua Bunsen Borussiae orator apud S. Sedem interrogatus ex officio respondit « Non seulement l'existence d'une » telle instruction est moralement impossible mais *qu'il a le certitude positive que cette pretendue instruction* n'a *iomais existé* » Cf. *Exposit.* » cit. Doc. VI. Huic conventioni, ac instructioni iude emissae subscripserunt praeter Arch. coloniensem Spiegel Episcopi trevirensis paderbornensis, et monasteriensis. Cumque ab ephemeride Aschaffenburgensi an. 1836. n. 125. cum nonnullis mutationibus pubblicata esset, iidem » Episcopi, qui ei subscripserunt, in hac ipsa ephemeride n. 150 declararunt hoc documentum *opus perfidum esse cuiusdam calumniatoris!* Cf » *lettr. cit. Sur l'affaire de Cologne* Paris 1838. p. 33. E septem vero » articulis, ad quos illius conventionis instructio redacta fuerat excludebantur conditiones duae, quibus unice positis Pius VIII., ut diximus, pro » sua potestate declaraverat connubia isthaec mixta iniri licite posse; scili-

(1) In cit. exposit. III. pag. 5. — (2) *In allocutione habita die X. decemb. an. 1837. Cf. esposiz. di fatto docum. n. XVI.* — (3) *In expos. doc.* XVI. pag. 84. et seq.

» cet 1. seria admonitio facienda parti catholicae de gravi crimine, quo » se obstringeret contra canonum leges tale matrimonium ineundo 2. pro» missio ab eadem praestanda, qua polliceretur fore, ut soboles omnis ca» tholica Religione institueretur.

Illud denique observandum maxime censemus quod ob gravissimas rationes et sub praescriptis conditionibus, quae, ut supra innuimus, tum catholicum sponsum respiciunt, ut scilicet vires exerat suas, ut pars acatholica ad veram Ecclesiam convertatur, tum prolem nascituram, ut in catholica Religione instituatur, isthaec connubia a Petri Successoribus indulta fuerunt. Ita Clemens VIII. licet aegre duci barensi indulsit, ut matrimonium cum Catherina Henrici IV. Galliae Regis sorore haeretica contraheret: et Urbanus VIII. Henricae Ludovici XIII. sorori potestatem fecit, ut nuberet Carolo I. Angliae Regi, aliique passim in Germania, Anglia, Hollandia etc. (1). Sed haec satis sunto: qui vero plura nosse aveat, theologos adeat.

V. Praeterea iuvat hic interserere quae de matrimonio *conscientiae* sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. sanxit litteris *satis vobis* die XVII. nov. an. 1741.

Et sane matrimonium istud coram Ecclesia iniri debet, nempe coram parocho, aut alio presbytero ab Episcopo specialiter delegato, et duobus testibus, qui arcani silentii lege adiguntur, ac proinde verum esse Sacramentum, quidquid frustra deblaterent protestantes, nemini impervium. Occultum tamen illud manet, tum quia denunciationes omittuntur, tum quia in libro ordinario parochi minime describitur. Ne vero huiusmodi matrimonium luctuosos habeat exitus, et gravia mala inde exoriantur, iisdem litteris cautum, ut Episcopi nisi iusta, gravi, et urgenti caussa hanc nuptiarum celebrationem minime permittant (2) Illud vero animadvertendum, quod huiusmodi matrimonium effectibus civilibus minime gaudet (3).

VI. Denique ea animadvertenda supersunt quae in codice novissimo utriusque Siciliae Regno de matrimonio sancita fuerunt.

Ac primo filiifamilias ante XXV. aetatis annum, filiaeque ante XXI. matrimonium inire prohibentur absque parentum consensu (4): immo exacta hac aetate triplicem obsequiosum actum parentibus invitis rite praestare tenentur (5): quibus confectis, ipsis liberum erit nuptias in faciem Ecclesiae celebrare. Quod si contrahentium pater e vita excesserit, aut in illorum nuptias consensum praestare nequiverit, tunc et avi paterni, et matris consensus requiritur: si vero isti dissentiant, sufficiet consensus avi paterni (6). Si vero sponsi vel adscendentibus sint orbati, vel si hi extent, suam voluntatem aperire nequeant tunc illis ius est cognatos, et adfines, quibus praeest index, in consilium adhibere: et ab his consensus praestabitur. Tandem filii mere naturales nullo recognitionis actu a parentibus ingrate donati ante XXI. suae aetatis annum a speciali tutore, quem iudex ipsis constituet, consensum in nuptiis contrahendis exquirent. Illud autem heic ani-

(1) *Confer Binterim in diss. de matrim. mixtis pag. 46.*
(2) Videsis Benedictum XIV. indicatis litteris *satis vobis* bullar. tom. I. n. 35. edit. rom. — (3) Cod. Civ. tit. V. art. 189.
(4) Cod civ. part. I. tit. V. art. 163. — (5) Ibidem art. 166.
— (6) Ibidem art. 164.

madvertendum matrimonium absque parentum consensu contractum esse validum, uti sanxit tridentina synodus (1),

VII. Tum aute celebrationem matrimonii praemittendae sunt civiles denunciationes (2): quae tamen imminente alterutrius contrahentis vitae periculo, et ab ipsis praestito iureiurando nullum legitimum impedimentum extare, omitti possunt (3). Adhaec requiritur coram officiali municipali actus status civilis, qui utique est solemnis promissio nuptias in faciem Ecclesiae contrahendi (4). Atvero ex huiusmodi promissione nulla sponsis datur actio ad matrimonium contrahendum, sed solummodo ad indemnitatem illi non denegatur ius, qui nullam dederit caussam a nuptiarum celebratione recedendi (5). Denique si matrimonium contrahatur in faciem Ecclesiae absque indicata promissione, validum profecto erit, at nullum ius civile pariet inter ipsos coniuges, nec inter filios nasciturus, quia civilibus caret effectibus (6).

VIII. Quod vero cognationem civilem spectat: prohibetur matrimonium I. inter adoptantem, et adoptatum, vel adoptati descendentes II, inter adoptantem, et coniugem adoptati III, inter adoptatum, et adoptantis coniugem IV, inter adoptatum, et adoptantis filios, licet adoptivos (7). Cum vero matrimonii impedimenta constituendi potestas catholicae Ecclesiae iure divino insit (8), quod profecto ius vel a prima aetate ipsa exercuit, hinc duo veluti corollaria deduces: alterum, quod impedimentum istud iure civili invectum, et ab Ecclesia receptum, et adprobatum (9) dirimens prorsus evasit inter personas designatas n. I. II. III; alterum, quod si matrimonium contrahatur inter adoptatos, et adoptantis filios, licet adoptivos, validum illud erit, quia deest ecclesiastica sanctio, at effectibus civilibus minime gaudebit, quippe quod civilibus legibus adversatur.

TITULUS X.

DE DIVORTIIS.

I. Matrimonium aeque iure naturae, ac divino individuum probat ipsa matrimonii divina institutio. Scilicet mulier ex costa viri condita ipsi viro ea ratione in adiutorium data est, ut *duo essent in carne una*, hoc est arctissima, et perpetua coniuncti necessitudine (10). Attamen aeque apud gentes, ac apud hebraeos divortia recepta sunt. Apud gentes quidem ex morum corruptela: apud hebraeos vero quod Deus eorum pervicaciam dissimularit, unde hebraeis divortia permissa quidem, seu potius tolerata, haud vero concessa. Tandem Christo Domino reservatum erat coniugium ad pristinam integritatem, ac sanctitatem restituere. *Quod Deus coniunxit, homo non separet . . . Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit, moechatur* (11).

(1) Sess. XXIV. cap. I. de reformat. matrim. — (2) Cod. Civ. tit. II. art. 68. (3) Cod. Civ. tit. V. art. 179.—(4) Cod. Civ. tit. II. art. 77. — (5) Ibidem art. 78. — (6) Cod. Civ. art. 189.—(7) Cod. Civ. art. 159., et 160. — (8) Trid. sess. XXIV. can. XII.—(9) Can. I cap. XXX. quaest. 3. cap. unic. de cognat. legali. (10) Gen. II. — (11) Matth. XIX. 8.

II. Quod vero *ibidem* Christus addat: *nisi ob fornicationem* ει μη επι πορνεια: hinc gravis inter antiquos Patres exarsit controversia, quidnam πορνειας *fornicationis* nomine intelligendum, aliis quodcumque enorme mulieris crimen interpretantibus, uti non adulterium modo, verum et homicidium, veneficium etc, ita Origenes (1), aliique apud Augustinum (2): aliis contra Evangelii verbis litteralem puram putamque significationem adfigentibus, scilicet της πορνειας *fornicationis* vocabulum nonnisi veram carnalemque fornicationem, sive adulterium efferre. Profecto altera istbaec interpretatio magis videtur fuisse apud Patres, veteresque interpretes recepta.

III. Iam vero gravior inde exstitit quaestio: scilicet num, inducto caussa adulterii, aliaque legittima caussa divortio, novas inire nuptias integrum coniugibus, vel saltem viro haberetur. Nonnulli quidem ex antiquis Patribus, uti Lactantius (3), Epiphanius (4), Basilius (5), tum et concilia quaedam praesertim gallicana, uti compendiense (6), vermeriense (7), capitularia regum francorum *V.* 19. in eam videntur abiisse sententiam, scilicet per adulterium ipsum coniugii vinculum prorsus abrumpi, novasque contrahere nuptias licere. Christiani quoque principes suis legibus plures constituerunt, tanquam legitimas repudii caussas, uti non adulterium modo, homicidium, veneficium, verum et sepulcrorum violationem, monachatum, captivitatem ultra quinquennium etc. Porro has imperatorias leges, ubi ex levioribus caussis repudia concedunt, Evangelio satis evidenter adversari, nemo non videt. Fortasse principes ad evitandos tristes eventus huiusmodi divortia toleraruñt.

IV. At opposita sententia communior videtur fuisse in Ecclesia, atque adeo perpetua traditione custodita. Profecto Origenes docet contra Scripturae sensum agere, qui nuptias post divortium concedunt. Idem tradunt Hieronymus (8), Innocentius I. (9), concilium milevitanum (10), Augustinus (11). Quinimmo Augustinus totus in eo est, ut ostendat, et quidem rationibus tum e sacris Litteris, tum ab mysterio unitatis Christum inter et Ecclesiam, quae in coniugio elucet individuam matrimonii societatem nullo pacto posse adulterio dissolvi. Eandem doctrinam pleraque concilia probarunt,atque secutis temporibus recepta evasit latinae Ecclesiae sententia. Unde concilium tridentinum in hunc modum decrevit (12): *si quis dixerit Ecclesiam errare, quum docuit, et docet iuxta evangelicam, et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi et utrumque, vel etiam innocentem, qui caussam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit, anathema sit.*

V. Porro in latina etiam Ecclesia probatae quaedam non desunt caussae, ob quas divortia concedere legitimae potestati fas iusque est. Atque hae

(1) Hom. VII. in Matth. — (2) Retract. lib. I. cap. XIX. — (3) Divin. instit. VI. 23. — (4) Haeres. LIX. n. 4. — (5) Can. IX. ad Amphilochium. — (6) Can. XIX. caus 22. q. XII. — (7) Ibid. can. XXIV.
(8) Epist. 30, et 147. — (9) Epist. ad Exuperium cap. 6. — (10) Can XVII.
(11) De bono coniug. cap. 7, et alibi. — (12) Sess. XXIV. de Sacr. matrim. can. VII.

in duplici sunt specie:aliae enim coniuges quoad thorum duntaxat, et cohabitionem separant: aliae etiam quoad vinculum, quod proprie *divortium* dicitur. Iuvat hic quosdam veluti canones statuere, quibus rem omnem paucis expediemus.

Canon 1. Matrimonium inter infideles initum, quod civilis contractus rationem habet, unde et *legitimum* vulgo dicitur, recte dissolvitur per alterius coniugis ad fidem conversionem, ubi coniux infidelis cum fideli *vel cohabitare renuat, aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum* (1), et quidem ex Apostoli doctrina (2). Qua de re ubi pars infidelis cum fideli cohabitare velit, eique nullam molestiam inferre, fidelem iubet Apostolus cum infideli morari ad eius salutem procurandam.

Canon 2. Matrimonium fidelium ratum, at non consummatum omnino dissolvitur per sollemnem alterius coniugis in Religione adprobata professionem (3). Qua de re coniugibus duo menses conceduntur ad deliberandum de Religione suscipienda (4). Intra quod tempus coniux cogitans de Religione non tenetur consummare, nec potest sine iniuria ad id cogi. Quinimmo etiam post bimestre quandiu matrimonium non est consummatum, tandiu liberum est coniugibus Religionem ingredi, et uno profitente potest altera ad secunda vota transire (5).

Canon 3 Ubi coniuges mutuo consensu professionem amplectantur religiosam, separantur quidem perpetuo thoro, et cohabitatione, at matrimonii vinculum non dissolvitur (6).

Canon. 4. Non licet coniugi altero invito Religionem ingredi, vel ullo pacto continentiam vovere (7). Igitur coniux, qui altero invito continentiae fibula se obstringit, cogitur ad thorum redire, coniugi in re uxoria satisfacere, ipse tamen ab matrimonii usu arcetur, ut, qua ratione potest, promissionem adimpleat (8).

Canon. 5. Romanum Pontificem posse matrimonium ratum non consummatum gravem ob caussam dissolvere plerique tuentur theologi, et canonistae. Hoc iure plures Romanos Pontifices usos fuisse dubitandum non est.

Canon. 6. Ob voluntarium alterius coniugis adulterium perpetuum quoad thorum, et cohabitationem divortium iura permittunt: quoad thorum quidem privata etiam auctoritate: at quoad cohabitationem, nonnisi ex iudicis sententia (9). Excipe, ubi maritus adulter sit, aut ipse uxorem prostituerit, quo casu marito ab uxore divertere ius non est (10). At contra uxorem adulteram omnino dimittere maritus tenetur, ne turpitudinis patronus esse videatur (11). Porro acta poenitentia, licet non cogatur, potest tamen ex lege charitatis dimissam uxorem recipere (12).

Canon. 7. Sunt denique et aliae caussae, propter quas coniugis ab coniuge separatio ex iudicis auctoritate sanciri quiverit: uti apostasia, vel haeresis alterius coniugis, saevitia, aliudve enorme delictum. Verum eiusmo-

(1) Cap. VII. de divortiis. — (2) Epist. I. ad Corinth. cap. 7. — (3) Cap. II. de conversione coniugatorum. — (4) Cap. VII. ibidem. — (5) Cap. II. ibidem.
(6) Gregorius M. lib. IX. epist. 39. — (7) Can. XI. caus. 33. q. V. — (8) Cap. III. ibidem.—(9) Cap. III., et VI. de divortiis.—(10) Can. I. caus. 32. q. VI. cap. IV. de divortiis. —(11) Cap. IV., et VI. caus. 32. q. I.—(12) Can. V. eodem: cap. III. de adulter.

di separatio nonnisi temporaria, infligi potest, scilicet quousque malum, vel incommodum, quod ex mutua cohabitatione timetur, cessct. At contra separatio ob adulterium, uti modo indicavimus, solet esse perpetua. Quae vero cumque caussa fuerit, nonnisi ex iudicis auctoritate divortium iubetur, qui hac in re cautione quanta maxima se gerat necessum est, et quidem ob gravia mala, quae tum quoad ipsos coniuges, tum quoad liberos, totamque familiam ex divortiis exoriri quam frequenter solent (1).

De secundis nuptiis

VI. Secundas nuptias Ecclesia nunquam improbavit, et quidem ex Apostoli doctrina (2). Attamen non defuere haeretici, qui secundas nuptias damnarent, uti Montanistae: qua de re Tertullianus catholicos per sarcasmum psychicos, hoc est *carnales*, *et incontinentiae deditos* adpellat (3). Novatiani quoque eandem haeresim amplexati sunt, uti constat ex synodo nicaena, quae Catharos, sive Novatianos ea conditione recipiendos decrevit scilicet *prae omnibus eos scriptis convenit profiteri*, *quod catholicae*, *et apostolicae Ecclesiae dogmata suscipiant*, *et sequantur*, *id est et bigamis se communicare*, *et his*, *qui in persecutione prolapsi sunt* (4).

VII. Legibus Romanorum olim vetitum mulieri intra annum luctus secundo nubere; atque adeo mulieres hanc legem infringentes infamia notabantur, nec levibus mulctabantur poenis (5). Porro iure decretalium mulier intra annum luctus nubens uulli poenae fit obnoxia, neque ullam infamiae notam contrahit (6).

VIII. Negandum tamen non est, Ecclesiam secundas, ac potiori iure ulteriores nuptias, nunquam non agnovisse tanquam incontinentiae speciem praeseferentes, ipsosque nuptias iterantes eo nomine haud parum suspectos. Quinimmo Patres nonnulli, praesertim graeci, opprobriosis quibusdam titulis trigamiam, ulterioresque nuptias donarunt, uti speciosi adulterii, honestae fornicationis, vitae porcinae etc. (7), Tum concilia sancitis canonibus publicam nuptias iterantibus poenitentiam inflixere: uti neocaesareense *can. VII.* Quae poena licet secutis temporibus ablata sit, adhuc tamen Ecclesia ostendit non aeque primas, ac secundas, ulterioresque nuptias sibi probari; dum illas duntaxat, non autem has a sacerdote speciatim benedici iubet (8) Tum Alexander III. ibid cap. 1: *capellanum*, *qui benedictionem secundis nuptiis impenderat, ab officio, beneficioque suspensum cum litterarum Episcopalium testimonio ad Sedem Apostolicam destinari* praecepit. Haec quidem poena, et ad Sedem Apostolicam remissio hodie in usu non est, passim tamen recentiores libri rituales secundis nuptiis benedictionem haud impertiendam praescribunt (9).

(1) Espenius part. II. sect. I. tit. XV. cap. II. n. 18. — (2) Epist. II. ad Cor. 7: et epist. I. ad Timot. 5. — (3) De monogamia cap. I. — (4) Can. VIII.
(5) L. I. II. Cod. de secund. nupt. — (6) Cap. IV., et II. de secundis nuptiis.
(7) Athenagoras legat. pro Christ: auctor operis imperf. in Matth. hom. XXXII. Nazianzenus orat. XXXI. cap. III. — (8) Cap. III. de secund. nupt. —(9) Rituale roman. de Sacram. matr.

TITULUS XI.

DE CONSTRUENDIS AEDIFICANDIS ET REPARANDIS ECCLESIIS ET ALTARIBUS

Nominis Ecclesia *etymon, et usus*

I. *Ecclesia* graecum nomen est εκκλεσια ab εκκαλειν *evocare. Sic* dicebatur Athenis coetus convocatus ad audiendum de Reipublicae negotiis. Merito igitur coetus fidelium Apostolorum, vel apostolicorum virorum praeconio ad Christi fidem evocatorum Εκκλεσια *Ecclesia* dictus est. Porro eadem vox aeque in veteri, ac in novo Testamento μετωνυμικος usurpari consuevit: pro loco scilicet, quo evocati convenirent. Sic Iudith. V: *intra Ecclesiam oraverunt.* Et *Apostolus* (1): *convenientibus vobis in Ecclesiam . . . aut Ecclesiam Dei contemnitis.* Hoc sane nomine ad sacras aedes designandas plerumque, ac praecipue fideles usi sunt.

Varia nomina, quibus olim Ecclesiae nuncupatae sunt

II Verumtamen aliis quoque nominibus antiquitus quam saepissime donatae sunt. Ac 1. dictae sunt Κυριακα *dominica*, sive *domus Dei.* Hinc celebris a Constantino, eiusque filio Constantio Antiochiae aedificata Ecclesia *dominicum aureum* nuncupatum est (2). Eadem adpellatio iu veterum conciliorum canonibus frequenter occurrit.

2. *Oratoria* Ευχτηρια προσευκτηρια, vel *domus praedicationis* Ευκτηριος οικος. Sic Eusebius: *qui Deo bellum indixerant*, oratoria eius των αυτs προσευτηριων τας οικοδομας *ab ipsis fundamentis everterunt* (3). Huic adde Sozomenus (4). Porro aliquando *oratoria* speciatim dicta sunt privata sacella faciendis precibus, non autem Missis celebrandis destinata. Verum et in his seculis temporibus, exceptis sollemnioribus festis diebus, ex Episcopi venia Missae celebrari coeperunt: id quod saeculo VI. iam obtinuisse colligitur ex concilii agathensis *can. XXI.*

3. Βασιλικαι *basilicae, et* ανακτορα *regiae.* Basilicae dictae sunt, vel ob magnificentiam, vel quod romanae aulae basilicae in Ecclesias essent conversae. Qua re haec vox apud Patres IV., et V. saeculi frequenter occurrit. Tum voce Ανακτορου utitur Eusebius (5): *interius vero* Ανακτορου *regiam ad summam erexit altitudinem.*

4. *Templa*: vox haec per tria priora saecula haud usurpata reperitur: ea siquidem adpellatione abstinuere veteres, propterea quod tunc temporis eo nomine nuncupabantur loca cultui idolorum destinata. Superstitione prostrata, atque idololatria eversa, quum templa in Ecclesias christianas consecrari coepissent, Patres templi nomine deinde uti non dubitarunt. Sic Eusebius Ecclesiam in urbe Tyro a Paullino exstructam *templum* nominat (6).

5. Aliquando *prophetea apostolea, et martyria* Ecclesiae illae dictae sunt, quae sepulcro, confessione, vel memoria alicuius *Prophetae, Aposto-*

(1) Epist. ad Cor. XI. — (2) Hieron. in chron. olymp. CCLXXVI. an. III.
(3) De laudibus Constantini cap. XVII. — (4) Lib. II. cap. VII. — (5) De laudibus Constantini cap. II. — (6) Lib. X. cap. IV.

*

li, aut *Martyris* decoratae essent. Sic in concilio constantiensi sub Menna *propheteum s. Iesaiae* occurrit (1). Sozomenus Ecclesiam in honorem ss. Petri, et Pauli constructam *apostoleum* cognominatam scribit (2). Demum vox *martyrium* apud ecclesiasticos scriptores quam frequenter occurrit, Eusebium, Socratem, Augustinum etc.

De nomine capellae

III. Quae hactenus recensuimus praecipua sunt nomina, quibus veteres ad sacras aedes indicandas uti consueverunt. De nomine duntaxat *capellae*, vel *cappellae* liceat hic pauca subnectere. De ετυμω non constat, aliis a *capiens populum*, aliis a καπηλειον *taberna*, aliis aliunde eam vocem deducentibus. Profecto capellae olim dictae sunt conditoria, in quibus reliquiae Sanctorum includebantur. Porro huiusmodi conditoria, sive capellae, vel portatiles fuerunt, quarum praecipuus in castris usus ad rem divinam faciendam; vel fixae auctoritate Episcopi adhibitis Sanctorum reliquiis a potentioribus in suis praediis ad rusticorum praesertim commodum construebantur, quique iisdem praeficiebantur sacerdotes, capellani dicti sunt. Capellae quoque nomen Ecclesiis monachorum, et monialium tributum occurrit, quippe quae eorumdem usui duntaxat erant addictae, quaeque dein in amplissimas mutatae sunt Ecclesias.

De Ecclesia matrici cathedrali collegiata baptismali

IV. *Matrices* antiquitus dictae sunt Ecclesiae apostolicae, tanquam fidei originales (3). Dein eo nomine Ecclesiae cathedrales designatae sunt (4). Demum secutis temporibus matricis nomen maiori baptismali datum est, quasi ipsa alias baptismales, sic dictas *filiales*, veluti mater generasset (5).

V. *Cathedralis*, sive *cathedrae* adpellatione semper illam Ecclesiam veteres indigitarunt, quae sedes erat Episcopi, et praecipua totius civitatis parochia. Antiquitus in unaquaque civitate unica erat Ecclesia sicut cathedralis, ita et parochialis: id quod de ipsa urbe Roma saeculo IV., et V. observat Valerius (6), quem morem nonnullae Italiae civitates, licet amplae, adhuc retinent.

VI. *Collegiata* dicitur Ecclesia Canonicorum, quae collegium quidem habet, sive Capitulum, haud vero Episcopum: Episcopo enim εγγυθεν *e propinquo* Ecclesia cathedralis subest, qui plures suae ditioni collegiatas subiectas habere potest. Qui collegiatae αμεσως *immediate* praeest, plerumque *praepositus* nuncupatur(*).

VII. *Baptismalis* est, quae habet baptisterium, quod olim, uti mox videbimus, nonnunquam extra Ecclesiam constructum erat. Iam vero cum baptismali haud confundenda *parochialis*, quae non semper habet baptisterium. Etenim interdum in honorem matricis praescribitur, ut novae parochialis Ecclesiae incolae Baptismum nonnisi a matrice recipiant.

(1) Act. III. — (2) Lib. VIII. cap. XVII.
(3) Tertull. de praescript. cap. XXI. — (4) Codex africanus can. XXXVIII: et Ferrandus breviat. canonum can. XI.—(5) Cap. I. clement. de sentent. excomm: trid. sess. XXI. de ref. cap. 7. — (6) In notis ad Sozom. cap. XV.
(*) Videsis nostras additiones *de Ecclesiis collegiatis* ad tractatum de beneficiis Caroli Gagliardi tom. I. pag. 49.

Ecclesiae divino cultui unice addictae

VIII. Ecclesias, sive loca divino cultui peragendo iam inde ab Apostolorum aevo addici coepisse, tum ex modo producta Apostoli sententia (1), aliisque novi Testamenti locis constat, tum vel maxime ex antiquissimorum Patrum testimoniis Ignatii, Clementis alexandrini, Tertulliani etc. Speciminis loco sint s. Clemens romanus, qui de sacra liturgia haec habet (2): *statutis temporibus oblationes, et officia perfici, neque temere, et inordinate fieri praecepit, sed praefinitis temporibus, et horis, ubi* etiam, *et a quibus celebrari vult.* Pius. I. epist. II. Pastorem presbyterum eo nomine laudat, quod *Ecclesiam condidit.* Tertullianus: *aliquando prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo* (3). Demum de *Gregorio thaumaturgo* scribit *Gregorius nyssenus in eius vita*, ipsum diversas Ecclesias Neocaesareae, et in adiacentibus Ponti partibus aedificasse. Porro quae saevientibus persecutionum fluctibus rariores, ac fortasse subrusticae erant, reddita post a Constantino M. Ecclesiae pace, frequentiores, et magnificentiores esse coeperunt.

De varia veterum Ecclesiarum forma

IX. Formam quod spectat, Ecclesiae vel oblongae erant, ac navi similes (4), vel rotundae, quemadmodum Ecclesia a Constantino M. in ipso Servatoris nostri sepulcro constructa (5): vel ad octoedri formam, uti Ecclesia Nazianzi a s. Gregorio Nazianzeno parente condita (6), vel demum Crucis instar, cuiusmodi Ecclesiam Apostolorum fuisse Constantinopoli ab ipso Constantino M. aedificatam, auctor est idem Nazianzenus *carmine IX.*

X. Neque situs idem omnium antiquitus Ecclesiarum; at plerumque introitus Occidentem, Sanctuarium Orientem spectabat (7) Quare de Ecclesia antiochena scribit Socrates (8): *inversus est Ecclesiae situs: neque enim altare ad solis ortum spectat, sed ad occasum.* Idem de Ecclesiis ab utroque Paullino tyrio, et nolano aedificatis etiam constat (9). Quinimmo non defuisse Ecclesias, quae nec Orientem, nec Occidentem spectaverint, colligitur ex Socrate (10), et ex Walafrido Straboue (11). Cathedralis neapolitana antiquissimarum Ecclesiarum instar, est oblonga, navi similis, et ex parte Sanctuarii, quod Orientem versus spectat, formam Crucis repraesentat.

De pluribus aeque interioribus, ac exterioribus Ecclesiae partibus

XI. Ecclesiae antiquitus, praesertim ampliores, pluribus constabant partibus, aliis interioribus, exterioribus aliis. Interiores erant Προναος *nar-*

(1) Epist. I. ad Cor. 2. — (2) Epist. I. ad Cor. n. 40. — (3) De corona militis cap. III. — (4) Auctor constit. lib. II. cap. 57.
(5) Eusebius vita Const. lib. III. cap. 38. — (6) Nazianz. orat. XIX. de laudibus patris. — (7) Auctor constit. ibid. — (8) Lib. V. cap. 22. — (9) Eusebius lib. X. cap. IV. Paullinus epist. XII. ad Severum. — (10) Lib. I. cap. XXII. — (11) De rebus Eccles. cap. IV.

thex, Ναος *navis*, *et sanctuarium*. Narthex locus destinatus energumenis, and entibus, sive poenitentibus, sive catechumenis; adhaec et iudaeis, gentilibus, haereticis, schismaticis: *nullus enim*, ut loquitur synodus carthaginensis IV. (1), *prohibeatur ingredi Ecclesiam, et audire verbum Dei, sive gentilis, sive haereticus, sive iudaeus usque ad Missam catechumenorum*. Dicta est narthex, quod figurae esset oblongae, et graecis quaevis huiusmodi figura Ναρθηξ dicebantur, quod latine *ferulam* significat.

XII. Ναος *aedes*, sive *navis* altera interior Ecclesiae pars plerumque in quadrum constructa in duas partes dissecabatur, in quarum priore, et humiliore stabant poenitentes dicti *υποπιπτοντες prostrati*: altera vero superior, et nobilior plura distincta loca complectebatur ex ordine poenitentibus, sic dictis *consistentibus*, fidelibus communicantibus, virginibus, viduis, cantoribus, et lectoribus addicta. Veteribus ambo adpellata est ab *αναβαινειν adscendere*; locus enim erat editus, ad quem per gradus adscendebatur.

XIII. Tertia demum, et sacratior Ecclesiae pars erat *sanctuarium*, dictum quoque Βημα sive *tribunal*, Αγιον *sanctum* Ιερατειον *sacrarium*, Θυσιαςηριον *locus altaris*. Locus hic septis, sive cancellis a reliquo Ecclesiae spatio separabatur. Suprema pars dicta *apsis*, Episcopo, presbyteris, et diaconis dumtaxat pervia, reliquis inaccessa. In eius medio altare dictum *αγιοι αγιων Sanctum Sanctorum* situm erat, a cuius tergo Episcopi thronus, et presbyterorum throni secundi, sive subsellia constituta erant.

XIV. Exteriora Ecclesiae aedificia quod spectat praecipua erant, vestibulum graece Προπυλον (2), aliisque graecis scriptoribus dictum *προπυλον μεγα vestibulum magnum*, Εισοδος *πρωτη introitus primus*, ut illud ab aliis contiguis Ecclesiae vestibulis, et a secundo introitu distinguerent. Plerumque splendidum erat aedificium, quod ab Ecclesia *atrium* sive *impluvium* separabat, locus scilicet apertus, et patens ex quatuor lateribus porticibus circumseptum, et in medio fontem habens in populi usum ad abluendum ex eo faciem, et manus, unde mos derivasse videtur aquae lustralis, quae ab Ecclesia peculiaribus quibusdam ritibus, ac precibus benedicta a fidelibus salubriter adhibetur.

XV. Baptisterium: aedificium satis amplum, et antiquitus extra Ecclesiam constructum. Unde Paullinus (3): *tu vero etiam* baptisterium *basilicis duabus interpositum condidisti*. In duas partes dispescebatur, quarum prior dicebatur *προαυλιος οικος vestibulum*, ubi fiebant a catechumenis abrenunciationes: in altera autem, quae *εσωτερος οικος interior domus* dicebatur; ablutio, ac ritus eiusdem comites peragebantur.

XVI. *Secretarium*, sive *diaconion*: locus, in quo sub diaconorum cura vestimenta, vasa, instrumenta altaris, pretiosa quaevis Ecclesiae oblata, donaria, aliaque huiuscemodi ad Ecclesiam pertinentia reposita servabantur. Unde nonnunquam adpellatus *κειμηλιαρχειον cimiliarchion, et σκευοφυλακιον scevophylation*.

XVII. *Pastophoria παςοφορια* horum meminit auctor constitutionum (4), ex cuius narratione videntur fuisse aedificia ab utroque Ecclesiae latere ad

(1) Can. LXXIV: — (2) Eusebius lib. III. de vita Constant. cap. XXXV., et lib. X. cap. IV.
(3) Epist. XII. ad Severum. — (4) Lib. II. cap. LVII.

extremitatem orientalem constructa ad servandas post omnium communionem Eucharistiae reliquias. Porro pastophoria aliis quoque usibus fuisse addicta ex aliis monumentis colligere licet, id quod in nostris *antiquitatibus christianis* excuticmus, ubi de variis Ecclesiae partibus qua exterioribus, qua interioribus fusius, et exquisitius agemus.

XVIII. Ex nova disciplina plerumque Ecclesiae duabus constant partibus interioribus: scilicet Ναῳ *nave*, et *sanctuario*, quod a Ναῳ *nave* cancellis distinguitur, ac in tres partes dispescitur; *presbyterium*, scilicet locum, ubi nonnisi Ecclesiae ministris, dum Missae Sacrificium celebratur, consistere licet: *altare*, et *chorum*, scilicet locum presbyteris, aliisque clericis divina officia peragentibus addictum. Baptisterium ut plurimum in ipsa nave Ecclesiae situm est, et nonnisi in Ecclesiis celebrioribus peculiare est aedificium cancellis munitum: uti in nostra cathedrali neapolitana. Paucae sunt Ecclesiae, quae habent atrium, et plerumque vel omnino tectum, vel prorsus patens. Ecclesiae cathedrales capuana, et salernitana pulcherrimam habent aream, sive atrium patens, porticibus circumseptum, statuisque exornatum cum media amplissima fonte instar antiquae modo descriptae. Nulla est Ecclesia, quae non habeat diaconicon, sive sacrarium: nec desunt Ecclesiae, quae praeter diaconion habent quoque *κειμηλιαρχειον cimeliarchion*, *tesoro*. Postremo Ecclesiae maiores, praesertim cathedrales, habent etiam adiecta aedificia ad presbyterorum, aliorumque clericorum ipsis inservientium usum.

De altari eiusque usu

XIX. Altaria divinis peragendis mysteriis instituta in Ecclesiis, vel in oratoriis ab Episcopo designatis, et visitandis, haud vera alibi erigenda sunt (1). Quo decreto tum privilegium, quo nonnulli regulares fruebantur, abrogatum est, utendi scilicet altari portatili: tum Episcopis facultas adempta est veniam impertiendi, ut in domibus privatis Missa celebretur, tametsi in illis oratoria divino cultui destinata exstructa sint (2). Veruntamen integra Episcopis praerogativa servata est babendi privatum oratorium in propriis aedibus suae dioeceseos (3): adhaec et utendi altari portatili, ubi extra dioecesim degere contigerit (4). Verum decreto Clementis XI. edito die 15. decembr. an. 1713. vetantur Episcopi, aliique Praelati, etiamsi cardinalatus dignitate praefulgeant, in domibus laicis, sive propriae, sive alienae dioeceseos erigere altare, ibique sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare, vel mandare, ut celebretur.

De Ecclesiis aedificandis

XX. Ecclesias, sive oratoria sine Episcopi auctoritate construere semper in Ecclesia vetitum (5). Tum Iustinianus sanxit (6), nemini licere Ec-

(1) Trid. sess. XXII. decret. de observ., et vitand. in celebr. Missae.
(2) Fagnanus ad cap. *in his de privilegiis* — (3) Can. XXX. de consecratione. — (4) Cap. fin. de privilegiis in VI. — (5) Conc. chalced. can. IV. — (6) Nov. LXVII.

clesiam, aut oratorium aedificare, antequam Episcopus orationem in loco faciat, et Crucem figat, id quod in synodis ecclesiasticis dein firmatum fuit.

XXI. Ecclesiae passim, et sine delectu aedificandae non sunt: unde Iustinianus *ibid.* addit: *processum illuc faciens, et caussam manifestam omnibus statuens:* praestat enim veteres collapsas restaurare, quam novas construere.

De novarum Ecclesiarum erectione

XXII. Porro legitimae non desunt caussae novas erigendi Ecclesias: praecipuae sunt 1. Populi incrementum: ubi enim fidelium multitudo ita excrevit, ut vetus Parochialis populi frequentiae satis non sit, tunc in subsidium novam construi utilitatis ratio suadet. Iam vero ex tridentino (1), populi incrementum satis caussae non est, cur nova erigatur parochia, sed potius rectores cogendi sunt, aliive ad quos attinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, et divinum cultum praestandum.

2. Si fideles sine imminenti periculo in unum convenire nequeant: unde leprosis, aliisque contagioso morbo laborantibus merito nova eorum usui addicta construetur Ecclesia, ne ex ipsorum contactu reliqui fideles inficiantur (2).

3. Episcopis indultum est pro paranda sibi sepultura Ecclesiam aedificare, eidemque ex propriae Ecclesiae reditibus dotem adsignare (3).

4. Novi monasterii constructio: monachi enim poene ab ipsa monasticae vitae instructione praerogativa fruuntur propriam Ecclesiam habendi Episcopi auctoritate erectam (4).

5. Demum et potissima, ac magis frequens caussa est locorum distantia, et difficultas: *unde parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, et divina officia audienda accedere non possint* (5). Igitur ubi eiusmodi sit distantia, et viarum discrimen, ut propterea parochianis sine magno incommodo non pateat ad Ecclesiam maiorem accessus, id satis erit caussae, cur nova excitetur parochia.

XXIII. Verum in nova hac erectione plura caute servanda sunt. 1. Rector veteris Ecclesiae, aliique, quorum interest, omnino audiendi sunt: porro si inique renuant, poterit Episcopus, ipsis etiam invitis, ad novam progredi erectionem.

2. Sacerdotibus novae parochiae praeficiendis congrua Episcopi arbitrio adsignanda est portio ex fructibus ad Ecclesiam matricem quodammodo pertinentibus: adhaec fideles, qui ad novam spectabunt parochiam, eidem decimas, oblationes, aliaque iura praestare aequum omnino est.

3. Peculiares etiam redditus novae parochiae addicendi sunt pro sacris indumentis, luminaribus, alioque Ecclesiae ornatu (6).

4. Matrici Ecclesiae filiali conveniens pro loci facultate servandus est

(1) Sess. XXI. de ref. cap. IV. — (2) Cap. II. de Eccles. aedific. et repar.
(3) Cap. IX. de donationibus, et can. LXXIV. caus. XII. q. II.—(4) Conc. chalced. can VI.
(5) Trid. sess. XXI. de ref. cap. IV. — (6) Cap. VIII. de consecratione.

honor, scilicet aliquid annuatim in signum subiectionis praestetur Episcopi iudicio constituendum.

5. Episcopi dioecesani consensus exquirendus (1). Episcopi enim ius est Crucem in loco, in quo futurum est altare maius, defigere, atrium designare, aliaque a Rituali romano praescripta exequi.

6. Demum cavendum Episcopis est, ne nova Ecclesia quaestus caussa aedificetur: unde synodi bracarensis *can. VI.* sancitur: *nullus Episcoporum basilicam, quae non pro Sanctorum patrocinio, sed magis pro tributoria conditione est condita, audeat consecrare.*

De reparandis Ecclesiis

XXIV. Iam inde ab VI. saeculo viguit consuetudo, ut certa redditūum ecclesiasticorum portio, et quidem tertia, aut quarta pro vario diversarum Ecclesiarum more Ecclesiae fabricae reservetur. Hoc iuris Augustino Angliae Episcopo praescripsit S. Gregorius M. (2): idem quoque constituunt alii canones *ibidem* a Gratiano relati. Eandem Ecclesiarum praecipue hispaniensium fuisse disciplinam, et quidem *ex antiqua traditione* evincitur ex concilio tarraconensi *can. VIII.*

XXV. Porro secutis temporibus illud iuris hac in re servatum est 1. Ut beneficiarii ad Ecclesiam, in qua beneficium possident, instaurandam cogantur, nisi Ecclesia suos pro fabrica peculiares redditus habeat (3). 2. Ad necessariam Ecclesiae cathedralis reparationem quilibet Canonicus symbolam conferre tenetur, si id Praelatus cum maiori parte capituli constituerit (4). 3. Ex decimis quoque, aliisque oblationibus certa pro Ecclesiae instauratione deducenda est portio (5). 4. Eidem quoque oneri obnoxii sunt, qui ius percipiendi decimas habent, licet beneficiarii non sint (6). 5. Demum ex concilii tridentini praescripto (7) patroni, qui fructus ex Ecclesiis provenientes percipiunt, et in eorum defectum etiam parochiani ad Ecclesiae parochialis instaurationem cogi poterunt: aequum enim est, ut qui alimenta spiritualia in ea percipiunt, eidem instaurandae symbolam conferant.

TITULUS XII.

DE CONSECRATIONE ECCLESIARUM

I. In Ecclesia iam constructa, ac dotata sacra celebrare vetitum est, nisi prius consecratio peragatur, quae vulgo *dedicatio* dicitur: porro differt a consecratione *dedicatio*, ut enim erudite observat cl. Mazochius (8) *to dedicare* tantundem est, quod posterior aetas *encaeniare* dixit (9) ab graeco ἐγκαινίζειν regni neapolitani idiomate *ingegnare*. At consecratio potius ad caeremonias pertinet, quibus templa consecrantur. Verum quia utrum-

(1) Can. XXXIV. caus. 16. q. I., et can. IX. de caus. dist. I.
(2) Can. XXX. caus. 12. q. II. — (3) Cap. I., et IV. hoc. tit. — (4) Cap. fin. de iis. quae fiunt a maiori parte Capituli. — (5) Can. II., et III. caus. 10. q. III.
(6) Eodem can II. — (7) Sess. XXI. de ref. cap. VII.
(8) In dedicat. sub ascia n. 27: et 34. — (9) Aug. in Io: cap. XLVIII.

que coniunctim perficitur, inde factum est, ut utraque vocabula promiscue adhibeantur.

II. Ecclesias iam inde ab IV. saeculo consecrari consuevisse, patet ex Eusebio (1), et ex Athanasio (2). Veruntamen ritus non semper iidem fuere. Ex IV., et V. saeculi disciplina vicini Episcopi ad eiusmodi sollemnitatem evocati sunt. Quinimmo et hac occasione nonnunquam synodi celebratae, ut *antiochena* ann. 341, quae propterea synodus in Ἐγκαινίοις *encaeniis* dicta, tum ab Episcopis, Clero, et populo pro suo quisque munere preces fusae, sermones habiti qua theologici, qua biblici, qua panegyrici, ac demum incruentis sacrificiis, mysticis oblationibus, hymnis, aliisque pietatis operibus summa cum hilaritate dedicationis sollemnitas celebrata (3). Martyrum quoque reliquias, ritu saltem Romano, fuisse adhibitas, patet ex Ambrosio (4), et ex Paullino (5).

III. Ritus iure novo servandi prostrant in Pontificali Romano, ex cuius praescripto praecedit ieiunium, et vesperae coram reliquiis subtus altare collocandis canendae: dein mane Episcopus ter ipsam Ecclesiam exterius circumit, et aqua benedicta adspergit, tum Ecclesiam ingreditur, delineato duplici graeco, ac latino in ipso templi pavimento alphabeto, ac una quidem in porta, duodecim vero in interioribus parietibus signatis crucibus, iisdemque sacro chrismate linitis, psalmis, hymnis, precibus, aliisque ritibus Ecclesiam consecrat: tandem Missam celebrat, quae tamen consecrationi ϐσιωδες *essentialis* non est.

IV. Iam vero et altaria peculiaribus consecranda sunt ritibus, quos vide in Pontificali Romano *ibidem*. Illud hic duntaxat observandum, quod si plura in una Ecclesia fuerint altaria, non omnia consecrari oportet, sed tantum maius.

V. Conferenti caeremonias consecrationis Ecclesiae cum ritibus baptismi patebit illas his respondere: qua de re dedicatio templi materialis spiritualem animae in baptismo consecrationem repraesentat. Quinimmo uti Baptismum, ita et Ecclesiae consecrationem iterare vetitum omnino est (6). Adhaec Ecclesiae, et altaris consecratio ordini episcopali ita est addicta, ut simplici Presbytero committi minime queat.

VI. Quam ob rem ubi contingat Ecclesiam pollui per sanguinis, aut seminis humani effusionem, aut per sepulturam pagani, vel excommunicati, tum satis erit illam expiari, sive reconciliari, cadaver effodiendo, eandemque aqua benedicta adspergendo, id quod ab Episcopo omnino praestandum. Porro quum Ecclesiae saepius pollucrentur, ac difficile esset easdem per Episcopos reconciliari, praesertim in dioecesibus nimis amplis; hinc mos inductus est, ipsas non consecrari, sed tantum benedici per adspersionem aquae exorcizatae, scilicet, ut dein pollutae possent per simplicem sacerdotem iussu Episcopi expiari (7). Postremo quod ad altare attinet, licet et illud possit non consecrari, eius tamen tabella saltem consecrata sit oportet (8).

(1) Lib. X. cap. III. — (2) Apol. II. ad Constantium. — (3) Eusebius lib. IV. de vit. Const. cap XLV.
(4) Epist. LIV. — (5) Epist. XII. — (6) Can. XX. de consecr. dist. I.
(7) Cap. fin. eodem tit. — (8) Can. XXX. de consecrat. dist. I.

TITULUS XIII.

DE PRAECIPUIS QUIBUSDAM ECCLESIARUM PRAEROGATIVIS AC SPECIATIM DE IURE ASYLI

I. Ecclesiae quippe divino cultui consecratae ita instructae, ac ordinatae, siut oportet, ut omnia ad pietatem, et sanctitatem excitent. Et sane ea semper viguit disciplina, ut Ecclesiae nonnisi ad divina mysteria celebranda, ad liturgiam peragendam, ad Episcopos, clericosque ad Ordines promovendos, ad synodos, catecheses, aliasve de rebus sacris conciones ad fideles habendas, aliaque id genus praestanda adhiberentur. Ipsae agapae, quae apostolici erant instituti, quod in intemperantiam degenerasseut, vetitae, aut certe imminutae fuerunt (1). Tum in Ecclesiis vigilando, et precando pernoctare viris quidem permissum, haud verò foeminis, *eo quod saepe sub obtentu orationis latenter scelera admittant* (2).

II. Quinimmo veteres tanto ipsas *ὑλικας materiales* Ecclesias honore prosequebantur, ut 1. Episcopi aliquando potius mori, quam illas haereticis profanandas tradere voluerint (3).

2. Tum Principes, Reges, atque ipsi Imperatores domum Dei ingressuri, non modo arma, et custodias foris relinquere, verum et diadema deponere, ac tesseras imperii dimittere consueverint (4).

3. Fideles, ubi in Ecclesiam introirent, manus, et vultum in signum innocentiae, ac puritatis lavare, quin et alicubi calceos detrahere solebant (5).

4. In publicis calamitatibus, ac praesertim in barbarorum invasionibus tantum, tamque tutum perfugium in Ecclesiarum sanctitate positum credebatur, ut non fideles modo, verum et gentiles aliquando saluti suae ad Ecclesias christianas confugiendo prospexissent (6). Satis vulgata est Alarici Regis gothorum historia, qui urbem Romam iam expugnatam diripere non est adgressus, nisi *dato praecepto prius, ut si qui in sancta loca, praecipueque in sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli basilicas confugissent, hos in primis inviolatos, securosque esse sinerent* (7). Quid quod ipsi milites non semel quos servare cupiebant, hos ad Ecclesias adducebant, sicque ab sua ipsorum violentia tutos reddebaut (8).

III. Adhaec deinceps eodem religionis, ac pietatis intuitu omnem actum profanum, ac minus decentem in Ecclesia exerceri canonicis sanctionibus interdictum est. Quamobrem ab Ecclesiis, eorumque atriis, et coemeteriis 1, omnis negotiatio, et venditio arcenda. Ecclesia enim *locus est orationis, non negotiationis* (9).

2. Saecularia iudicia, maxime vero criminalia, quae cum irrita censenda sunt, tum anathematis poenam adnexam habent in illos intentatam, qui

(1) Conc. laodic. can. XXVIII. — (2) Conc. illiber. can. XXV.
(3) Ambrosius epist. XXXIII., al. lib. II. ep'st. XIV. — (4) Chrysost. orat. post. reditum ab exilio: edictum Theodosii ad calcem conc. ephes. — (5) Cassianus instituт lib. I. cap. X. — (6) August. de civitate Dei lib. I. cap. I. — (7) Orosius lib. VII. cap. 39. — (8) Hieron ep. ad Principiam: Sozomenus lib. IX. cap. X.
(9) Synodus trullana can. LXXVI.

in Ecclesiis, vel coemeteriis criminalia iudicia exercere praesumpserint (1).

3. Societatum concilia, conciones civiles, publica parlamenta (2).

4. Vana, ac potiori iure profana, et foeda colloquia, ac quaelibet confabulationes, *ibidem*.

5. Demum convivia, comoediae, ludi theatrales, choreae, cantus lascivi, et quaecumque alia, quae vel divinum turbent officium, vel oculos divinae Maiestatis offendant (3).

De iure asyli

IV. Inter praecipuas Ecclesiae *υλικης materialis* praerogativas illa semper habita est, quae *sacrum perfugium*, *immunitas τοπικη localis*, et vulgatiori vocabulo *ius asyli* dici consuevit. Ipsa quidem natura suasit gentibus templorum reverentiam, cui ipsa Ecclesiarum immunitas innixa est: porro huius limites, sive circumscripta confinia pro variis temporum, ac locorum *περιςασεσι circumstantiis* varia fuere. Eorum vero originem si quaeras, ad ipsa Constantini tempora recurrendum est. Quamvis enim prima, quae hac de re occurrit imperialis sanctio sit illa Theodosii (4), tamen quum in hac imperator, non primo ius asyli decernat, sed potius modum, et limites ipsi figat: constituit enim, ut si publici debitores ad Ecclesias confugerint, vel inde extrahantur, vel Episcopi, qui eos occultare probantur, pro ipsis debita solvere cogantur: hinc profecto licet deducere, iam antea in Ecclesia ius asyli viguisse. Et sane ante an. 392., in quod tempus incidit sanctio theodosiana, perspicue loquuntur de iure asyli Nazianzenus (5), et Ambrosius (6).

V. Arcadius quidem ab Eutropio eunucho sollicitatus legem tulit, Socrate (7), et Sozomeno (8) memoratam, qua omnem poene sacri asyli praerogativam abrogavit (9), unde s. Ioannes Chrysostomus gravem in Eutropium habuit orationem. Verum statim post Arcadii imperium Theodosius iunior sanctionem pertulit, quae integra graece, et latine habetur ad calcem auctorum concilii ephesini, eaque piissimus imperator, et ius asyli sartum, et tectum conservavit, et securitati ad Ecclesias confugientium adversum impetum extrahentium consuluit, et sanctitatem earundem Ecclesiarum a vesania in eas irruentium vindicavit. Quinimmo perfugii limites, qui antea fortasse vel altaris cancellos, vel duntaxat interiora Ecclesiae aedificia non excedebant, ad exteriores quoque exedras, uti baptisterium, aream, porticus, balnea, hortulos, tum et ad aedes Episcopi, et Clericorum, aliaque ad ipsam Ecclesiam pertinentia loca ampliavit.

VI. Eandem *υλικην materialem* ecclesiasticam immunitatem magis magisque adauxit Leo imperator (10). Constituit enim lege per omnia loca valitura, debitores aeque publicos, ac privatos ad Ecclesias confugientes ocu-

(1) Cap. IX. de immunitate. — (2) Conc. lugd. cap. II. de immunitate in VI.

(3) Conc. trid. sess. XXII. decreto de observandis, et vitandis in Missa.

(4) L. I. cod. theod. de his, qui ad Ecclesiam. — (5) Orat. XX. de laud. Basilii. — (6) Epist. XLIV., alias lib. I. epist. XIV. — (7) Lib. VI. cap. V. — (8) Lib. VIII. cap. 7. — (9) L. IV. cod. theod. de his, qui ad Eccles. confug.

(10) L. VI. cod. Iustin. eodem.

tiquam prorsus inde extrahendos, poena capitali his, qui hoc moliri, aut tentare audeant, constituta. Tum nec venerabiles Episcopos, nec religiosos oeconomos ad illorum debita solvenda compelli. Hac profecto lege theodosianae sanctionis pars illa revocata est, qua sanciebatur debita ab Episcopis exigi, si publicos debitores fugitivos protegere, et retinere vellent. Verum Leo ipse, quonam pacto creditorum conditioni prospiciendum sit, *ibidem* statuit. Porro Iustinianus imperator (1) tum theodosianam circa publicos debitores sanctionem renovat, tum homicidis, adulteris, et virginum raptoribus asyli perfugium denegari iubet; id quod postea Carolus M. ad ceteros, *qui legibus mori debent*, delinquentes extendit (2).

VII. Imperialibus sanctionibus plures, ac frequentes iam inde ab V. saeculo accesserunt Romanorum Pontificum decretales, quibus et υλιχη *materialis* ecclesiastica immunitas magis firmata est, et in eiusdem violatores spirituales etiam poenae sancitae. Id quod satis sit indicare, ut in ius nostrum neapolitanum hac de re liberius inquirere possimus.

De iure asyli ex legibus neopolitanis

VIII. Ac 1. pactis conventis inter Honorium IV., et Carolum I. andegavensem *art.* 4. sancitum erat, reos ad Ecclesias confugientes iure asyli gaudere, nec inde invitos posse extrahi, nisi in casibus a iure permissis. Huiusmodi pacta Ferdinandum I. aragonium pragmaticae II. *de clericis servaticis* inserta evulgasse constat. Tum Xystus V. bulla *alias felicis* prag. VII. *de exulibus* adnexa, regiis neapolitani regni ministris speciatim indulsit Ecclesias, monasteria, hospitalia, capellas, aliaque sacra loca ingredi ad extrahendum inde banditos, aliosque facinorosos homines. Adhaec idem Pontifex litteris in forma brevis ad Ioannem de Zuniga proregem neapolitanum datis excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae reservatam in quoslibet ecclesiasticos saeculares, et regulares inflixit: *qui banditos, et viarum grassatores in monasteria, domos, Ecclesias, capellas, hospitalia, aut quaevis alia loca reciperent, iisve opitularentur, aut victum, aliudve necessarium quomodolibet praestarent.* Videsis Quaranta *in summa bullarii verbo* banditorum fautores.

IX. Iam vero Gregorius XIV. priores R. Pontificum constitutiones partim renovans, partim vero temperans ius asyli tantummodo denegandum sanxit laicis grassatoribus, depopulatoribus agrorum, occidentibus, ac mutilantibus in Ecclesiis, vel coemeteriis, homicidis aeque proditoribus, ac assassinis, reisque haereseos, aut laesae maiestatis, data curiae ecclesiasticae facultate huiusmodi delinquentes ab Ecclesiis extrahendi, et ad episcopales carceres adducendi; *quos nonnisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi vere crimina superius expressa commiserint*, curiae traderent saeculari, censuris, aliisque poenis in violatores constitutis.

X. Denique Benedictus XIII. an. 1725. bulla *ex quo divina* criminibus a Gregorio XIV, exceptis alia quoque gravia delicta adcensuit, nimirum homicidas voluntarios, falsantes litteras apostolicas, ministros montis pie-

(1) Novel. XVII. cap. 7. — (2) Lib. I. capitul. cap. 22.

tatis, alteriusve publicae argentariae inibi furtum, aut falsi crimen committentes, monetarios, sacri asyli violatores, ac taudem rapinas in domibus nomine curiae simulato cum homicidio, aut mutilatione agentes: at caussarum hoc caput spectantium cognitione Episcopis, et iudicibus ecclesiasticis luculentius adserta.

De iure asyli ex concordato 1741

XI. Quamobrem novissima concordatorum lege plura hac de re salubriter pacto foedere sancita sunt (1). Quae tamen ad tria capita reducuntur; nimirum 1, ordo extrahendi reos ab loco immuni, tum et cognoscendi de crimine, exceptum ne illud sit, an non 2, criminum exceptorum recensio. 3, locorum immunium constitutio.

Ordo extrahendi reos ab loco immuni

XII. Ubi delinquens, qui excepti delicti reus creditur, ab Ecclesia, locove immuni abstrahendus est, primum laicos ministros, ad quos hoc spectat, ab loci Ordinario veniam petere oportet: mox reo ad laicos carceres adducto, ubi nomine Ecclesiae, praestito iureiurando, detinendus est, tribunali laico onus incumbit intra quadrimestre acta, seu, ut aiunt, *processum informativum*, perficere, aeque ad curiam Ecclesiasticam transmittere. Tum Episcopo unius duntaxat mensis spatium conceditur ad sententiam proferendam, num reo asyli beneficium denegandum sit, an non. Porro indicia, quae vulgo ad torturam dicuntur, legitima sunt caussa, cur delinquens perfugii iure privetur (2).

XIII. Num vero Episcopo intra mensem huiusmodi sententiam non evulgante, aut adversus episcopale iudicium vel pro iure asyli decernens Fisco laico, vel asylum denegans Fisco ecclesiastico reclamante, controversia ad tribunal mixtum devolvitur, ad quod utrique Fisco recursus conceditur, ut ab eiusdem viris, actis diligenter excussis, ex concordi eorundem, vel maioris partis consensu sententia proferatur, inquisitum illum *gaudere*, aut *non gaudere beneficio immunitatis ecclesiasticae*, idque in casu devolutionis, scilicet ubi nullum Episcopus protulerat decretum In gradu autem recursus ab Episcopi iudicio sancitur vel *esse deferendum recursui per fiscum laicum petito, ac proinde inquisitum non gaudere*, vel e contrario *non esse deferendum recursui, ac proinde gaudere*. Porro tribunali mixto ius est praecipere, vel acta, uti loqui amant, *impinguari*, vel nova acta confici, ubi hoc expedire videatur n. IV. et VII.

Criminum exceptorum recensio

XIV. Crimina excepta quod spectat, ius asyli denegatur 1, incendiariis, iis scilicet, qui *dolo malo*, *et data opera* igne admoto flammis comburendam tradant quamcumque Ecclesiam, locum sacrum, vel religiosum, aut quasvis domus urbanas, vel vicanas, adhaec et tuguria *ad instar domorum*

(1) Cap. II. de immun. locali. — (2) Hom. I. II. III; et V.

constructa, armenta, greges, vineas, sata, oliveta, silvas, aut quaecunque alia praedia arboribus consita, culta, et fructifera: tum et iis, qui huiusmodi facinorosis hominibus operam, aut consilium suppeditent: *n*. X.

2. Redimendi artem turpis lucri caussa exercentibus, vulgo dictis *ricattatori*, iis scilicet, qui viros, foeminasve vi, aut dolo *de loco ad locum* transferunt, ibique detinent, atque ad sese redimendum cogunt; tum et iis, qui internuntio, vel litteris pecuniam a quovis petant, simul homicidium, aut incendium, ni votis satisfaciant, intentantes: *n*. XI.

3 Venenariis, iis scilicet, qui venenum scienter dolo malo, et animo nocendi conficiunt, vendunt, aut praebeut, licet mors secuta, aut venenum haustum non fuerit: *n*. XII.

4. Proditionem, h. e. assassinium aeque mandantibus, ac exequentibus, tum et opera, aut consilio hac in re adiuvantibus, quamvis impetitus mortem evaserit, modo tamen deventum fuerit ad actum proximum, hoc est ad contentionem, ita ut infligi vulnus potuerit: *n*. XIII.

5. Grassatoribus, viarumque publicarum, aut in viciniis constitutarum latronibus, licet hoc crimen semel commiserint, nec viatorem ulla ratione laeserint: *n*. XIV.

6. Iis, qui vel clavibus adulterinis, aliisve quibusvis instrumentis, vel ignem admovendo, aut ianuas frangendo, vel demum per fenestram, tectum, aliudve ostiolum in domus, officinas, tabernas, cellasve promptuarias irruant, tantumque inde rapiant, unde iure communi, aut municipali capite damnandi sint: *n*. XVI.

7. Iis, qui noctu, simulato curiae nomine, aliove specioso titulo sese curiae ministros fingentes, in domus sese insinuant, ibique iam introgressi furantur, ac vim domesticis foeminis inferunt: *n*. XVI.

8. Alicuius publicae argentariae tabulas, sive syngraphas adulterantibus, aut inde pecuniam in publicae fidei damnum fictis schedis exigentibus: *n*. XVII.

9. Mercatoribus decoctum argentum simulantibus, at vero sua bona cum creditorum fraude occultantibus: *n*: XVIII.

10. Regii thesauri custodibus, aliisque publicorum aerariorum, et argentariarum praefectis, ministrisque, tum et publicorum montium pietatis cimeliarchis, qui in pecuniis, pignoribusque suae fidei concreditis eiusmodi furtum, aut fraudem faciunt, ut inde legitimam poenam mereantur: *n*. XIX.

11. Delicti laesae maiestatis rei, et quidem tum perduellibus, sive in Principem supremum, communemque regni ruinam coniurantibus, tum etiam iis, qui in ministros potestatem sibimetipsis *αμεσως immediate* a supremo Principe collatam administrantes *προσωπικην personalem* faciunt iniuriam: *n*. XX.

12. Iis, qui vi ab Ecclesia, locove immuni reos abstrahunt, aut abstrahi iubent: *n*. XXI.

13. Iis, qui vi in Ecclesiis, coemeteriis, aliisve locis immunibus homicidia, membrorum abscissiones, aliudve delictum perpetrant, cui *de iure communi intrat poena sanguinis, aut triremium*. Tum quoque et iis, qui ex Ecclesiis, aliisve locis immunibus egressi eadem flagitia committunt: *n*. XXII.

14. Ii, qui asyli beneficio semel abutuntur, inde Episcopi iussu abstra-

han'ur, et in aliam Ecclesiam eiusdem auctoritate transferantur, ac simul ipsis indicetur, quod ubi perfugio iterum abutantur, eodem ex Episcopi sententia prorsus carebunt: *n.* XXIII. Porro facultatem huiusmodi sententiam dicendi ipsemet Benedictus XIV. Episcopis regni neapolitani impertitus est *litteris encyclicis s. Congregationis immunitatis* datis die 29. sept. an. 1742.

XV. Ad Ecclesias, aliave loca immunia confugientes Ordinarii iussu, ac etiam, si opus fuerit, curiae saecularis potestate advocata, armis expolientur. Id quod, ubi Ordinarius non praestabit, curiae saeculari ius erit, ministri ecclesiastici interventione, Ordinarii eiusdem impetrata, aut saltem petita venia, ab confugis arma detrahere, tum arma, (quocunque pacto ipsis confuga exuetur) semper ministro saeculari tradenda sunt, qui tamen contestandu profitebitur (1).

XVI. Curia saecularis haud vetatur in Ecclesia, locove immuni res ablatas, aut contra iura introductas, vulgo *contrabandi*, syngraphas, pecunias, aliudve ibi ab hominibus fraudolentis absconditum perquirere; at vero ministro ecclesiastico comite, impetrata, aut saltem petita Ordinarii venia. Tum res perquirendo iuventae curiae saeculari tradantur, quae tamen cautionem dabit (2).

XVII. Quum vero ex pactis conventis (3) constitutiones Gregorii XIV., et Benedicti XIII., tum et bulla Clementis XII. pro romana ditione edita, in regno neapolitano quoad ea, quae iisdem non opponuntur, vim consecutae sint, hinc hactenus recensitis delictis addesis 1, homicidas quoscunque, sive laicos, sive clericos, iis tantummodo exceptis, qui vel fortuito, vel ad necessariam suimetipsius defensionem hominem occiderint: constit. Clementis XII. *n.* 13. Tum *ibidem* natu minores viginti annis diserte excipiuntur: attamen in regno neapolitano huiusmodi exceptionem in usu non esse indicant bina tribunalis mixti decreta ex eiusdem tribunalis actis in archivio: *n.* 14, et 15 (4).

XVIII. Homicidis quatuor alia enormia crimina ex constitutione Gregorii XIV., et Benedicti XIII. adcensenda: nimirum haeretici, litteras apostolicas falsantes, monetarii, agrorum depopulatores.

Locorum immunium constitutio

XIX. Postremo ex iisdem pactis conventis ius asyli ablatum est 1, Ecclesiis vicanis, sive ruralibus, tum aliis, in quibus ss. Eucharistiae Sacramentum non adservatur, exceptis parochialibus, aliisque earundem sic dictis *filialibus*, ubi animarum cura exercetur.

2. Privatis oratoriis, atque etiam Principum capellis, licet hae publicarum sacrarum aedium praerogativas habeant. Tum quoque omnibus capellis arcium, castrorumque clausorum, licet in ipsis ss. Domini Corpus custodiatur.

3. Sacris turribus ab Ecclesiis, earumque muris disiunctis.

4. Hortis, viridariis, pomariis, aliisque locis ad Ecclesias, aut quasvis

(1) Cap. praelatis de homicidio in VI. — (2) Ibidem. — (3) Num. XXXIV., et XXXV. — (4) Gagliardus inst. can. lib. IV. tit. VI. § 36.

aedes religiosas spectantibus, quae muris non clauduntur, neque claustro religioso continentur.

5. Tabernis, officinis, domibusque muris Ecclesiarum, monasteriorum, aut quarumcunque aliarum religiosarum aedium adnexis, licet interius cum iisdem communicent, dummodo tamen ipsas sacrum claustrum non complectatur.

6. Demum domus, quas sacerdotes, aliique clerici habitant, licet introitum ex Ecclesia habeant; porro excipiendae aedes parochorum, aliorumque Ecclesiae ministrorum, et custodum, quas tamen ipsimet, et non alii incolant; hae profecto interius ad Ecclesiam aditum babentes, quamvis et simul aditum ad publicam viam habeant, iure asyli non carent (1).

TITULUS XIV.

DE SEPULTURIS

I. Loca sepeliendis christianorum cadaveribus destinata iam inde ab antiquis Ecclesiae temporibus *coemeteria* dicta sunt, quod illic deposita fidelium corpora, quasi ad dormiendum iacere existimarentur, donec Christo adveniente resurgerent. Apostolus diserte ait: *nolo vos ignorare fratres de dormientibus* (2): in quae s. Hieronymus *eos dormientes*, inquit, *appellari, quia certum est eos resurrecturos.*

II. Iam vero loca haec sepulturis destinata antiquitus haud quidem in civitatibus, vel in oppidis, at vero extra moenia in viis publicis fuisse posita, tum ex romanis constat coemeteriis, quorum circiter quadraginta tria recenset Baronius, cuncta in Romae suburbanis ex aequo constituta; ex neapolitanis etiam, quae tanquam romanis nobiliora, et spatiosiora summopere commendant Gilbertus Burnetus *epistola IV.*, et Mabillonius (3), quaeque et ipsa extra moenia fuisse neminem latet, tum vel maxime ex eo, quod leges romanae, ne mortui intra pomoerium sepelirentur, omnino vetabant: quibus sane legibus per se *αδιαφοροις indifferentibus* christianos obtemperasse, nihil est cur dubitemus, praesertim quum earundem violatarum nomine nunquam accusati inveniantur.

III. Praeterea neque intra Ecclesias sepulturas struere permissum. Et sane coemeteria aedificia erant ab Ecclesiis distincta, aeque plerumque in viis publicis extra moenia constructa, uti de Romanis observat Onuphrius Panvinius (4), nimirum via *appia*, *aurelia*, *ostiensi*, *nomentana* etc: id quod IV., V., et VI. saeculo adhuc obtinuisse constat ex lege Theodosii (5), ex Chrysostomo (6), ex Sidonio Apollinari (7), et ex concilio bracarensi I. (8).

IV. Secutis temporibus paullatim, et veluti quibusdam gradibus humatio in Ecclesiis, et intra civitates inducta est. Et quidem saeculo IV. ille primum honor Martyribus tributus est, ut eorum reliquiae in urbem transla-

(1) Eodem cap. II. a num. XXVII. ad ult.
(2) Epist. II. ad Thess. 4. — (3) Mus. ital. tom. 1. pag. 14.
(4) De coemet. cap. XII. — (5) Cod. theod. de sepulcris violatis. — (6) Hom. XXXVII. in Matth. — (7) Lib. III. epist. 12. — (8) Can. XXXVI.

tae in Ecclesiis deponerentur (1). Tum solis regibus, et imperatoribus sepultura intra civitatem concessa, necdum tamen in Ecclesia, at in atrio, aliisve exterioribus Ecclesiae aedificiis. Hoc de Constantino narrant Eusebius (2), et Chrysostomus (3), et de Theodosio seniori, Arcadio, Theodosio iuniori Chrysostomus ipse (4), et Nicephorus (5) Dein saeculo VI. ad idem privilegium admissi laici, adhuc tamen per leges aeque civiles, ac ecclesiasticas in Ecclesiis sepelire vetitum: et quidem ad saeculum usque IX., uti ex conciliorum per ea tempora habitorum canonibus liquet, et ex lege Iustiniani (6), tum et ex legibus Caroli M. (7) et Leonis Sapientis (8). Interim vero alicubi etiam intra Ecclesiam sepeliri primariis quibusdam viris permissum, uti Episcopis, abbatibus, presbyteris, atque etiam laicis vitae sanctimonia conspicuis (9). Atque id in ius romanum apte quadrare videtur, quod sinebat quosdam in Urbe sepeliri privilegio virtutis, vel dignitatis caussa dato. Demum IX. saeculo Episcoporum arbitrio relictum est decernere, quosnam in Ecclesiis sepeliri deceret. Et quamvis posterioribus saeculis vetus de sepulturis disciplina adeo exoleverit, ut et omnibus promiscue fidelibus in Ecclesiis sepeliri permitteretur, et sepulcra etiam gentilitia, et familiaria in Ecclesiis exstruerentur; semper tamen Ecclesiae hac in re eadem sententia fuit; scilicet ut fidelium corpora non in Ecclesiis, sed in coemeteriis sepelirentur. Unde in Rituali romano iussu Pauli V. edito sic decernitur: *ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in coemeterio, retineatur, et ubi fieri potest, restituatur*. Idem quoque indicat peculiaris consecrationis coemeteriorum ritus a Rituali romano praescriptus.

V. Iam vero quandonam hic consecrandi, sive benedicendi coemeterium ritus in Ecclesiam inductus fuerit, incertum est. Eius meminit primus s. Gregorius turonensis (10). Simile igitur vero est poene cum Ecclesiae consecratione ipsam etiam coemeterii consecrationem coepisse, seu potius coemeterium, tanquam unum ex exterioribus Ecclesiae fuisse consecratum. Et sane coemeteria plerumque ipsis Ecclesiis adiacebant (11). Ex hodierna Ecclesiae disciplina coemeterium, sive Ecclesiae adiaceat, sive ab ea remotum sit, peculiari in rituali romano praescripta benedictione consecrandum est; quinimmo et peculiari ritu reconciliandum, si illud pollui contingat (12). Polluta vero Ecclesia intelligitur pollutum etiam coemeterium ei adiacens: at non e converso, quum hoc sit accessorium; illa vero principalis.

VI. Sepeliendus quisque in loco, ubi Sacramenta percepit, seu in propria parochia, licet alibi mortuus sit (13) Et sane nunquam dubitatum est, Ecclesiam parochialem, eiusque coemeterium proprium esse sepulturae parochianorum locum: aequum enim visum est, ut quos parochus vivos cu-

(1) Conc. chartag. V. can. XIV. — (2) In vita Constantini lib. IV. cap. 7. — (3) Hom: XXVI. in II. ad Cor. — (4) Lib. *quod Christus sit Deus* cap. VIII. — (5) Lib. XIV. cap. 58. — (6) Cod. lib. II. de sacros. Eccl. — (7) Capitul. lib. I. cap. 159. — (8) Nov. LIII.

(9) Conc. mogunt. can. LII.—(10) De gloria confess. cap. 106.—(11) Can. XV. caus. 13. q. II.—(12) Cap. VII. de consecr. Ecclesiae.—(13) Cap. I, et II. hoc tit, cap. III. eodem in VI.

ravit, eosdem defunctos non deserat. Peregrini etiam in parochia, ubi eos decedere contingit, sepeliendi sunt, si modo apud suam propriam parochiam sepeliri nequeant (1).

VII. Iam vero excipe 1, monachos, et regulares, eorumque novitios, et oblatos, qui intra monasterii ambitum, vel Ecclesiam sepeliendi sunt (2). Porro laici simpliciter in monasterio habitantes, nec obedientiam aliquam promittentes, aut Ordinis vestem gestantes in Ecclesia parochiali inhumandi sunt, quippe qui monasterii iuribus ac privilegiis non fruuntur, manentque parochis subiecti: unde et stato Paschatis tempore in parochia sacram debent sumere communionem (3).

VIII. Excipe 2, Canonicos, qui in Ecclesia Capituli sepeliendi sunt, etiamsi alibi habitent. Cardinales quoque, et Praelati in suis titulis, vel Ecclesiis, quibus praesunt, sepeliri debent: et generatim consuetudine inductum est, ut omnes beneficiarii in Ecclesiis, quibus per beneficium incardinati sunt, sepeliantur.

IX. Excipe 3, mulieres, quae si non elegerint sepeliendae sunt cum suis viris (4). Quod si mulier quaedam plures habuerit maritos, est cum ultimo, cuius domicilium, et honorem retinet, sepelienda (5).

X. Excipiendi sunt 4, qui sepulcra habent suorum maiorum sive gentilitia, sive familiaria: ibi enim sepeliendi sunt (6), nisi alibi sepulturam elegerint (7)

XI. Hactenus dicta de iis intelligas, qui non constituto prius sepulturae loco decesserunt: ceterum quisque potest, ubi velit, illam eligere, dummodo Ecclesiam, coemeterium, vel saltem locum religiosum constituat: electio enim de loco profano tanquam irrationabilis respuenda. Porro facultate eligendi sibi sepulturam carent tum religiosi quippe qui velle, et nolle non habent, unde, uti modo observavimus, in suis monasteriis, nisi longe ab eis absint, eos humari ius est (8), tum etiam impuberes, quibus quum non sit facultas testandi, neque facultas est eligendi sepulturam, sed pater eis eliget, si id consuetudo ferat, alias in Ecclesia parochiali, vel in maiorum sepulcris eorum cadavera condantur.

XII. Iure communi antiquo Ecclesiae duntaxat parochiales loca erant fidelium inhumationi destinata: nec alibi quis sepeliri poterat. Porro successu temporis, sicuti fidelibus facultas sibi eligendi sepulturam, etiam extra parochiales Ecclesias, concessa est, ita quoque aliis locis religiosis ius inhumationis elargiri oportuit, idque iure speciali, sive ex privilegio. Verum privilegium hoc tantummodo ius inhumationis spectat, haud vero exequias, quae parocho, et Ecclesiae parochiali non censentur ademptae. Quamobrem ex decreto sacrae Congregationis Concilii, licet defunctus ad aliam, quam ad parochialem Ecclesiam, deferendus sit, debet tamen proprius parochus advocari, nec cadaver e domo educendum antequam parochialem acceperit benedictionem. Quinimmo in Galliis, aliisque finitimis

(1) Cap. V. eodem in VI. — (2) Cap. fin. eodem in VI. — (3) Conc. V. mediol. p. I. constit. IX.

(4) Can. II; et III. caus. 13. q. II. — (5) Cap. III. hoc tit. in VI; et can. III. ibidem. — (6) Cap. I., et III. hoc tit: et can. II. ibid. — (7) Indicato cap. I., et cap. II. eodem in VI. — (8) Cap. V. eodem in VI.

regionibus illud moris est, ut cadaver prius ad Ecclesiam parochialem deferatur, ibique exequiae, ac praesertim Missa funeralis celebretur, et sic dein ad Ecclesiam electae sepulturae adsportetur. Et sane aequum videtur, ut filius mundo demigrans matrem saltem agnoscat, quae eum suo lacte pavit.

XIII. Praeterea quum aliis Ecclesiis praeter parochiales nonnisi ius inhumationis ex privilegio tributum sit, hinc oblationes, aliaque occasione sepulturae illis Ecclesiis relicta non prorsus iisdem adroganda, sed eorundem saltem pars aliqua parochiae debetur, scilicet tertia, vel quarta maior, aut minor pro locorum consuetudine (1). Quanta vero cumque haec fuerit portio, semper tamen nomen *quartae* retinet; dicta vulgo *quarta funerum, funeralium*, *mortuorum*, vel *parochialis*. Ecclesia quidem nunquam non improbavit exactionem pro sepultura: unde Gregorius M. (2) graviter de quodam Episcopo conqueritur, quod pro sepultura centum solidos exigere non erubuerit. Eandem consuetudinem, quam illicitam (3) vocat Gregorius, reprobarunt quoque secutis temporibus Leo IV. (4), Hincmarus rhemensis (5), Honorius III. (6), et concilia provincialia per ea tempora habita; quinimmo Alexander III. (7) eandem ceu simoniacam damnat. Attamen nunquam vetitum fuit spontaneas, vel ab ipsis defunctis relictas, vel ab haeredibus collatas oblationes recipere. Id quod iidem illi Romani Pontifices, et concilia provincialia permittunt, quae exactiones vetant. Unde Gregorius M. eadem epistola LVI. subdit: *si quidem parentes ipsius, proximi, vel haeredes pro luminaribus sponte offerre quid voluerint, accipere non vetamus*. Verum hac in re quum frequenter lites exorirentur, tum ex parte laicorum contra clericos pecuniam pro sepultura, et exequiis exigentes, ac extorquentes, tum ex parte clericorum adversus laicos pias, laudabiles, ac receptas offerendi consuetudines infringentes, hinc Ecclesiasticis sanctionibus statutum est 1, ut laici receptas pro exequiis offerendi consuetudines observent. 2, ut laici ad pias hasce servandas consuetudines possint per Episcopos urgeri. 3, demum ut omnes, quae hac de re exoriri possent laicos inter, et clericos contentiones, vitentur, Episcopis insinuatum est, ut habita locorum, et personarum ratione modum quemdam illis oblationibus constituant, ac decernant, quid cuique iuxta laudabilem consuetudinem offerendum sit, id quod synodi praesertim provinciales praestitere. Iure neapolitano novissimo diplomate regio ann. 1754. iura parochialia circa exequias sancita sunt.

XIV. Iam vero hac in re plura parocho, aliisque clericis, ac ipsis etiam laicis cavenda eadem illa provincialia concilia praescripsere. 1, clerici iura taxata, ac recepta quovis excogitato praetextu propria auctoritate augere, aut nova imponere non audeant (8).

2. Parochi, aliique sacerdotes in horum iurium petitione nullum avaritiae, vel aviditatis specimen praeseferant, neque cadaveris inhumationem

(1) Cap. I. II. VIII. et IX. de sepulturis. — (2) Lib. VII. indict. II. epist. 56. — (3) Ibidem epist. IV. — (4) Epist. de cura pastorali. — (5) Cap. I. cap. XII., et III. cap. II. — (6) Cap. XIII. de sepult.

(7) Cap. VIII. et IX. de simonia. — (8) Rituale rom. de exequiis: conc. mediol. IV. part. II. tit. de funer; et exequiis.

differant eo praetextu, quod non satis de iuribus solvendis pactum sit (1).

3. Neque parochi ob consensum praestitum pro humandis fidelium cadaveribus in sepultura ab illis electa aliquid praeter iura parochialia exigant. Neque quidquam supra consuetum extorqueant eo praetextu, quod defunctus sit exterus (2).

4. In parochos, qui etiam a viventibus, quod ad aliam parochiam deferri velint sepeliendi, aliquid sepulturae nomine exigere ausint, Episcopi gravissimis poenis animadvertere iubentur: *ibidem.*

5. Cadaverum conditoria parietibus Ecclesiarum, aut Capellarum adfigenda non sunt (3).

6. Pauperum exequiae gratis exsolvantur, neque maiorem pro sepeliendis divitibus, quam pro inhumandis pauperibus sollicitudinem parochus, aliique clerici efferant (4).

7. Regulares, in quorum Ecclesiam defuncti cadaver inferendum est, summam exorbitantem non exigant: aliter poterit Ordinarius huiusmodi turpi quaestui opportuno remedio prospicere (5).

8. Demum ipsis laicis inculcatum est, ne nimium fastum in exequiis adhibeant.

XV. Igitur ex oblationibus Ecclesiae electae sepulturae, vel a defuncto relictis, vel ab haeredibus oblatis *quarta* illa deducenda est, quam parochiae deberi diximus. Id quod etiam intelligas de omnibus, et quibuscumque relictis fatribus praedicatoribus, et minoribus nomine, et occasione sepulturae (6). Quinimmo quarta parochiae debetur, etiamsi quis in sepulcro maiorum alibi exstructo sepeliatur (7). Demum illud superest observandum, iure quartae funerariae Ecclesiam parochialem decidere, ubi quadraginta annis cum titulo, vel sine titulo ab immemorabili tempore illa praescribatur (8). Unde in Galliis, multisque Belgii provinciis eam amplius in usu non esse testatur Claudius Fleury (9).

XVI. Postremo paucis iuvat complecti quibusnam iure canonico Ecclesiastica denegetur sepultura. Ac primo regula Innocentii III. (10) in hanc rem sic habet: *sacris est canonibus institutum, ut quibus non communicamus vivis, nec communicemus defunctis, et ut careant Ecclesiastica sepultura qui prius erant ab Ecclesiae unitate praecisi, nec in articulo mortis Ecclesiae reconciliati fuerunt.* Ex qua regula ipsemet Innocentius *ibidem* constituit, excommunicatum in ecclesiastico coemeterio sepeliendum non esse, immo et sepultum esse exhumandum, si cadaver ipsius ab aliis discerni queat.

XVII. Igitur ab ecclesiastica sepultura arcentur 1, excommunicati excommunicatione maiori, id quod ad eos tantummodo spectat excommunicatos, qui denuntiati sunt, vel publice clericos percusserint (11).

(1) Conc. prov. neap. I. cap. 47; et II. tit. II. cap. 4. — (2) Conc. prov. neap. II. ibid. — (3) Constitutio Pii V. *quum primum*, et eadem syn. prov. neap. ibid. — (4) Eadem syn. prov. neap. ibid. — (5) S. Rit. Congr. in una neap. 16. Ianuar. 1677.

(6) Clement. *dudum de sepulturis.* — (7) Cap. I. hoc tit. — (8) Abbas in cap. *certificari* eodem. — (9) Lib. II. instit. iuris eccles. cap. IX: Espenius part. II. Tit. XXXVIII. cap. V. n. 37. — (10) Cap. XII. de sepulturis.

(11) Extravag. Martini V. *ad evitanda.*

2. Nominatim interdicti, quippe qui et ipsi ab Ecclesiae ingressu spe ciatim exclusi sunt (1).

3. Haeretici, schismatici, apostatae: nimirum ubi hoc nomine sint publice convicti, vel denuntiati, aut publice haeresim profiteantur, vel ab Ecclesia recesserint (2).

4. Iudaei, pagani, infideles omnes, atque etiam infantes mortui sine baptismo (3).

XVIII. Iis quoque Ecclesiastica sepultura deneganda est, quos in peccato mortifero decessisse vero satis est simile. Huiusmodi sunt 1, qui sibi mortem consciverunt, nisi constet id furore adactos egisse (4).

2. Item usurarii manifesti: immo hi sepulti exhumandi sunt, si eorum ossa ab reliquorum ossibus discerni possunt. Excipe, ubi constet ante mortem iniustae usurarum acceptionis poenituisse; adhaec et cautionem de restituendis usuris praestitisse (5).

3. Qui praeceptum annuao confessionis, et paschalis communionis non impleverunt (6).

4. Mortuis in torneamentis: porro his licet poenitentiam poscentibus non denegetur, adhuc tamen Ecclesiastica deneganda est sepultura (7).

5. Pugnantes in duello, sive ipsi duellantes, eorumque patrini (8).

6. Raptores, et Ecclesiarum violatores, sive qui violenter insurrexerint in rapinas, vel in Ecclesiarum violationes. Huiusmodi criminosi in extremis agentes, et peccatum detestantes, viaticum quidem accipiunt, haud vero ecclesiasticam sepulturam, nisi de restituendis ablatis cautionem dederint (9).

7. Manifesti, et publici peccatores, qui sine poenitentia decesserunt (10).

8. Fures, et latrones in fraganti crimine occisi (11).

9. Monachi mortui cum peculio (12).

10. Demum corpora suspensorum in patibulo ad exemplum, et terrorem aliorum manent insepulta, et omnium oculis exposita a bestiis, et aero consumenda. Verum id non ex Ecclesiae legibus, at iure romanorum (13). Quinimmo requirebatur omnino consensus Principis, ut sepeliri posseut (14). Verum consuetudo invaluit, ut a iudice peti possent. Neapoli ius romanum hac in re vigebat: at sensim factum est, primum ut eorum ossa ex loco profano, ubi iacerent, bis in anno colligerentur ad locum sacrum religioso comitatu deferenda, dein tandem mos inductus est, ut statim e patibulo ablata ad Ecclesiam deferantur inhumanda.

(1) Cap. X. hoc tit., et cap. XVII. *de verborum signif.* — (2) Causs. 24. q. 1. per totam. — (3) Can. XXVII. de consecr. dist. 1. — (4) Can. XI. causs. 23. quest. V. — (5) Cap. II. de usuris in VI. — (6) Cap. omnis utriusque sexus *de poenit., et remissionibus.* — (7) Cap. I. *de torneamentis.* — (8) Conc. trid. sess. XXV. de ref. cap. 19.

(9) Cap. II. de raptoribus. — (10) Rituale rom. *de exequiis,* — (11) Cap. II. de furtis. — (12) Cap. II., et VI. *de statu monachorum.* — (13) L. I. D. de cadaver. punitorum. — (14) L. II. ibidem.

TITULUS XV.

DE MONASTERIIS HOSPITALIBUS ET LAICORUM CONFRATERNITATIBUS

I. De Monachis, et regularibus satis iam actum est (1). Tantummodo de monasteriis, ac de Episcoporum in eadem auctoritate iuvat hic pauca dare. *Μοναστηριον monasterium* igitur proprie locum significat, ubi homines solitarii degunt: at generatim pro quocunque loco consepto usurpatur, ubi plures ad certam constitutam regulam communem vitam agunt: qui, uti explicavimus, pro diversa Instituti sui ratione *monachi, mendicantes, canonici regulares*, vel *clerici regulares* dicuntur.

Quaenam in nova monasterii erectione servanda sunt.

II. Illa semper disciplina in Ecclesia viguit ut nullum exstrui posset monasterium, nisi prius impetrata Episcopi dioecesani venia (2). Porro plura hac in re Episcopis cavenda sunt, 1. ne nova monasteria cum aliorum detrimento exstruantur: qua de re Clemens VIII. bulla *quoniam ad instituta*, et Gregorius XV. constitutione *quum alias* interdixerunt Episcopis novi monasterii erigendi facultatem impertiri, nisi prius advocatis, et auditis prioribus, vel procuratoribus conventuum loco, ubi novum exstruendum est monasterium, necnon et aliis per quatuor millia passuum circumiacentium, inde constiterit, novum sine veterum incommodo bene erigi posse.

2. Nullum monasterium, aut cuiuscunque ordinis, vel instituti domum aedificari sinant, nisi ubi in eo duodecim saltem monachi, sive religiosi degere, et ex redditibus, consuetisque fidelium eleemosynis sustentari quiverint (3).

3. Parochum quoque, intra cuius parochiae limites novum exstruendum est monasterium, Episcopum audire, eiusque consensum exquirere oportet: neque enim, nisi salvo Ecclesiarum parochialium iure, novas Ecclesias, et monasteria aedificanda esse post Glossam (4) tradit Panormitanus (5).

4. Demum ex decreto tridentino (6) in erectione monasteriorum monialium specialim Episcopo cavendum est, ne extra moenia urbis, vel oppidi constituantur malorum hominum praedae, aliisque facineribus exposita. Quinimmo *ibidem* Episcopis, aliisque praepositis iniungitur, ut si ita expedire videbitur, sanctimoniales ex iis ad nova, vel antiqua monasteria intra urbes, vel oppida frequentia reducantur.

Monasteria iure communi Episcopo subiecta

III. Monasteria iure communi Episcopo subduntur, in cuius dioecesi posita sunt (7): et nonnisi ex privilegiis pedetentim ab Episcopi potestate

(1) Lib. I. tit. ult. —(2) Conc. chalc. can. III: conc. agath. an. 506. can. XXVII. conc. epoan. an. 517. can. X: Iustinian. nov. V. cap. I: et trid. sess. XXV. de regular. cap. 3.
(3) Gregor. XV. ibid.—(4) In Cap. I. de novi operis nunciatione. —(5) Ad Cap. I. de Ecclesiis aedificandis. — (6) ibid. Cap. V. — (7) Cap. VIII. de religiosis domibus.

eximi coeperunt. Id quod de omnimoda exemptione haud intelligas. Quum enim Episcopi potestas tria prorsus spectet, scilicet quae sunt ordinis, quae sunt iurisdictionis, quae legis sunt dioecesanae, monasteria, a lege quidem dioecesana exempta sunt, haud vero a potestate ordinis, nec omnino a potestate iurisdictionis. De hoc capite satis actum est (1). Duo hic tantummodo subnectenda. 1, Urbanum VIII. Episcopi potestati subiecta declarasse monasteria omnia de novo erigenda, in quibus duodecim saltem religiosi non essent (2): adhaec et ex constitutione Innocentii X., quae incipit *ut in parvis*, Episcopo plenum ius esse in conventus suppressos, et deinde restitutos, in quibus idem duodenarius religiosorum numerus non sit, tum et in nunquam suppressos, in quibus sex duntaxat religiosi non degant. De parvis hisce coenobiis extant duo capitularia, alterum Caroli M. an. 784., quo decernitur, ut ab Episcopis supprimantur, atque in uno loco monachi simul congregentur, quo observandae strictius regulae habeant incitamentum. Alterum Ludovici Pii an. 817. iubet, ut in prioratibus sint saltem sex monachi. Huic capitulari consonant *cap. fin. de capellis monachorum*, quae de prioratibus illud cavendum praecipiunt, *ne monachi in iis habitent solitarii contra statutum generalis concilii. Ideoque mandamus, quatenus ipsorum abbates, seu priores, ut vel ipsos ad claustrum revocent facientes in ipsis Ecclesiis deserviri per clericos saeculares, vel alios monachos eisdem adsocient, cum quibus vitam possint ducere regularem, monitione praemissa per censuram ecclesiasticam compellas.*

De hospitalibus

IV. Hospitalia proprie loca sunt suscipiendis hospitibus destinata, graecis dicta Ξηνοδοχεια *xenodochia:* at eo nomine vulgo veniunt loca quaelibet cuiuscunque generis indigentibus hominibus sive alendis, sive educandis, sive sustentandis addicta: uti Νοσοχομεια *nosocomia* aegrotantium receptacula, Πτωχοτροφεια *ptochotrophia* pauperum domicilia, Γεροντοχομεια *gerontocomia* senum hospitia, Βρεφοτροφεια *brephotrophia* loca infantibus alendis, Ορφανοτροφεια *orphanotrophia* orphanis educandis, Παιδοτροφεια *paedotrophia* pueris instituendis comparata.

V. Hospitalium origo inter fideles aeque ac monasteriorum inde repetenda videtur, ex quo primum Ecclesiae per christianos imperatores pax effulsit. Quandiu enim imperium penes gentiles fuit, penes Episcopum pauperum, aegrotantium, hospitum, viduarum, virginum, aliorumque miserabilium hominum cura fuit; hos enim omnes simul in iisdem aedibus congregatos sustentare per tyrannos nunquam licuit. At ubi libertatem ecclesia nacta est, ut qui desertis in locis latitabant coeperunt sibi monasteria construere, ita paullatim varia tum ab Episcopis, tum etiam et ab aliis exstructa sunt domicilia, ubi pauperes, aegroti, peregrini, senes etc., et maiori commodo, et sumptu minori alerentur.

VI. Saeculo IV. iam plura per Ecclesias constructa fuisse hospitalia dubitare non possumus. Gregorius Nazianzenus (3) Iulianum apostatam ridet, quippe qui infidelibus, christianorum exemplum proponens, eosdem

(1) Lib. I. tit. XV., et ult. — (2) Const. XLIII §. 14. — (3) Orat III.

ad xenodochia καταγωγια, και ξενωνας construenda adhortetur. Idem Gregorius Πτωχοτροφεια a s. Basilio extra urbem episcopalem magnificentissime exstructa memorat (1). Tum xenodochium Romae a Pammachio, et nosocomium a Fabiola excitatum refert Hieronymus (2). Demum Theodoretus Placillam Augustam Theodosii M. coniugem describit in Ecclesiae xenodochiis ad abiectissima quaeque ministeria sese demittentem (3).

VII. Secutis temporibus plerumque canonicorum collegia singula suum habebant hospitale (4). Tum quoque et monasteria, quibus vel ab ipsis suis conditoribus, vel ab aliis opes plurimae conferri consueverunt, ut et monachi, et pauperes ex iis alerentur (5). Adhaec quaedam hospitalia cum suis proventibus in capitula, vel monasteria aliquando sunt erecta, adiecto tamen onere hospitalitatem in pauperes exercendi. Verum hac occasione hospitalia quodammodo extincta sunt, praesertim quum deinceps nimis parce pauperes ad hospitium recepti fuerint. Cathedralis Ecclesiae neapolitanae saeculo IX. suum habebat xenodochium a S. Athanasio aedificatum; de quo Ioannes Diaconus haec habet: *Ordinavit xenodochium in atrio praedictae Ecclesiae Cathedralis multis terris oblatis quatenus et egenorum, et advenarum esset repausatio* (6): quinimmo iam inde ab VI. saeculo plura Neapoli erecta fuisse xenodochia mox videbimus.

VIII. Hospitalium, aliorumque piorum locorum regimen Episcopis adserit synodus chalcedonensis *can. VIII*, et quidem ex antiqua patrum traditione, id quod Iustinianus non agnoscit modo, verum et pluribus editis sanctionibus firmat, augetque, et quidem 1, decernit, ut qui hospitalibus praeficiendi sunt, Episcoporum iudicio probentur (7).

2. Episcopis ius tribuit in eorum, qui hospitalibus, aliisque locis piis praefecti sunt, administrationem inquirendi, non recte administrantes corrigendi, atque adeo, si expediverit, expellendi, idque etiamsi huiusmodi praefecti ab ipsis fundatoribus fuerint designati (8).

3. Testatore xenodochium simpliciter haeredem scribente, nec designante in quodnam ex pluribus xenodochiis bona sua erogari velit, hanc dubietatem Episcopis dirimendam relinquit Iustinianus (9).

IX. Episcoporum in hospitalia potestatem, quam Iustinianus tam luculenter adseruit, integram ipsis ad saeculum usque XIII. permansisse, tum ex multis constat, tum vel maxime ex epistola Episcoporum e synodo apud Carisiacum missa ad Ludovicum Pium, ex *can. XXIII.*. synodi romanae sub Eugenio II. an. 826, ac denique ex decretali Gregorii IX. (10).

X. Verum saeculo XIV. hospitalium Praefecti sive clerici, sive laici, ut liberiori in eorumdem administratione facultate fruerentur, sensim ab Episcoporum potestate immunitatem adfectarunt: at hinc factum est, ut tantae opus misericordiae, quod antiquis sanctissimis Episcopis, atque prope dixerim, ipsis Apostolis adeo cordi fuerat, paullatim deciderent. Namque, ut rem hanc deplorant Patres concilii viennensis, *praefecti illi proventus*

(1) Orat. XX.—(2) Epist. ad Pammachium, et in epitaphio Fabiolae.—(3) Lib. V. cap. XVIII.—(4) Conc. aquisgr. reg. canonic. cap. 141.—(5) Espenius part. II. tit. XXXVII. cap. I.—(6) Videsis Mazoch. de Cathedr. neap. in anteloquio pag. VII.
(7) L. XXXII. §. 9. C. de Episc., et cler. — (8) L. XLVI. §. 3. ibid. — (9) L. XLIX. C. cod.—(10) Cap. III. de religiosis domibus.

in suos usus convertentes hospitalia ipsa collabi, domus, et aedificia ruinis deformari, atque adeo pauperes, senes, aegrotos publicis in viis omni humana ope destitutos perire inhumaniter permittunt.

XI. Huic tanto malo occurrere studuerunt primum eadem synodus viennensis (1), dein et concilium tridentinum (2). Porro tridentini Patres, et constitutionem viennensem renovarunt, et plura eandem rem spectantia de integro decreta edidere.

XII Iam vero in concordato anni 1741. *cap. V.* hac in re constitutum est. Et quidem primo tria piorum locorum genera distincta sunt, scilicet 1, quae sub regium immediata protectione sunt 2, quae administrantur a clericis, ac 3, demum quae laicorum regimini subsunt. De primis cavetur, ut in omnibus, etiam quoad spiritualia, ab Episcopi visitatione sint immunia. Porro *ibidem* ea duntaxat loca pia sub immediata Regnm protectione esse declarantur, quae vel regiae fundationis, aut dotationis sunt, vel in ipso fundationis limine sub illa recepta fuerint. Tum 2, alterius generis loca pia ab Episcopo aeque in spiritualibus, ac in temporalibus prorsus invisenda constituuntur. Demum 3, quae a laicis duntaxat administrantur, ea in spiritualibus tantummodo ab Episcopo visitari posse statuitur, ita tamen ut eorum administratores in singulos annos suae administrationis debeant rationem reddere, nedum deputatis eorundem locorum piorum, verum et personae ab Ordinario ad id designatae. Ceterum de iure Episcoporum in Hospitalia, aliaque loca pia videsis Ildephonsum Clem. de Arostegui in Concor. Pastor (3).

XIII. De hospitalium praefectis iuvat hic pauca subnectere. Antiquitus quidem subdiaconis, vel diaconis plerumque hospitalium curam fuisse concreditam, tum ex eo evincitur, quod inde mutuato nomine nonnunquam diaconiae dicta sunt, tum quoque ex s. Gregorio M., qui haud semel in suis epistolis diaconorum, vel subdiaconorum diaconiis, sive xenodochiis ministrantium meminit. Quinimmo in plerisque diaconiis, sive xenodochiis praeter diaconum regionarium ei diaconiae primario adfixum, fuisse et subdiaconum item *regionarium* nuncupatum, cui dispensatoris (qui graece Οικονομος, at in marmoribus romanis, modo villicus, modo dispensator vocatur) munus incumbebat: adhaec et acolythos, tanquam infimos ministros diacono subiectos demonstrat Mazochius (4). Plures Neapoli iam inde ab VI. saeculo eiusmodi fuisse diaconias sive hospitales domus, dein saeculo IX, celeberrimo athanasiano xenodochio adnexas, ostendit Mazochius (5), id quod tum ex s. Gregorio M. colligi posse videtur, qui haud semel in suis Epistolis diaconias Neapoli constitutas memorat, quas olim aliud non fuisse, quam hospitales domus, tum vel maxime ex hospitalis athanasiani inventario *ibidem* a cl. Mazochio illustrato.

XIV. Porro hactenus dicta haud ita accipias, quasi nonnisi diaconis hospitalium regimen antiquitus fuerit commissum. Namque et Iustinianus xenodochos, nosocomos, orphanotrophos memorat, quos diaconos fuisse non probatur, et Gregorius ipse eos xenodochiis praeficiendos iubet, *qui*

(1) Clement. II. de religiosis domibus. — (2) Sess. VII. de ref. cap. 15., et sess. XXII: de ref. cap. 8. — (3) Part. II. cap. 2.
(4) De Cathedr. neap. pag. 253. — (5) Ibidem. pag. 277.

vita moribus, atque *industria* inveniantur *esse dignissimi*, tum subdit: *Religiosi duntaxat, quos vexandi iudices non habent potestatem* (1).

XV. Iam vero sequentibus saeculis plures exorti sunt Ordines religiosi, quibus ex proprio instituto hospitalium cura incumbit, unde et dicti hospitalarii. Huiusmodi fuere hospitalarii S. Ioannis hierosolymitani, S. M. teutonicorum, calatravenses etc., qui postea in Ordines equestres, et militares commutati sunt: at de his satis *libro superiori ult.* Demum saeculo XVI. ineunte s. Ioannes de Deo lusitanus Ordinem instituit ad officia pietatis erga pauperes, praesertim infirmos, exercenda, quem Pius V. primum confirmavit (2).

TITULUS XVI.

DE BONORUM ECCLESIASTICORUM ORIGINE ET ADQUISITIONE

I. Per tria priora ecclesiae saecula, dum tyrannorum debacchabantur persecutiones, bona ecclesiastica potissimum res erant mobiles ex collata fidelium symbola collectae, quae facile adsportari, abscondi, vel distribui possent, uti frumentum, vinum, oleum, vestes pro pauperibus, atque etiam pecunia, qua ad victum necessaria parabantur (3). Profecto res immobiles periculis quam maxime erant expositae; eas enim invadere saeviente persecutione gentilibus haud fuisset difficile, neque Ecclesia de hac invasione apud iudices conqueri potuisset.

II. Hoc autem haud ita est intelligendum, quasi omni per illud temporis bonorum stabilium possessione Ecclesiae caruissent: earum enim plerisque iam inde ab III. saeculo suas fuisse res immobiles, scilicet aedes, praedia, hortos, aliaque huius generis tum ex aliis evincitur, tum vel maxime ex decreto Constantini, et Licinii an. 313, ubi inter alia sic decernitur *omnia, quae ad Ecclesias visa sunt pertinere, sive domus possessio sit, sive agri, sive horti, sive quaecunque alia . . . restitui iubemus* (4).

III. Iam vero reddita a Constantino m. Ecclesiae pace ecclesiastici proventus valde creverunt, eiusdem praesertim Imperatoris opera, qui in hanc rem duas edidit leges. Et quidem 1, decrevit, *ut eorum haereditates, qui pro Christo martyrium, mortem, exilia, bonorum proscriptionem passi erant, vel ipsis redintegrarentur, vel eorum proximis, aut si proximi essent nulli, Ecclesiae* (5). Tum 2, liberum unicuique permisit arbitrium quodcunque vellet Ecclesiis donandi: *habeat unusquisque licentiam sanctissimo catholicae Ecclesiae concilio decedens, bonorum quod optaverit relinquere* (6).

IV. Porro qui Constantinum exceperunt imperatores, hi etiam latis legibus reditibus ecclesiasticis augendis plurimum contulerunt. Ac. 1. Theodosius iunior, et Valentinianus priorem Constantini legem non confirmarunt modo, verum et ad haereditates clericorum intestatorum extenderunt,

(1) Lib. III. epist. XXIV. — (2) Constit. quae incipit: *licet ex debito.*
(3) Iustinus apol. I. in fine. Tertul. apol. cap. XXXIX. — (4) Eusebius vita constant. lib. II. cap. 39.
(5) Eusebius ibid. cap. 35., et 36. — (6) L. I. C. de sacros. Eccles.

ut scilicet si nulli eorum superessent agnati, et cognati, Ecclesiae iure haereditario deferrentur (1).

2. Templa gentilium, eorumque reditus nonnunquam Ecclesiae ex Imperatorum liberalitate addicta. Honorius imperator haud paucarum constitutionum meminit, quibus huiusmodi reditus Ecclesiae adiudicaverit (2).

3. Haereticorum etiam conventicula, et praedia ad eadem spectantia Honorius imperator catholicae Ecclesiae ditioni vindicanda praecepit (3).

4. Demum ex Iustiniani legibus, si qui clerici, vel monachi temporalibus instructi bonis, Ecclesia, vel monasterio relicto, ad vitam redirent privatam, omnia ipsorum bona Ecclesiae, vel monasterio, ad quod spectarint, addicebantur (4).

V. Iam porro illud quam maxime curae erat Ecclesiae, quum et bona immobilia, et fidelium oblationes reciperet, ut nihil inde damni praecipue filii familias paterentur. Et sane s. Augustinum nonnullas in praeiudicium filiorum, parentum, vel adfinium Ecclesiae relictas haereditates repudiasse testis est Possidius in eius vita *cap. XXVI*. Id quod idem s. Doctor innuere videtur (5): *quando donavi*, inquit, *filio*, *quod iratus Pater moriens abstulit*, *bene feci*.... *quicunque vult exhaeredato filio haeredem facere Ecclesiam*, *quaerat alterum qui suscipiat*, *non Augustinum: immo Deo propitio neminem inveniat*. Ibidem Aurelii Episcopi carthaginiensis factum commendat, qui cuidam ob enatos ei filios reddidit, quod ipse Ecclesiae filios nec habens, nec sperans, donaverat, tum subnectit: *in potestate habebat Episcopus non reddere, sed iure fori, non iure poli* (6).

De bonorum ecclesiasticorum administratione

VI. Bonorum ecclesiasticorum supremus moderator semper in Ecclesia Episcopus habitus est (7). Quinimmo pluribus in eadem dioecesi iam constitutis particularibus Ecclesiis, iisdemque veluti incardinatis presbyteris, adhuc tamen omnium dioeceseos ecclesiasticorum bonorum cura penes Episcopum erat, qui e communi Ecclesiae matricis aerario ad omnes Dioecesanos clericos in singulos dies, hebdomadas, aut menses portiones mittebat. Hanc disciplinam ad medium usque saeculum V. in Ecclesia constantinopolitana viguisse ex Theodoro lectore colligitur (8).

VII. Porro plura hac in re notanda occurrunt: 1. Episcopis ad vitandam quamcunque infidae dispensationis suspicionem administris utendum fuisse, praesertim archidiacono, et oeconomo; quibus tamen Episcopo, tanquam principi Ecclesiae rectori, identidem ratio administrationis reddenda erat (9).

(1) L. XX. C. de Episc., et clericis.—(2) L. XX. Cod. theod. de pagan. sacrif., et templ: Sozom. lib. V. cap. 7. —(3) L. LII. cod. theod. de haereticis.

(4) Cod. lib. I. tit. III. L. XIII., et nov. V. cap. 4. — (5) Serm. XLIX. de vita cleric.—(6) Conventione novissima ann. 1818. art. XV. cautum: Ecclesia ius habebit novas adquirendi possessiones, et quidquid de novo adquisierit, faciet suum, et censebitur eodem iure, ac veteres fundationes ecclesiasticae. — (7) Can. apost. XXXI; et XXXIV. conc. antioch. can. XXIV. et XXV. Cyprian. epist. XXXVIII. —(8) Lib. I. pag. 553. edit. Vales.—(9) Syn. chalced. can. XXVI. Hier. epist. ad nepot: Possidius in vita August.

2. Eadem de caussa totius aliquando Cleri consilium in bonorum Ecclesiasticorum dispensatione ab Episcopo fuisse adhibitum: atque adeo in synodo provinciae administrationis rationem Episcopum ipsum reddere coactum fuisse (1).

3. Diligentis, et industrii oeconomi electionem veterum conciliorum Patribus adeo cordi fuisse, ut Episcopum bona ecclesiastica absque oeconomo tractantem poenis canonicis subiecerint (2). Tum Metropolitis facultatem dederint in Ecclesiis suae provinciae oeconomos constituere, si qui eis subsunt Episcopi, nolint in suis Ecclesiis oeconomos constituere (3).

4. In reddituum ecclesiasticorum distributione antiquitus eam omnino regulam fuisse servatam, ut quantum cuique opus erat, tantundem acciperet, licet deinde mos invehi incoeperit, in Ecclesiis praesertim occidentalibus, ut in quasdam veluti portiones dispescerentur, quarum una Episcopo, altera clericis, tertia pauperibus, quarta fabricae impendenda reservaretur (4). At synodus bracarensis I. (5) tres tantum partes constituit, Episcopo unam, aliam clericis, tertiam aedificiis, et luminaribus Ecclesiae adsignans (6). Profecto in hac partitione Episcopo hospitalitas exerceuda relinquebatur.

5. Demum veterem canonicam redditunm ecclesiasticorum distributionis regulam, et oeconomorum usum tum primum exolescere coepisse, ubi et Ecclesiis parochialibus certi redditus adscripti sunt, et bonorum Ecclesiasticorum cura ad singulos beneficiarios devoluta est; quod quidem neque eodem tempore, neque eadem prorsus ratione obtinere coepit. At de hoc capite opportunius in titulo *de origine beneficiorum* redibit sermo (7).

De bonorum ecclesiasticorum alienatione

VIII. Iam tum fere, quum Ecclesia bona immobilia adipisci coepit canones sanciti occurrunt, quibus huiusmodi bonorum alienatio severe inter-

(1) Syn. Antioch. can. XXV. — (2) Syn. calced. can. XXVI. — (3) Syn. nicaena II. can. XI.

(4) Gelasius P. Epist. I. ad Episcopos Lucaniae cap. 27: Simplicius P. epist. III. ad Florent: et Greg. m. — (5) Epist. II. lib. III —(6) Can. XXXV. — (7) Novissima Conventione ann. 1818. art. XVII. plura ad rem constituta fuerunt, quae heic subnectere praestat.

Et I. cautum quod suppresso *monte frumentario*, sive regia procuratione spoliorum, et reddituum mensarum episcopalium, abbatiarum, aliorumque beneficiorum administrationes dioecesanae in qualibet dioecesi constituendae forent.

II. Sancitum hasce administrationes duobus Canonicis constare, qui a Capitulo, sive Metropolitano, sive Cathedrali tertio quoque anno persuffragiorum pluralitatem eligendi essent, ac renovandi, nec non regio procuratore ab augustissimo Nostro Rege designando.

III. Decretum quod cuilibet administrationi praeesset Episcopus, aut Vicarius generalis: Sede vero vacante Vicarius Capitularis.

IV. Demum statutum quod fructus percepti ex beneficiis vacantibus, in favorem Ecclesiarum, hospitalium, seminariorum, aliosque pios usus erogari debeant, servata tamen dimidia parte reddituum mensarum episcopalium vacantium pro futuro earundem Episcopo.

dicitur (1). Eiusmodi ecclesiasticum interdictum regiis sanctionibus confirmarunt: et quidem pro Ecclesia constantinopolitana Leo imperator (2), pro omnibus patriarchatus constantinopolitani Ecclesiis Anastasius (3): tum ad reliquas christiani Orbis Ecclesias extendi Iustinianus (4). Atque adeo haec interdictio obtinebat, ut neque Episcopus, neque R. Pontifex rerum Ecclesiae alienandarum potestatem sibi tribueret, nisi iusta de caussa, et non sine debita sollemnitate (5).

IX. Tres potissimum iustas res Ecclesiae alienandi caussas agnoscunt Canonistae, nimirum necessitatem, utilitatem, et pietatem. Qua de re in clementina 1. *de rebus Ecclesiae non alienandis* post constitutam alienandi res Ecclesiae interdictionem subditur: *nisi necessitas, aut utilitas monasterii, prioratus, Ecclesiae, aut administrationis huiusmodi hoc exposcat:* et Iustinianus ubi sacra vasa vendi, aut pignori supponi vetat, statim subnectit (6), *nisi pro redemptione captivorum:* et alibi (7): *excepta caussa captivitatis, et famis in locis, quibus hoc contigerit.*

X. Iam vero *necessitas*, vel *utilitas* evidens sit oportet, e. g. si fructus non sufficiant necessariis Ecclesiae sumptibus, aut clericorum sustentationi, aut debitorum solutioni, vel si grave immineat Ecclesiae damnum, si aedes ruinosae dentur in emphiteusim, vel silvestria loca, aut praedia inculta colonis tradantur excolenda (8): tum si praedia propinqua cum longe dissitis commutentur (9), aut demum si distrahantur praediola, aut exiles vineolae, et Ecclesiae minus utiles, aut longe positae.

XI. Pietati vero in alienandis ecclesiasticis bonis locus est, quum aut urgente gravi necessitate pauperes a miseriis sunt sublevandi, aut redimendi captivi, sepeliendive fideles. S. Ambrosius vasa Ecclesiae mediolanensis impendit, ut captivis libertatem impertiret. Id quod quum invidi Ariani, perinde ac crimen ipse admisisset, traducerent, gravem pro se scripsit apologiam, in qua inter alia haec habet (10): *aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget in necessitatibus ...... nonne dicturus est Dominus, cur passus es tot inopes fame emori? et certe habebas aurum, unde ministrasses alimoniam. Cur tot captivi deducti in commercio sunt, nec redempti ab hoste occisi sunt? melius fuerat, ut vasa viventium conservares, quam metallorum. His non posset responsum referri. Quid enim diceres? Timui ne templo Dei ornatus deesset? Responderet, aurum Sacramenta non quaerunt: neque auro placent, quae auro non emuntur. Nemo potest queri, quia captivi redempti sunt ...... Nemo potest dolere, quia in sepulturis christianorum requies est defunctorum. In his tribus generibus vasa Ecclesiae etiam initiata confringere, conflare, vendere licet.* Eidem usui vasa sacra suarum Ecclesiarum addixisse Augustinum, Acacium Episcopum Amidae, Cyrillum hierosolymitanum, et Episcopum quendam carthaginensem nomine Deogra-

(1) Can. XXXIX. Codicis africani: aliique canones a Gratiano relati causs. 12. q. II.: tum epistola canonica s. Cyrilli alex. ad Domnum. — (2) L. XIV. cod. de sacros. Eccles. — (3) L. XVII. eodem. — (4) Nov. VII. et CXX. — (5) Can. XVIII., et XX. ibidem. — (6) Nov. CXX. cap. X. — (7) L. XXI. C. de sacros. Eccles.

(8) Nov. VII. cap. III., et nov. CXX. cap. VI. — (9) Can. LIII. caus. 12 q. II. — (10) De offic. lib. II. cap. 28.

tias testes sunt luculentissimi Possidius (1), Socrates (2), Sozomenus (3), et Victor Utic. de bello Vandal. (4).

XII. Quod vero ad ritus, sive, quas vocant, *sollemnitates* attinet, quibus bonorum Ecclesiae alienatio peragenda erat, advertendum est primo quidem, quum Episcoporum probitas satis perspecta esset, ipsis duntaxat ea alienandi arbitrium permissum fuisse; eorum enim iudicio disquirendum relinquebatur, num legitimae subessent alienationis caussae. Porro hac potestate quum nonnulli abuterentur Episcopi, constitutum est, ut si res immobilis, vel mobilis pretiosa distrahenda esset, in synodo Episcoporum discuteretur, num revera id legitima necessitatis, utilitatis, aut pietatis exposceret caussa (5).

XIII. Porro secutis temporibus ea hac in re viguit disciplina, quam descriptam legere est in decretali a Gratiano Leoni m. tributa (6), nimirum ut satis sit Cleri, sive Capituli tractatus, et consensus: nomine *tractatus* caussae discussionem, et cognitionem intelligendam notant communiter Canonistae. Igitur Episcopus, ubi quandam adgredi velit alienationem, Canonicos ad campanae sonitum, vel aliter pro ea, quae viget ibi consuetudo, advocare debet, cum quibus tum caussam alienationis, tum ipsam alienandi rationem discutiat, num scilicet magis Ecclesiae prosit res mobiles distrahere, quam immobiles, hoc potius praedium, quam illud, vendere potius, quam permutare, aliaque huiusmodi: demum Canonicis in eandem sententiam convenientibus instrumentum conficiendum est, quo diserte exprimatur Canonicos post longum, et diligentem tractatum decrevisse, ut hoc, vel illud praedium vendatur, permutetur, vel alia quacunque ratione alienetur, iudicantes huiusmodi alienationem Ecclesiae conducere.

XIV. Hactenus dicta de alienatione bonorum intelligas, quae mensam, ut vocant, episcopalem, vel capituli, aut collegiatae redditus constituunt. Ubi enim agatur de bonis Ecclesiae parochialis, aut quae Capitulum, vel collegium non habet, satis erit, ut Episcopus caussa discussa consensum praestet; at non idem iudicium esto de Ecclesiis, vel monasteriis ab episcopali potestate exemptis. Ea enim si Sedi Apostolicae erunt ἀμέσως subiecta, tunc sane R. Pontificis consensus requiritur, et quidem specialis, et expressus (7). Quod si ad monachos, regulares, aliosve praelatos spectabunt, tunc quidem alienatio fieri potest auctoritate ministri provincialis, vel generalis, alteriusve Praelati iurisdictionem quasi Episcopalem habentis, cum tractatu tamen, et sollemnitate nuper expressis.

XV. Demum pauca hic praestat subnectere de celebri decretali extravagante *ambitiosae*, quam Paullus II. edidit. an. 1468. In ea primum omnes priores canones, decreta, et constitutiones ad rem, de qua agimus, spectantes confirmavit, tum quid nomine alienationis intelligendum explicavit, scilicet omne pactum, per quod dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem, et conductionem ultra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphiteuticum, praeterquam in casibus a iure per-

(1) In vita August. cap. XXIV. — (2) Lib. VII. cap. 21. — (3) Lib. IV. cap. 25. — (4) Lib. I. bibliothec. Pat. tom. VII. pag. 591. — (5) Can. XXXIX. Cod. afric. Hilarius epist. VIII. — (6) Can. LII. caus. 12. q. II.
(7) Rebuffus in comp. alien. rerum eccles n. 86.

missis, ac de rebus, et bonis in emphiteusim concedi solitis ex Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, et bonis, quae servando servari non possunt. Adhaec sollemnitati prius requisitae consensum Sedis Apostolicae adiunxit, per quod tamen canoni *terrulas* non esse derogatum declaravit sacra Congregatio Concilii apud Fagnanum (1). Demum praeter contractus irritationem, quem tamen Ecclesiae utilem probatum poterit illa ratum habere, gravissimas in praedictae constitutionis violatores infligit poenas.

TITULUS XVII.

DE DECIMIS PRIMITIIS ET OBLATIONIBUS

I. Inter praecipuas clericorum praerogativas iam illam recensuimus (2), vivendi scilicet de oblationibus, decimis, primitiis, aliisque a populo fideli collatis subsidiis, id quod naturali rationi conforme, legi Mosaicae, Christi, et Apostolorum exemplo comprobatum demonstravimus. Porro duo hic supersunt proprius discutienda. Primum, unde repetenda Decimarum origo. Alterum, quaenam fuerit antiqua Ecclesiae disciplina in distributione rerum sponte a fidelibus Ecclesiae oblatarum. Denique pauca de Primitiis subnectemus. Sit igitur primo.

De decimis

II. Prima, quae hac de re in sacro veteri Codice occurrunt vestigia, sunt Abrahami decimae e manubiis omnibus devictorum ab ipso regum sacerdoti Melchisedecho persolutae (3). Hanc avi sui pietatem imitatus Iacobus cunctorum, quae sibi in Mesopotamia adquirenda essent, decimas Deo offerendas vovit (4), quam fidem ab itinere reducem liberasse nemo vel subdubitaverit. Porro ante mosaicam sanctionem (5) nullus ex ipsis religiosissimis Patriarchis legitur, qui tanquam divinum pensum sibi decimas solvendas duxerit. Adhaec neque mosaicum praeceptum prius impletum spectamus, quam post adquisitam ab Israelitis terrae promissae pacificam possessionem. Qua de re probanda videtur hoc in capite s. Thomae sententia, qui censet legem decimarum eo intuitu spectatam, qua decima fructuum terrae pars debetur, esse omnino positivam, ac iudicialem, quae Christi adventu cessavit; at porro ea ratione, qua eis, qui divino cultui ministrant ad populi totius salutem, populus ipse necessaria vitae subsidia praestet, ipsa naturali ratione inditam esse (6). Haec s. Thomae sententia concordi theologorum, et politiorum canonistarum suffragio repta est.

III. Quid quod per quatuor priora Ecclesiae saecula nulla poene occurrit decimarum mentio? ita sane. Quum enim frequentissimae, ac satis copiosae oblationes essent, quas sponte fideles Ecclesiae conferebant, hinc nullam oportuit de decimis, atque adeo neque de victu ad clericorum sustentationem fidelibus praestando, edere sanctionem.

(1) Ad cap. *nulli* V. de rebus Eccles. alien. — (2) Lib. I. tit. VIII. n. 3.
(3) Gen. XIV. 20. — (4) Ibid. XXXIII. 22. — (5) Lev. XXVI. 30. — (6) II. II, quest. LXXXVII. art. 1.

IV. Primi, qui decimarum meminerint, sunt auctor constitutionum (1), Hieronymus (2), Chrisostomus (3), dein et Augustinus (4), Cassianus (5), aliique Patres. Neque vero de decimis loquuntur, vel tanquam praecepto aliquo divino, aut ecclesiastico conferendis, vel tamquam ubique gentium universe conferri solitis. Sed de iis perinde verba faciunt, ac de solutione voluntaria, ad quam hebraeorum exemplo excitari oportebat fideles, quum tepescente charitate non omnia Ecclesiae, eiusque ministris necessaria sponte a fidelibus suppeditarentur.

V. Iam vero quum Patrum monitis paullatim pendendarum decimarum consuetudo invaluisset, canones deinde sanciti sunt, quibus ad praestandas clericis decimas populus obligari coepit. Ita synodus matisconensis II. *can. IV.*, capitulare Caroli m. an. 801. *cap. VI.*, aliaeque per ea saecula habitae synodi: donec tandem iure decretalium decimarum solutio, quae iam universe obtinebat, atque antiquo fidelium usu firmata fuerat, generali sanctione cuncto populo christiano imposita est.

VI. Quinimmo saeculo XIII. exeunte Coelestinus III. decimas persolvendas edixit, non modo de fructibus, quos terra annuatim gignit, verum et de negotiatione, venatione, militia etc. Nullum sane hoc antiquius de decimis personalibus extat vestigium. Coelestini autem responso inter decretales Gregorii IX. relato ius generatim inductum est de omnibus, etiam de personalibus lucris, decimas deberi.

VII. Decimarum igitur duplex genus statuitur: nimirum aliae *praediales*, sive *personales*; quibus addendae et *mixtae*. Praediales sunt, quae ex fructibus, et proventibus praediorum debentur: idque αδιαφορως *indifferenter*, sive urbana sint, sive rustica. Porro huiusmodi decimae vel *maiores* sunt, vel *minores*, vel *novales*. *Maiores* sunt, quae de grano, vino, foeno, aliisque fructibus distentioribus penduntur. *Minores* de leguminibus, et oleribus. *Novales* demum de agris recens excultis. Personales dicuntur, quae ex rebus, quas quisque sibi industria, et opera sua adquirit, persolvuntur, veluti ex lucro honestae cuiuscunque negotiationis, militiae, venationis etc. Mixtae demum, quae partim praediales sunt, partim personales, scilicet quae ex fructibus, pecorum foetu, lacte, lana etc. praestantur. Lege mosayca, et iure ecclesiastico ad saeculum usque XIII., uti modo observavimus, praediales tantummodo decimae persolutae sunt.

VIII. Decimae personales in eo differunt a praedialibus, quod hae nullis deductis expensis, statim ac fructus collecti sunt, debentur (6), et quidem parochiis, intra quarum fines praedia iacent; quamvis illorum dominus alia in parochia commoretur, nisi aliud obtineat ex consuetudine (7). Illae vero parochiis praestandae sunt, ubi quis ecclesiastica percipit Sacramenta, et quidem deductis expensis. Qua de re in negotiatione nonnisi ex lucro, subductis impensis, persolvendae. Demum mixtae debentur quidem parochiis, ubi armenta pascuntur, at detractis sumptibus. Generales hi canones sunt, ad quos diversi generis decimarum ius plerumque dirigi-

(1) Lib. VII. cap. 30. — (2) In Malach. cap. III. — (3) Hom. III. in epist. ad Ephes. — (4) Enarrat. in psal. CXLVI. — (5) Coll. XIV.

(6) Cap. VII. XXII. XXVI., et XXXV. de decimis. — (7) Cap. XIII. XVIII., et XX.

tur. Ceterum in hac re plurimum consuetudini tribuendum, tum illarum rerum intuitu, ex quibus decimae praestandae sint, tum respectu illorum, quibus decimas persolvere oporteat, uti mox videbimus.

IX. Decimae iure antiquo, et communi nonnisi parochis praebendae. Id sane primaeva decimarum origo indicat: suppeditari enim coeperunt tamquam necessaria sacerdotibus totius populi saluti prospicientibus stipendia, tum ex conciliorum canonibus patet quibusnam decimarum solutio primum sancita fuerit, praesertim ex *can. XIX* concilii cabilouensis II., et *can. II.* Concilii metensis, quibus expresse cautum est, ne quis fideles ab decimis Ecclesiis parochialibus praestandis avertat. Et sane habebantur veluti oblationes parochis, et Ecclesiis parochialibus praestandae: id quod et romanorum Pontificum decretales etiam exhibent. Consultus enim Innocentius III. de quarundam decimarum praestatione sic rescribit: *quum perceptio decimarum ad parochiales Ecclesias de iure communi pertineat* (1) Unde tandiu Parochus ius habet sibi decimas vindicandi, quandiu evidenter non ostendatur speciali titulo eas ad alium spectare.

X. Verum ius percipiendi decimas contra ipsam parochialem Ecclesiam praescribi posse haud ambigendum: ad quod tamen cum possessione quadraginta annorum titulus quoque concurrat necessum est, vel duntaxat tituli defectum suppleat possessio immemorabilis (2). Et sane nonnunquam per Episcopos, atque etiam per Romanos Pontifices Capitulis, et monasteriis non modo decimas concessas, verum et ipsas parochiales Ecclesias incorporatas constat. Illud vero prorsus mirandum, decimas iam inde a saeculo VIII. in laicorum manus transferri coepisse, in quam rem sane diligentius inquirendum.

XI. Ac primo ius percipiendi decimas ab ipsis decimis distinguendum, illud prorsus spirituale est: *consequitur enim*, ut recte notat s. Thomas (3): *illud debitum, quo ministris altaris debentur sumptus de ministerio, et quo seminantibus spiritualia debentur temporalia, quod ad solos clericos pertinet habentes curam animarum. Res autem, quae nomine decimarum dantur, corporales sunt. Unde possunt in usum quorumlibet cedere, et sic possunt etiam ad laicos pervenire.*

XII. Ut autem haec decimarum in laicos translatio legitime fiat, legitima quaedam requiritur caussa, scilicet necessitas, vel utilitas Ecclesiae, pauperum levamen, vel aliud huiuscemodi (4). Sic ad recuperandas Ecclesias a Saracenis occupatas regibus catholicis a romanis Pontificibus tertias decimarum concessas refert Emmanuel Gunzalez (5). Porro tria hinc mala sensim profluere. 1. Principes decimas sibi in subsidium ad tempus concessas in beneficium stabile, sive in feudum possidere voluisse. 2, nonnullos Episcopos, et Praelatos nimis faciles, neque ex iusta caussa, decimas concedere consuevisse. 3, laicos aliquando decimas propria auctoritate, vel parochis conniventibus, usurpasse.

XIII. Non defuere quidem Episcopi, atque etiam R. Pontifices, qui hu-

(1) Cap. XXIX. de decimis. Cap. XXX. ibid. — (2) Cap. IV., et VI. de praescriptionibus, et cap. I. eodem in VI.
(3) Ibidem art. III. — (4) S. Thom ibid. ad 3. — (5) In comm. cap. XIX. de decimis.

iusmodi abusioni pro virili sese opponerent : at nimis ardunm crat decimas e laicorum manibus eripere , qui in illarum possessione diu fuissent. Satius igitur visum est rem veluti transigere ; id quod in concilio lateranensi III. Alexandro III. primum adgredi coeperunt, dein sub Innocentio III., aliisque secutis Romanis Pontificibus identidem prosequuti sunt. Ac 1. sancitum est, ut laici decimas in alios laicos transferre nou possent (1).

2. Ut qui decimas haereditario iure tenerent, possent eas cui voluerint idoneo clerico dare , eo quidem pacto , ut postea ad Ecclesiam, cui de iure competunt, reverterentur (2).

3. Ut laici servitia Ecclesiis, quarum decimas infeudatas haberent, praestare tenerentur (3)

4. Ut occasione decimationis antiquae decimae novalium non usurparentur (4).

5. Ut religiosi possent de consensu Episcoporum decimas a laicis detentas accipere (5) : id quod de iis duntaxat decimis , quas ante Concilium lateranense III. laici in feudum possidebant , intelligendum *ibidem* monetur. Unde communis illa , ac ubique hodie recepta canonistarum regula profluxit , scilicet illas tantummodo decimas a laicis in feudum retineri posse , quas ante concilium lateranense III. consecuti fuerint. Licet igitur ius percipiendi decimas ex primigenia institutione omnino spirituale sit, possunt tamen decimae ipsae a laicis vel iusto titulo, vel immemorabili praescriptione possideri.

XIV. Ad decimarum solutionem iure communi obstringuntur omnes prorsus christiani, atque adeo etiam Iudaei, ac pagani, si de praedialibus sermo sit; praediis enim ipsis adiacent (6). Quinimmo iure communi etiam monachos , et regulares ad decimas persolvendas teneri certum omnino est (7).

XV. Porro ab onere praestandi decimas potest quis eximi vel ex privilegio, vel ex praescriptione , vel ex pacto. Ac primo ex privilegio romani Pontificis Innocentii II. prorsus a decimis exempti declarati sunt cistercienses , quod postea privilegium ita restrictum , ut exempta non essent , neque praedia post concilium lateranense IV. adquisita , neque ea , quae vel ab aliis locarent , vel aliis colenda traderent. Et sane, ut recte observat Alexander III quando privilegium illud Ordini cisterciensi datum fuerat, eiusdem abbatiae, et nimis rarae, et exiles erant (8). Porro quod spectat ad praedia , quae monachi ipsi suis manibus excolunt, ut inde victum capiant, generatim ab decimis exempta sunt , quo privilegio omnes fruuntur, qui sub certa, et probata regula communem vitam agunt (9).

XVI. Praescriptione etiam, seu consuetudine adquiritur decimarum immunitas, quae, ut supra notavimus, sine titulo debet esse immemorabilis ; cum titulo vero annorum quadraginta. Porro decimarum praescriptionem de maioribus tantummodo intelligas, non de minoribus, et novalibus , quae

(1) Conc. lateran. III cap. XIX. de decimis. — (2) Syn. abricensis an. 1172. can IX. — (3) Innocentius III. lib. IV. epist. 9. — (4) Innocentius III. cap. XXV. de decimis. — (5) Alexander IV. cap. II. de decimis in VI.

(6) Cap. IV, et passim hoc tit. — (7) Cap. IV. ibidem. — (8) Cap. IX. hoc tit. (9) Cap. X. hoc tit.

semper ad parochum spectabunt, nisi titulus adsit contrarius. Sic immunitas personalium decimarum inducta est, eoque facilius, quod quum impensae essent subducendae, saepe parum superesset lucri. Mixtae quoque multis in locis exoleverunt, ut et in aliquibus etiam praediales, ex eo praesertim tempore, quo regiis sanctionibus parochis optio proponi coepit, ut vel decimas, vel congruam portionem eligerent. Novissimis regiis rescriptis, praesertim die 20. Augusti 1708. nonnisi ubi parochi *congrua* sint destituti, ex decimis congruae defectus supplendus.

XVII. Conventione demum, sive pacto immunitas decimarum inducitur, quod antiquitus, ut supra observavimus, ex caussa etiam gratuita, et liberali fieri consuevit, at deinde nonnisi ex caussa onerosa transactionis, vel compensationis alterius rei spiritualis fieri posse decretum est; ut puta si religiosis huiusmodi largiatur immunitas, ut ipsi habendis in parochia concionibus obstringantur (1).

XVIII. Illud hic postremo animadvertendum, nomine decimae non stricti decimam frugum partem venire: plerumque enim minus praestatur, veluti duodecima, vel quintadecima pars, et alicubi etiam vigesima, vel trigesima. Verum quaecumque hac in re sit consuetudo, illud constat, posse laicos ad decimarum solutionem compelli. In capitularibus regum francorum iam sancitum erat, ut *qui decimas pro crebis sacerdotum admonitionibus, et praedicationibus dare neglexerint, excommunicentur* (2). Idem ab Alexandro III. statutum legitur (3). Id quod seculi tridentini Patres in hunc modum decernunt (4). ***Qui decimas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur.***

De oblationibus

XIX. In eo a decimis differunt oblationes, quod ad illas praestandas populus ex iustitia teneatur, at oblatio proprie sit munus a fidelibus Deo, vel Ecclesiae sponte oblatum. Huiusmodi oblationes antiquitus adeo frequentes, et copiosas fuisse, ut quaedam Ecclesiae potuerint de iisdem portionem Ecclesiis indigentioribus conferre, constat ex Apostolo (5). Tum de Ecclesia Romana testantur Dionysius Corinthi Episcopus apud Eusebium (6), et Dionysius alexandrinus apud eundem Eusebium (7) consuevisse, scilicet ad dissitas, easdemque pauperes Ecclesias necessaria vitae subsidia transmittere.

XX. Porro in spontaneis hisce offerendis muneribus Ecclesia hierosolymitana inter ceteras emicuit: ibi enim, ut habetur act. II: *qui credebant erant pariter, et habebant omnia communia, possessiones, et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Eandem ab orientalibus non paucis initam fuisse rationem, scribit Eusebius (8).

XXI. Oblationes proprie dictae, sive quae Ecclesiae offerebantur prae-

(1) Cap. II., et cap. VIII. de transact. — (2) Lib. II. cap. XLVIII. — (3) Cap. V. hoc tit. — (4) Sess. XXV. de ref. cap. 12.
(5) Epist. I. ad Cor. 16.—(6) Lib. IV. cap. 23.—(7) Lib. VII. cap. 5.—(8) Lib. III. cap. 37.

cipue ad ministrorum altaris sustentationem duplicis erant generis: aliae ad altare offerebantur, scilicet triticum, racemi, oleum, thus; aliae in domum Episcopi deferebantur, puta mel, lac, legumina, volatilia, pecudes, poma, aliique fructus (1).

XXII. Verum in rerum Ecclesiae oblatarum partitione praecipua penes Episcopum potestas erat, ad quem spectabat providere, ut rectissime administrarentur, et distribuerentur (2). Iam vero Episcopus diaconorum opera uti consuevit, ac praesertim archidiaconi, aliusvo constituti oeconomi, qui ex eius mandato necessaria pro divino cultu suggererent, alimenta item sacerdotibus, et clericis suppeditarent, habita tamen ratione gradus, et ordinis, et quidem vel quotidie, vel singulis mensibus, unde haud raro apud veteres occurrunt sportulae quotidianae, et divisiones menstruae. Sua quoque alimenta pro uniuscuiusque necessitate recipiebant pauperes, virgines, viduae ecclesiasticae, martyres, et confessores in carceribus detenti, infirmi, peregrini, aliique huius generis.

XXIII. Omnibus ex aequo fidelibus permissum erat munera altari, et Ecclesiae offerre: at vero in iis recipiendis illud quammaxime cavebant veteres sanctissimi Episcopi, ne cui fraudi essent; praesertim filiis, et parentibus. Eo spectat quod ait s. Ambrosius: *non quaerit donum Deus de fame parentum*. Adhaec offerre vetabantur publice poenitentes, fratres dissidentes, et qui pauperes opprimebant (3). Id quod non de omnibus indiscriminatim oblationibus intelligendum, at de iis tantummodo, quae sacrificium spectabant. Etenim, uti modo ex constitutionibus apostolicis observavimus, iam inde ab Ecclesiae incunabulis mos obtinuit, ut populus panem, et vinum ad altare offerret, ex quibus Corpus, et Sanguis Christi conficeretur.

XXIV. Porro secutis temporibus loco panis, et vini offerri coepit pecunia, cuius mutationis originem rariori fidelium communioni adscribendam censet Honorius augustodunensis (4): id quod VIII. saeculo primum fieri coeptum, saltem in Missis privatis, demonstrat Mabillonius (5). Tum denarii inter Missarum sollemnia ad altare oblati, quum in usum sacerdotis celebrantis cedere coepissent, hinc sensim factum est, ut omnis prorsus oblatio in Missa desuesceret, sed qui pro se, tanquam praecipue offerente, Missam celebrari, aut orari vellet, id oblato denario a Sacerdote postularet: huius moris prima occurrit mentio apud Petrum Damiani (6). Atque hinc ille denarius, quem hodie *honorarium*, aut *stipendium* Missae vocamus.

XXV. Inter huiusmodi stipendium, et antiquum inter Missarum sollemnia offerendi morem haud leve est discrimen. Tunc enim omnes, qui Sacrificio intererant fideles panem, et vinum, vel denarios ad Altare offerebant, quum sacerdos nonnisi unam pro omnibus Missam celebraret. At in-

(1) Can. apost. III. IV., et V. constit. apost. lib. VII. cap. 30.
(2) Can. apost. XXXI. et XXXIV. constit. apostol. lib. II. cap. 25. aliique veterum conciliorum canones.—(3) Can. XVIII. conc. eliber. et can. XCIV. et XCV. concilii chartag. IV.
(4) In gemma Animae cap. 58. — (5) Praefat. ad I. part. III. saec. benedict. n. 62. — (6) Lib. I. epist. XV.

ducto stipendio quisque fidelis illud praestans, peculiare pro se postulat Sacrificium. Cetera, quae ad hanc rem spectant, habebitis in theologicis moralibus institutionibus.

De primitiis

XXVI. De primitiis fructuum, tanquam de parte alimentorum Cleri, non modo canones sic dicti apostolici (1), et constitutiones loquuntur (2), verum et Patres antiquissimi. Origenes contra Celsum (3), et Irenaeus (4). Tum Irenaeus ipse oblationis primitiarum hanc adfert rationem: *suis discipulis dans consilium Christus, primitias Deo offerre, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint.* Et alibi (5): *offerre igitur oportere Deo primitias eius creaturae.*

XXVII. Porro non modo ad agnoscendum Creatorem, verum et ad ministrorum altaris sustentationem primitias fuisse oblatas, inde colligi posse videtur, quod in synodo gangrensi haeretici eustathiani arguantur, quippe qui primitias fructuum ex veterum institutione Ecclesiis tribui solitas sibi vindicaverint, et tanquam sanctis sibi eas offerri debere crediderint, apud se, et inter se dispensandas (6). Porro ex uvis potissimum, et frumentis primitias fuisse oblatas constat tum ex canone quodam africano, quo decernitur (7): *nec amplius in primitiis offeratur, quam de uvis, et frumentis*, tum ex Nazianzeno, qui earundem meminit (8). Demum ad altare fuisse oblatas ex eo evinci potest, quod auctor constitutionum apostolicarum (9) formulam precandi proferat, cui λημμα *titulus* adscribitur, *επικλησις επι απαρχων imploratio super primitias.*

XXVIII. Iam vero secutis temporibus in desuetudinem abiere: vix enim iam inde a saeculo V. earundem occurrit mentio: tantummodo sancitae reperiuntur in concilio quodam hispanico apud Ivonem caruotensem (10). Ceterum ubi adhuc obtineant, quo modo, et quibus ex rebus praestandae sint, propria cuiuscunque loci cousuetudo praescribat, ut docet ostiensis (11).

TITULUS XVIII.

DE BENEFICIORUM ORIGINE DEFINITIONE ET DIVISIONE

Nominis beneficii apud Veteres usus

I. *Beneficii* vocabulum apud veteres latinos auctores tum *progressionem* significabat ad altiorem gradum (12), ot promoti dicebantur vel homines *beneficii* eius, a quo evehebantur, (13), vel *beneficiarii* (14): unde in veteribus inscriptionibus apud Gruterum haud raro occurrunt *beneficiarii*

(1) Can. IV. — (2) Lib. VIII. cap. 40. — (3) Lib. VIII. — (4) Lib. IV. cap. 32. (5) Ibidem Cap. 34.— (6) Epist. synod. apud Balsamonem.—(7) Cod. afric. can. XXXVII. — (8) Epist. LXXX.—(9) Lib. VIII. cap. XL.—(10) Decret. part. III. cap. 174. — (11) Ad Cap. I. hoc tit.

(12) Tacitus lib. IV. hist. cap. 48.—(13) Svetonius in lib. cap. 12. — (14) Caesar lib. I. de bel. gal. cap. 75.

tribunorum, *consulum*, *praefectorum* etc. Tum quoque proemium denotabat, quod de Republica benemeritis ex publico aerario conferri solebat. Etenim apud Romanos in more fuit, ut magistratus e provincia reversi nomina eorum ad aerarium deferrent, quorum opera in munere suo adimplendo salubriter usi fuerant, unde φρασις *deferre in beneficiis* (1): *in beneficiis ad aerarium delatus est a L. Lucullo praetore*. Quum vero postea hisce de Republica benemeritis, praesertim militibus, praedia utenda fruenda elargiri consueverint, hinc, *beneficium* pro *praedio* usurpatum est imperatoris liberalitate alicui concesso propter bonam Reipublicae datam operam. Haud igitur immerito in iure nostro praedia, quae clericis bene de re ecclesiastica meritis tribuuntur, quoad vixerint utenda, beneficia dicta sunt. Satis de nomine (*).

De origine beneficiorum

II. Originem quod spectat, iam observavimus (2) prioribus Ecclesiae saeculis clericos ex muneribus sponte a fidelibus Ecclesiae oblatis victitasse.

2. Hasce fidelium oblationes praecipuam constituisse reddituum ecclesiasticorum partem, etiam postquam Ecclesia bona immobilia possidere coepit.

3. In reddituum ecclesiasticorum distributione praecipuas Episcopi fuisse partes, cui tamen ex synodicis sanctionibus, ad omuem fraudis suspicionem declinandam, oeconomo utendum erat.

4. Antiquissimo ecclesiastico iure quum Ecclesiae bona inter clericos dispertirentur, eam tantummodo rationem habitam fuisse, ut quantum quisque indigeret, tantumdem acciperet. S. Cyprianus inter abusiones in Ecclesiam sua aetate inductas illam recenset, quod clerici, spreta communi cum Episcopis vivendi ratione, singuli per hebdomadas, vel per menses aequales acciperent portiones (3).

5. Nonnisi V. saeculo primum redditus ecclesiasticos in tres, quatuorve portiones dividi coepisse Ecclesiae, Episcopo, clericis, et pauperibus adsignatas.

III. Iam vero VI. saeculo ineunte ea vigere coepit consuetudo, ut clericis, qui strenuam rei ecclesiasticae navassent operam, praedia Ecclesiae ad tempus fruenda concederentur. Synodus agathensis an. 506. *can. VII.* post perlatam sanctionem, ne Episcopi res Ecclesiae alienare praesumerent, subnectit: *minusculas vero res, aut Ecclesiae minus utiles peregrinis, vel clericis, salvo iure Ecclesiae, in usum praestari permittimus.* Et canone XXII. *presbyteri, vel clerici, salvo iure Ecclesiae, rem Ecclesiae, sicut permiserunt Episcopi, teneant, vendere autem, aut donare penitus non praesumant.* Tum synodus aurelianensis I. can. XXIII. *si Episcopus humanitatis intuitu vineolas, vel terrulas clericis, vel monachis praestiterit excolendas, vel pro tempore tenendas,* etc. Vides hic prima veluti rudimenta beneficiorum, licet beneficii vocabulo non adhuc

(1) Cicero pro Archia.

(*) Videsis tractatum de beneficiis ecclesiasticis cl. Caroli Gagliardi cum nostris additionibus: edit. Neap. vol. 3. an. 1842.

(2) Tit. XVII. — (3) Epist. XI.

usurpato: at vides simul haud frequentes ciusmodi fuisse concessiones, et nonnisi vel ex necessitate, vel ob singularia personae alicuius merita fuisse factas, unde potius iure personali, quam iure tituli praedia illa clericos utenda accepisse patet, quibus decedentibus praedia sua Ecclesia recuperabat, poteratque usque retinere, nec praeterea in successores ullos traducere (1).

IV. Porro deinceps sicuti Ecclesiis parochialibus certi redditus constituti sunt, oblationesque, ac decimae fidelium intra earundem limites incolentium adsignatae, et quidem plano iure independenter ab Episcopi administratione, ita quoque simul inductum est, ut ius percipiendi fructus, sive proventus ecclesiasticos iam non personis, sed Ecclesiis, sive titulis adnecteretur, adeout ubi presbyter, vel clericus Ecclesiae cuiusdam ministerio, sive titulo addiceretur, ius simul redditus eidem titulo adnexos percipiendi sibi compararet. Atque hinc etiam factum est, ut ipse titulus beneficium diceretur, tum quod ius illud proventus ecclesiasticos percipiendi ipsius tituli adquisitionem consequeretur; tum quod titulus, sive Ecclesiae ministerium tamquam principale esset, cuius ius illud, ut minus praecipuum, ac veluti accessorium haberetur.

Beneficii ecclesiastici *nova* essentia.

V. Canonistae priorem beneficii acceptionem retinentes illud definiunt: *ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae propter officium spirituale auctoritate Ecclesiae constitutum.* Praestat paucis singulas huius definitionis partes explanare.

VI. *Ius perpetuum*, seu ad vitam beneficiarii. Sicut enim clericus non ordinatur ad tempus, ita nec alicui Ecclesiae ad tempus addicitur. Porro ecclesiasticum ministerium, sive Ecclesiae alicui addictio, est veluti beneficii, sive iuris illius fundamentum.

VII. Atque hinc duo veluti corollaria deduces. 1, ministerium ecclesiasticum cum adnexo iure percipiendi fructus, ac temporale, et ad nutum revocabile, proprie beneficium dici nequit. 2, officia claustralia plerumque beneficia non sunt, quum superiorum arbitrio adimi possint.

VIII. *Percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae:* nimirum ex Ecclesiae bonis, de quibus superioribus titulis iam locuti sumus.

IX. *Propter officium spirituale:* beneficia enim ecolesiastica eodem prorsus intuitu clericis adsignata voluit Ecclesia, quo antiquitus iisdem per Episcopos, alimenta, sive stipendia suppeditabantur, nimirum, ut qui altari servit, de altari vivat. Et synodus tridentina (2): *beneficia*, ait, *ad divinum cultum, atque ecclesiastica munia obeunda constituta sunt.* Quare merito beneficium propter officium dari dicitur.

X. *Officii spiritualis* nomine intelliguntur Sacramentorum administratio, Missarum celebratio, aliaeque sacrae functiones, quibus ex primaeva institutione beneficiarii adstringuntur. Porro officium cunctis beneficiariis commune est horarum canonicarum, sive breviarii recitatio, unde hoc κατ'

(1) Thomas. p. III: lib. II. cap. 16.
(2) Sess. XXI. de ref. cap. III.

ἐξοχὴν *per excellentiam* divinum officium dicitur: praesertim quum ab saeculo XI, in multis beneficiariis haec duntaxat residere coeperit obligatio; eorumque propterea beneficia, quippe quae ecclesiasticum ministerium adnexum non haberent, simplicium beneficiorum nomen acceperint.

XI. *Auctoritate Ecclesiae constitutum:* et sane sicuti antiquitus proventuum ecclesiasticorum cura penes Episcopum erat, ita episcopalis auctoritas beneficio constituendo veluti ἐσιωδης *substantialis* est. Nec quaecunque episcopalis sanctio beneficio constituendo satis est, at ea requiritur, qua usitatis, statutisque legibus, ac ritibus ad beneficii titulum erigatur. Atque hinc colliges proventus, licet perpetuo stabiles constitutos, et clericis ob spirituale aliquod officium adsignatos, uti legata pia, et capellaniae, beneficii naturam, nisi accedente Episcopi auctoritate, et legitimis adhibitis sollemnitatibus, non induere; sed stipendia duntaxat censeri, vel eleemosynas.

De praebendis

XII. Antequam ulterius progrediamur iuvat hic pauca de praebendis dare. Uti apud Romanos victualia, quae magistratibus, legatis publice missis, aut militibus hospitii caussa de more conferebantur, praebendae, sive praebenda dicta sunt: ita Canonistae illam redditum, rerumque capitularium portionem, quam canonici ratione divini officii in Ecclesia peragendi sibi vindicant, praebendam dixerunt: quae et genus quoddam beneficii est. De dignitatibus, personatibus, aliisque canonicatibus satis *lib. I. tit. XXVI.*

De multiplici beneficiorum genere

XIII. Beneficia primo dividuntur, ut alia sint maiora, alia minora. Primi generis sunt papatus, patriarchatus, archiepiscopatus, episcopatus, ac etiam cardinalatus, saltem sententia eorum, qui illum pro beneficio habent. Adiici quoque potest abbatia: abbates enim in suos potestatem quasi episcopalem exercent. Alterius generis sunt omnia illis inferiora, ex quibus aliqua etiam σχέσει *relatione* habita ad reliqua, dicuntur maiora, scilicet quae adnexam habent dignitatem, vel personatum.

XIV. Hic duo statuendi canones. 1, beneficia illa maiora communi beneficii nomine non intelligenda, atque adeo neque dignitatis vacabulo, quum sint dignitatum culmina.

2. In materia, uti aiunt, odiosa beneficii nomine simpliciter prolato, neque dignitates, neque personatus intelligendi, quum plerumque simplici beneficiorum nomine haud indicentur.

XV. Beneficia rursus alia sunt curata, alia simplicia. Curata sunt, quae animarum curam adnexam habent: porro cura haec vel internum conscientiae forum respicit, et proprie *curata* dicuntur; vel ad forum tantummodo externum spectat, sive contentiosum, quo intuitu iurisdictio dici consuevit, et nonnisi improprie curata, aptius vero duplicia adpellantur. Beneficia simplicia vocitantur, quae in neutro foro regimen habent animarum, neque populum, aut Clerum habent, in quem huiusmodi cura exerceatur (1).

(1) Cap ult. de praebendis.

XVI. Iam vero plura hic observanda. 1, ut beneficium dicatur curatum omnino requiritur, at cura animarum ipsi beneficio sit perpetuo adnexa, eamque beneficiarius libere exercere possit.

2. Cathedralium, et collegiatarum canonicatus beneficiis quidem simplicibus adcensendi, haud vero in materia odiosa, ob eorum eminentiam, qua ipsis poene dignitatibus comparari videtur (1), id quod probare videtur stylus R. Curiae.

3. Simplicibus beneficiis adnumerandae quoque sunt capellae, sive capellaniae: de capellis, earumque origine satis *tit. XI. hoc libro*: porro vel capella constituit corpus per se, et est veluti sacra aedicula, aut etiam Ecclesia a parochiali seiuncta, et tunc proprie capella dicitur, quique ei praeest *rectoris* nomen habet; vel capella aliud non est, quam sacellum, aut altare in aliqua Ecclesia erectum, et tunc proprie capellania dicitur, quique ei praeest *capellanus perpetuus*.

4. Denique simplicis beneficii nomen aliquando ea notione accipitur, ut beneficium, quod ad residendum non adstringit, significet, unde alia emersit beneficiorum divisio, nimirum in residentiaria, et simplicia.

XVII. Dividuntur quoque beneficia, inspectis personis, quibus conferuntur, in regularia, quae nonnisi regularibus, et saecularia, quae saecularibus tantummodo clericis conferri possunt. Haec divisio sero in Ecclesia audita est; antiquitus enim claustrales regularium praefecturae simplicia erant officia, quae postea alicubi in beneficia, et dignitates degenerarunt. Qua de re (exceptis capellis intra monasterii claustra constructis, quae nisi per saeculares administrari consueverint, regulares censendae) beneficia omnia saecularia praesumuntur, nisi contrarium demonstretur.

XVIII. Triplici potissimum via beneficium aliquod regularibus addictum demonstratur, scilicet institutione, fundatione, praescriptione. *Institutione*, ubi ipsam regularium disciplinam, et regimen adnexum habet, *fundatione*, ubi fundator expresse cavit beneficium regulare, vel nonnisi regularibus conferendum instituere se voluisse; *praescriptione* demum, scilicet ubi quadraginta annorum spatio perpetuo, ac pacifice a regularibus administratum sit.

XIX. In eadem hac beneficiorum divisione tertium occurrit beneficiorum genus, scilicet quae commendata dicuntur, seu data in commendam: id quod antiquitus fiebat ad tempus, at hodie plerumque sunt perpetua. Conceduntur enim commendatariis, quoad vixerint, possidenda. De commendis mox fusius agemus. Tantummodo hic iuvat observare, ubi contingat beneficium aliquod regulare a Summo Pontifice commendae nomine clerico saeculari conferri, eius naturam non mutari, nec ideo fieri saeculare.

XX. Postremo ex diversa collationis, sive provisionis ratione beneficia alia sunt *electiva*, ad quae scilicet quis per electionem adsumitur, alia *collativa*, quae nimirum per collationem Episcopi, aut alterius Praelati obtinentur, et alia *patronata*, quae scilicet ad patroni praesentationem conferuntur. Item alia sunt *reservata*, et *adfecta*, quae scilicet ad Pontificiam pertinent collationem, et alia *non reservata*, neque *adfecta*, quorum nempe collatio alterius, quam R. Pontificis, iuris est.

(1) Cap. II. de rescriptis in VI.

TITULUS XIX.

DE BENEFICIORUM PLURALITATE

I. Antequam redditus ecclesiastici in beneficia erigerentur, iam canones praeivere, quibus beneficiorum pluralitas damnata est. Synodus chalcedonensis binos in hanc rem canones habet, *X*, et *XX.*, quorum priore *clericum in duabus simul Ecclesiis conscribi* vetatur, depositionis poena in transgressores inflicta: posteriore Episcopum, qui clericum ad alium Episcopum pertinentem susceperit, una cum clerico suscepto, communione privandum decernitur, illis tantummodo *exceptis*, *qui proprias amittentes patrias, ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierunt*. Profecto quid hoc aliud est, quam beneficiorum pluralitatem ex residentiae divino iure statuta lege illicitam iudicare?

II. Consonant chalcedonensi concilia secutis temporibus habita, uti aurelianense III. (1), epaonense (2), aurelianense item V. (3), etc. Negandum quidem non est exempla occurrere, atque adeo conciliorum etiam canones, quibus uni Episcopo, vel Presbytero binae cathedrales, vel parochiales Ecclesiae regendae permittuntur, verum hoc tum denique obtinuit, vel quum maxima urgeret necessitas, uti in Ecclesiis vicanis propter idoneorum sacerdotum inopiam (4), vel quum maxima illud postularet Ecclesiae utilitas.

III. At hae nonnisi rarae admodum, et antiquitus inusitatae sunt canonum relaxationes. Frequentiora enim occurrunt exempla Ecclesiarum cathedralium, vel parochialium, quae ex pluribus in unam pontificia, vel Synodali auctoritate coaluerint, quam plurium Ecclesiarum uni Episcopo, vel presbytero commissarum. Sic Gregorius M. misenatem, et cumanum episcopatus in unum conglutinavit (5). Et synodus toletanus XVI. (6) ne pluralitati Ecclesiarum ulla sterneretur via, etiam in Ecclesiis vicanis antiquum servandum canonem decrevit, nimirum ut potius pauperiores ditioribus augerentur, vel in unum coniungerentur, quam ut unus presbyter pluribus praeesset. Tum synodus parisiensis VI. (7), et aquisgranensis II. (8) diserte constituebant, ne quis simul parochiam regat, et basilicam, vel martyrium, sed singulis Ecclesiis sive parochialibus, sive auxiliaribus, ut aiunt, singuli adsignentur presbyteri. Demum IX. saeculo quum abusio invalescere coepisset, ut quis simul parochiam teneret, et canonicatum, adversus eandem insurrexerunt Episcopi purioris disciplinae studiosissimi (9).

IV. Igitur prioribus, et secutis Ecclesiae saeculis pluralitatis beneficiorum abusioni, quae clericorum avaritia paullatim invalescebat, synodorum canonibus satis obviam itum est, licet nunquam radicitus evelli quiverit. At vero saeculo XII. perversa illa consuetudo tum ubique, tum vel ma-

(1) Can. XVIII. — (2) Can. XIV. — (3) Can. XIV. — (4) Syn. emeritensis can. LXI., et toletana XII. can. III.
(5) Lib. II. epist. 31. — (6) Can. XI. — (7) Can. XLIX. — (8) Can. ult.
(9) Hincmarus tom. I. pag. 732.

xime in Gallia adeo altas radices egit, ut teste Alexandro III. (1), *prae multitudine delinquentium emendari non posse* videretur: quinimmo non deerant, qui non modo duas, aut tres, sed etiam sex, aut plures Ecclesias parochiales possiderent; id quod severissime damnatum est primum in concilio lateranense III. (2) *de clericis non residentibus*. poena etiam adiecta, *ut qui receperit, quod contra sacros canones accepit, amittat, et qui dederit, largiendi potestate privetur*. Mox et in concilio lateranensi IV. (3) *de praebendis*, quo sancitum est, *ut quicumque receperit aliquod beneficium curam habens animarum adnexam, si prius alterum tale beneficium habebat, eo sit ipso iure privatus, et si forte illud retinere contenderit, etiam alio spolietur*. Praeterea, *ut in eadem Ecclesia nullus plures dignitates, aut personatus habere praesumat, etiamsi curam non habeant animarum*.

V. Quod vero in decreto Innocentii III. clausula illa adiecta sit: *circa sublimes tamen, et litteratus personas, quae maioribus beneficiis sunt honorandae, quum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari*: hinc quam lata patuit via, cum dispensationibus pontificiis postulandis, ac impetrandis, tum quoque beneficiorum pluralitati. Adeout plura beneficia, etiam curata, per pontificiam dispensationem consequi ea aetate, veluti ius ordinarium evasisse, patet ex decreto concilii lugdunensis (4), ubi tantummodo dispensatio apostolica Episcopo exhibenda praescribitur; et ex constitutione Ioannis XXII. (5), ubi summus Pontifex de nimis frequentibus dispensationibus conqueritur, quas importuna quadam, et execrabili ambitione aeque clerici, ac religiosi ab R. Pontificibus potius extorquere, quam obtinere nitebantur. Tum *ibidem* dispensationibus moderamen imponendum sancitum est. At neque inde tantum, tamque perniciosum illud malum aliqua ex parte imminutum, immo et auctum. Inducto enim unionum, commendarum, et pensionum more, beneficiorum pluralitas veluti quodam pallio tecta est, uti mox observabimus. Coadiutoriae quoque frequentius admissae in caussa erant, cur iisdem abusionibus remedium feliciter adhiberi non posset. De coadiutoriis satis egimus (6).

VI. Tandem Patres tridentini veteris Ecclesiasticae disciplinae instaurandae cupidissimi, pro temporis ratione, tanto illi malo reparando medicas manus adhibuere. Namque cuicui vetant (7) plures cathedrales Ecclesias, aut plura curata, vel alias incompatibilia beneficia unione, commenda, aut alio quovis nomine contra formam sacrorum canonum, et praesertim constitutionis Innocentii III. recipere, ac simul retinere, privationis beneficiorum poena ipso iure incurrenda in violatores sancita. Et pressius decrevere: *ut unum tantum ecclesiasticum beneficium singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam eius, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, licet nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Haecque non modo ad cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia tam sae-*

(1) In cap. V. *de praebendis*.
(2) Cap. III. — (3) Cap. XXVIII. — (4) In cap III. *de officio Ordinarii* in VI.
(5) In extravag. II. *de praebendis* in communibus.
(6) Lib. I. tit. XVII. — (7) Sess. VII. de ref. cap. II., et VII.

cularia, *quam regularia quaecumque*, *etiam commendata*, *pertineant*, *cuiuscunque tituli*, *aut qualitatis existant* (1).

VII. Igitur iure tridentino beneficia dividuntur in compatibilia, et incompatibilia. Prioris generis sunt omnia beneficia simplicia, scilicet, quae residentiam aut personale servitium non requirunt. Alterius generis sunt, quae simul retineri nequeunt, quippe quod residentia, servitiumque ipsis adnexum sit. Huiusmodi sunt duo episcopatus, duae parochiae, parochia, et canonicatus in diverso tecto etc. Porro beneficia incompatibilia bifariam partiuntur: alia enim eius sunt naturae, ut unum per adeptionem alterius vacet ipso iure, uti duo beneficia curata, duo personatus, duo officia administrationem adnexam habentia (2), *nisi forte* ex duabus Ecclesiis, vel dignitatibus curatis *una ab alia dependeat*, *vel invicem sint adnexae:* quum enim pro una habeantur, poterunt ambo simul retineri (3). Quare canonicatum dignitati, quae nullos, vel tenues fructus habeat, adnexum, ubi adsit consuetudo, poterit quis simul retinere (4), et beneficia curata aliis beneficiis adnexa transeunt in simplicium naturam, dummodo accessorie sint unita, et illorum cura per Vicarium ab Ordinario positum exerceatur (5). Eiusdem sunt incompatibilium generis cathedralis dignitas cum parochia, duo beneficia uniformia sub eodem tecto, sive in eadem Ecclesia, scilicet quae ad eundem finem, idemque ministerium instituta sunt, habentque idem onus, ac officium eodem tempore persolvendum, item duo canonicatus, duaeve eiusdem Ecclesiae capellaniae (6).

VIII. Porro ut primum beneficium vacet, satis non est alterum collatum esse, at requiritur omnino alterius sive de iure, sive de facto pacifica possessio, scilicet, ut alterum vel de facto pacifice possideatur, vel saltem, ut probari queat, per beneficiarium stare, quominus pacifice possideatur (7). Id quod sancitum est ob nonnullorum fraudes, qui pacificam alterius beneficii possessionem vix nacti, statim cum ficto adversario colludentes, litem sibi suscitari procurabant, ut possessio adpareret non pacifica, atque ita fieret, ut utriusque prioris, et posterioris beneficii proventibus fruerentur. Adhaec pacificam alterius beneficii possessionem nacto retentio prioris conceditur ad duos usque menses (8), et quidem, ut possit quis experiri an molestiae superveniant; ne, istis inopiuato obvenientibus, post primum demissum incidat in utriusque iacturam (9).

IX. Incompatibilia alterius generis sunt beneficia sunt, quorum prius non vacat ipso iure per pacificam alterius adsecutionem, quamvis retinere simul nequeant: quum eligere quis debeat alterutrum, alias per superiorem altero privandus. Huiusmodi sunt duo canonicatus in diversis Ecclesiis, et alia beneficia legem residentiae adnexam habentia, sed sine animarum cura, dignitate, personatu, vel officio, neque uniformia sub eodem tecto.

(1) Sess. XXIV. de ref. cap. 17.
(2) Extravag. *execrabilis* de praebendis cap. 28. eodem tit. — (3) Cap. XXXII. eod tit. in VI. — (4) Gallem. ad cap. XVII. syn. trid. de ref. sess. XXIV. — (5) Gallem. ibid. — (6) Cap. IX. *de concessione praebendae non vacantis* et clement. fin. *de praebendis*.
(7) Indic. extrav. *execrabilis*. — (8) Rota apud Merlinum decis. VI. n. 10.
(9) Rigant. in reg. I. canc. §. 8. num. 115.

Tria igitur, cura scilicet animarum, lex residentiae, et uniformitas, ut aiunt, tecto beneficia reddunt incompatibilia.

X. Unde legitimi beneficiorum collatores 1, poterunt uni, eidemque bina conferre beneficia simplicia, quum primum ad vitam sustentandam congruum non fuerit.

2. Habenti dignitatem, canonicatum, vel curam animarum, cuius redditus sint tenues, non vetantur alterum quantumvis pingue beneficium conferre, uti contra habenti simplex beneficium, cuius etiam exigui sint proventus, alterum curatum, vel cum residentiae fibula recte conferetur. At vero tertium consequi beneficium sine apostolica dispensatione licet nemini. Quamvis ex nonnullorum canonistarum sententia, et ex usu, moribusque Regni neapolitani poterit quis plura retinere beneficia, quae simul collata congrua duntaxat vitae praebeant alimenta.

3. Poterit quis duo beneficia, ut aiunt, difformia sub eodem tecto, quae tamen sint exigua, ordinaria auctoritate simul retinere (1).

4. Tridentinam sanctionem beneficia iurispatronatus simplicia non adficere censet Vivianus (2).

5. Neque demum ad pensiones ecclesiasticas tridentinum decretum spectare censuit sacra Congregatio apud Gallemart. *ibidem lit.* B.

XI. Merito hic quaeri potest, quaenam proventuum quantitas beneficium congruae alimoniae, sumptibusque sufficiens constituat? Porro tridentini Patres id non sanxere. Quum enim pro varia hominum conditione varia, qui cuique satis sint, redditum ratio statuenda sit, hinc boni cuiusque viri arbitrio illam definiendam reliquere. Quare ex universali consuetudine iam recepta nemini bina beneficia simplicia habenti in foro movetur quaestio, licet eorumdem singula congruo victui satis superque sint. Quinimmo huiusmodi consuetudine tridentinae sanctioni, in foro externo certe, derogatum videtur ea parte, qua vetat unum sufficiens beneficium habenti alterum etiam simplex conferri.

XII. Cavendum tamen hac in re, ne quis nimium suae voluptati indulgeat potius, quam indigentiae consulat: tum bonorum ecclesiasticorum indolem, de qua supra, ac mala, quae beneficiorum pluralitas parit, serio perpendat. Verum de hoc capiite opportunius *tit. ult. huius libri.*

TITULUS XX.

DE UNIONE BENEFICIORUM

I. Beneficiorum unio, quam recte definies, *plurium Ecclesiarum, vel beneficiorum a legitimo superiore iusta ex causa facta coniunctio*, multifariam dividitur. Ac. 1, in temporaneam, seu personalem, et perpetuam, seu realem. Priorem, qua veluti pallio ad pluralitatem beneficiorum tegendam abutebantur, reiecit prorsus synodus tridentina (3). Altera, ubi pu-

(1) Sacr. Congreg. apud Fagnanum ad caput *litteras de concess. praebendae*; et Gallemart. *ad dictum* cap. XVII. syn. trident. in remiss. *littera* 1. — (2) In prax. iurisp. p. II. lib. VI. cap. I. n. 20, et 27. et Gagliardus *de beneficiis* cap. XXII. n. 5.

(3) Sess. IV. ref. cap. IV.

blica illam postulet utilitas, vel necessitas, sola legibus ecclesiasticis probatur.

II. Perpetua autem isthaec unio, vel 1, socialis est, et aeque principalis, vel 2, servilis, et accessoria, quaeque subiectiva etiam dicitur, vel demum 3, huiusmodi, ut beneficium, quod alteri adnectitur, omnino supprimatur. Priori modo fit unio, quum aut duo beneficia ita coniungantur, ut separata ac distincta, et quod ad iura, et quod ad cetera omnino remaneant, aeque ac antea erant, et tantummodo uni administranda beneficiario tradantur, cuiusmodi unionis ratio in Ecclesiis cathedralibus plerumque locum habet, aut duae Ecclesiae, vel dignitates non modo in uno coalescant beneficiario, sed unius etiam Ecclesiae Canonici, clericique inferiores, alterius etiam Ecclesiae Canonici, clericique evadant: et tum sane non modo sua quaeque iura, et privilegia retinebit, verum et altera alterius optima quaeque privilegia nanciscetur (1).

III. Altero modo fit unio, quum una Ecclesia, dignitas, vel beneficium ita alteri coniungatur, ut eidem subiiciatur, atque adeo emissa propria dignitate, et nomine in alterius naturam transeat, et illius dignitatem, iura, et privilegia, tanquam accessoria, et filialis participet (2).

IV. Tertia demum beneficia adnectendi ratio, uti observat Espenius (3) potius beneficii extinctio, et suppressio dicenda est, quam unio, quum beneficium, quod adnectitur, omnino supprimatur. Exemplo sit, quum canonicatus in dignitatem erigatur, ubi quidem titulus canonicalis per suppressionem omnino extinguitur.

V. Beneficiorum unionem nonnisi legitima ex caussa fieri fas est, nimirum quum vel evidens necessitas, vel publica utilitas illam exigat. Praecipua necessitatis caussa est Ecclesiarum paupertas, scilicet ubi coniunctae congruos Pastori tribuant reditus, quos disiunctae suppeditare nequibant (4). Concilium tridentinum Episcopis dat facultatem beneficia curata quaecumque propter eorum paupertatem adnectendi, licet generaliter, vel specialiter reservata, aut quomodocumque adfecta sint (5).

VI. Utilitatis caussae sunt 1. quum imminuto fidelium numero locorum vicinitas unionem publico bono postulare videatur. S. Gregorius m. cumanam, et misenatem Ecclesias in unam coniungens, unique Benenato regendas tradens, hanc adfert rationem: *quoniam nec longo itineris spatio a se seiunctae sunt, nec (peccatis facientibus) tanta populi multitudo est, ut singulos, sicut olim, habere debeant sacerdotes* (6) Porro seculis temporibus adeo in illa regione populus decrevit, ut ipsa etiam Ecclesia cumana, misenati prorsus extincta, superstes iam sola, saeculo XIII. ineunte Ecclesiae neapolitanae, cuius erat suffraganea, adnexa sit, parochia ibi erecta, et sacris λειψανοις Sanctorum Maximi Levitae cumani, Iulianae, et pueruli trimestris, quae in Cathedrali cumana Ecclesia adservabantur, Neapolim translatis (7).

VII. Altera utilitatis caussa est, quum commodius, et utilius per unum,

(1) Fagnanus ad cap. *novit ne sede vacante*. — (2) Cap. III. de statu monachorum can. XLVIII. caus 16. q. 1.—(3) Part. II. tit. XXIX. cap. I. n 9.—(4) Conc. tolet. XVI. can. V. Gregorius M. lib. II. ep. 35. ad Episcop. veliternum: — (5) Sess. XXI. de ref. cap. 5.

(6) Indicata epist. XXXV —(7) Chiocc. car. *de Episcopis neap. in Anselmo* an. 1292, et ibid. de Episc. *Eccles. cumanae* neap. unitae.

quam per plures pastores pluribus Ecclesiis servitium, et obsequium praestetur (1). His, aliisque gravioribus deficientibus caussis Ecclesiarum unio sacris canonibus omnino vetita est, quam scilicet, uti loquitur Gelasius P. epistola ad Episcopos Lucaniae (2), *nec ulla necessitas, nec ecclesiastica prorsus extorquet utilitas.* Unde beneficiorum unio ex communi canonistarum sententia, tanquam odiosa ut aiunt, strictam requirit interpretationem (3).

VIII. Quamobrem in beneficiis adnectendis hi potissimum servandi canones. 1, gravior requiritur pro beneficiis curatis coniungendis caussa, quam pro simplicibus. Hinc synodus tridentina quum Episcopis dat facultatem seminariis pro congrua eorundem dotatione, tum et cathedralibus, collegiatisque insignibus ad decentem Canonicorum statum aliquot beneficia adnectendi, nonnisi simplicium meminit (4). Hic quoque παρεργως *obiter* observandum, ad seminarii alicuius erectionem aliquando taxationem imponi in omnibus ecclesiasticis dioeceseos redditibus, et beneficiis, quae liberae sint Episcopi, Sedisve Apostolicae collationis; idque Regni mores patiuntur. At eandem taxationem laicalibus locis piis, extauritis, et confraternitatibus, nonnisi Regis mandato, constituere ius est. Id. praestitit Carolus Borbonius olim Rex noster ecclesiasticae disciplinae studiosissimus in seminarii Isclani erectione (5).

2. Cathedrales tenuioris redditus Ecclesias synodus provincialis haud vetatur coniungere: at re prius cum R. Pontifice communicata, eiusdemque accedente consensu (6). Semper enim Sedis Apostolicae ius habitum est tum novas erigere, tum veteres unire, vel sciungere cathedrales Ecclesias. Hinc Benedictus XIV. Carolo Borbonio Utriusque Siciliae Rege postulante, collegiatam Terlitii Ecclesiam iu cathedralem erexit (7). Tum in concilio romano an. 1725. Benedictus XIII. iudicibus querelarum ea in synodo constitutis discutiendas mandavit petitiones Cleri, populique sangermanensis postulantium erectionem, vel restitutionem episcopatus in eadem civitate. Porro ipse Pontifex ex decreto eorundem iudicum die 18. Maii 1725. sanxit querelas contra abbatem casinensem, eiusque iurisdictionem quasi episcopalem reiiciendas fore, perpetuumque silentium expetitae Episcopatus erectioni, seu restitutioni imponendum (8). Adhaec plures Regni neapolitani episcopatus iamdudum a Romanis Pontificibus coniuncti sunt: nimirum abellinensis cum frequentino, acheruntinus cum materano, anglonensis cum tursiano, aquinatis cum pontiscurvi, atriensis cum pennensi. bisacianus cum S. Angeli Lombardorum, campanus cum satrianensi, et cancianensi, caputaquensis cum agropolitano, pestano, et velino, cariatensis cum gerentiano, catacensis cum tabernensi, melphitanus cum rapollensi, vulturariensis cum montiscorvini, ortonensis cum camplensi, scalensis cum ravellensi, squillacensis cum stilano. Et in novissimo Concordato an. 1741.

(1) Clement. I. §. 6. *de statu monachorum.*—(2) Can. XXIII. caus. 1, q. VII.
(3) Trid. sess. VII. de ref. cap. 6.
(4) Sess. XXIII. de ref. cap. 18., et sess. XXIV. de ref. cap. 13.—(5) Gagliardus *de beneficiis.* cap. IV. n. XV.—(6) Trid. dicto cap. XIII. — (7) Const. *Unigenitus* XIV. bullar. tom. III. — (8) Const. *quod inscrutabilis* prid. non aug. 1725. in append. ipsius conc. rom. n. VIII.

inter Sedem Apostolicam, et utriusque Siciliae Regem inito, actum quoque est tum de coniungendis tenuioribus Regni episcopatibus, tum de inferioribus Ecclesiis, Abbatiisque *nullius* cathedralibus vicinioribus subiectiva unione adnectendis, at hoc negotium, quippe quod longa, maturaque discussione indigeret, ad opportuniora tempora dilatum infectum adhuc manet (1). Demum Innocentius III. Ecclesias glastoniensem, et bathoniensem primum a Coelestino V. coniunctas, ad Regis Angliae petitionem iterum seiunxit (2).

3. Beneficia curata monasteriis, abbatiis, dignitatibus, praebendis, hospitalibus, aliisque collegiis uniri *ibidem* synodus tridentina vetuit. Et sane haud raro per istam unionem Ecclesiae parochiales propriis destituuntur pastoribus non sine gravi fidelis populi pernicie (3).

4. Unio canonicatus cum dignitate, aut beneficio curato facilius admittenda, si in eadem Ecclesia eiusmodi beneficia constituta sint, quam si in diversis Ecclesiis: et quidem ex eadem ratione, scilicet quod levius ex illa, quam ex hac unione instet populo fideli detrimentum (4).

5. Diversam dioeceseon beneficia ne uniantur (5).

6. Neque beneficium unius Regni alterius Regni beneficio adnectatur (6).

7. Demum beneficia libera Ecclesiis iurispatronatus subiectis coniungere interdictum est, ne et ipsa sub iure patronatus constituantur (7).

IX. In beneficiorum perficiendis unionibus eos omnes, quorum interest, advocari oportet (8). Hinc 1, Episcopus audiendus, ubi de coniungendis suae Dioeceseos beneficiis agatur.

2. Tum speciali *dica*, sive *citatione*, uti aiunt, advocandi, audiendique sunt abbates, praelatique inferiores, ac patroni aeque ecclesiastici, ac laici, quum de beneficiis agatur ab Episcopis exemptis, et ad eorum collationem spectantibus: quinimmo eorundem consensus omnino exquirendus.

3. Audiendi etiam rectores, praesertim curati, aliique beneficiorum uniendorum possessores: at horum dissensus unionem post eorum obitum perficiendam irritam non reddet.

4. Exquirendus demum est consensus Capituli Cathedralis Ecclesiae, sine cuius consilio graviora generatim negotia Episcopus vetatur perficere. Verum Capituli consensus solet aliunde a Sede Apostolica, vel a Congregatione concilii suppleri (9). Videsis Carolum Gagliardum de beneficiis (10).

X. Potestatem quod spectat, cuius auctoritate beneficia coniungi possunt 1, Ecclesias Cathedrales unire, uti modo adnotavimus, solius Apostolicae Sedis ius est. 2, Sic quoque *Episcopi est Ecclesiarum suae dioeceseos unio* (11). Abbates igitur, aliique inferiores Praelati suae collationis beneficia unire nequeunt, nisi ab longaeva praescriptione hoc iure fruantur. 3, Uniones beneficiorum perficere Vicario generali sine speciali mandato interdictum: haud vero Capitulo episcopali sede vacante, nisi quum iura epi-

(1) Videsis nostra additamenta de nova dioecesim citra Pharum circumscriptione, tom. II. lib. I. pag. 44.—(2) Cap. I. *Ne Sede vacante aliquid innovetur*.
(3) Espenius part. II. tit. XXIX. n. 12.—(4) Espenius ibid. n. 17.—(5) Trid. sess. XIV. de ref. cap. 9.—(7) Bebuffus in prax. tit. *de unionibus* n. 28.—(6) Trid. sess. XXV. cap. 9.—(8) Trid. sess. VII. de ref. cap. 6.
(9) Cap. XX. *de rescriptis*.—(10) Cap. IV. n. 34.—(11) Coelestinus in cap. VIII. *de excessibus Praelatorum*.

scopalia laedantur (1): quippe quod ea potestas ad iurisdictionem, quae ad Capitulum mortuo Episcopo transfertur, pertineat. 4, Beneficia reservata, et Sedi Apostolicae adfecta vetatur Episcopus unire, peculiaribus quibusdam casibus exceptis: uti in coniungendis Ecclesiis curatis propter earum paupertatem, et in adnectendis beneficiis simplicibus, vel seminariis, vel cathedralibus, aliisque collegiatis insignibus. 5, Beneficia exempta, et Sedi Apostolicae immediate subiecta unire non licet Episcopos (2), Demum caveat Episcopus, ne beneficia uniat mensae episcopali propter lucri suspicionem, qua omnino immunis sit oportet (3).

XI. Postremo ius neapolitanum quod spectat, iuvat adire saepe laudatum virum cl. Carolum Gagliardum *ibidem* n. 26; et in institutionibus *tit. VI. n.* 31.

XII. Siculi beneficiorum adnexio odiosa, ita eorundem seiunctio favorabilis in iure nostro reputatur. Quamobrem cessante legitima unionis beneficiorum caussa, nihil impedimenti est, cur non statim disiunguntur, et quidem eorundem, a quibus unita fuerant, auctoritate, iisque, quorum interest, advocatis, et auditis haud secus, ac in unione servari oportet.

TITULUS XXI.

DE COMMENDIS

I. Primo commenda antiquitus aliud non erat, quam custodia, seu administratio vacantis Ecclesiae quoad titulatum nancisceretur: *commendo tibi fili, ait Ambrosius Ecclesiam, quae est ad forum Cornelii . . . donec ei ordinetur Episcopus* (4). Tum Pelagius I., et Gregorius M. commendatarios constituerunt Ecclesiarum vacantium catanensis, panormitanae, aprutinae, et capuanae Episcopos messanensem, beneventanum, firmanum, et nolanum (5).

II. Non modo episcopatus, verum et parochiae, ac monasteria iam inde ab saeculo VI. in commendam dari consueverunt. Concilium aurelianense III. an. 540. *can. XVIII.* de iis loquitur clericis, *qui monasteria, dioeceses, vel basilicas in quibuscunque locis positas sive in territoriis, sive in ipsis civitatibus suscipiunt ordinandas.* Tum Gregorius M. Epistolis ad Ioannem, et Marinianum ravennates Episcopos, graviter de clericis quibusdam conqueritur, quod monasteria quaedam occasione quasi regiminis veluti in proprietate possiderent. Igitur tunc temporis commendae nonnisi ad tempus fiebant: adhaec Commendatario e proventu Ecclesiae commendatae nonnisi necessaria, et modicum laborum praemium accipere ius erat, reliquis fructibus Antistiti eligendo servandis (6).

III. Eadem poene aetate Gothis, et Langobardis, atque inde Saracenis, aliisque exteris gentibus Italiam vastantibus, saepe contigebat, ut Episcopi e suis sedibus eiicerentur, quibus Romani Pontifices, vel alias cathedrales Ecclesias vacantes, vel etiam abbatias in perpetuam dabant commendam,

(1) Videsis lib. I. tit. XXV. — (2) Clement. I. §. 7. *de statu monac.*
(3) Can. XXXIII, et XXXIV. caus. 16. q. VII.
(4) Epist. IV. — (5) Can. XVI. XVII. XIII. XIX. dist. 61.
(6) Greg. M. epist. lib. IV. epist. 35.

ut inde viverent, ac simul potestatem exercerent episcopalem. S. Gregorius M. Agnellum fundorum Episcopum, urbe ab hostibus vastata, constituit tarracinensis Ecclesiae Episcopum cardinalem: *ita ut*, ait, *fundensis Ecclesiae Episcopus esse non desinas, nec curam, gubernationemque eius praetereas* (1). Vides hic duplicem Ecclesiam uni Episcopo commissam, alteram in commendam, alteram vero in titulum. Porro tituli, et commendae vocabula explicatius distinguit Leo IV. (2). Habes igitur commendarum usum satis antiquum, haud improbandum, immo et valde utilem, quum episcopatus, parochiae, monasteria Episcopis commendarentur, aliisque sacratis personis, eoque ordine insignitis, quem beneficium requirebat.

IV. Veruntamen IX. saeculo perversus usus invaluit, ut beneficia, ac praesertim monasteria laicis etiam, ac saepe militibus profunderentur. Huiusmodi abusio in Galliis potissimum Regum francorum aevo grassata est (3). Romanorum autem Pontificum opera, atque etiam Episcoporum in synodis per ea tempora habitis laicales commendae prorsus abolitae sunt, qua in re etiam enituit Hugonis Capeti pietas, de quo legimus (4): *Ecclesiis, monasteriisque ius electionis, et redditus restituisse, tum et a proceribus restitui curasse, quam ob rem Ecclesiae S. Amator adpellatus fuit.* Adhuc tamen consueverunt Episcopi, vel de facto, vel R. Pontificis accedente consensu, plures sibi commendatas retinere Ecclesias, vel monasteria: at vero hanc purioris ecclesiasticae disciplinae remissionem, quae identidem sensim irrepebat, nimiumque brevi invalescebat, plures R. Pontifices evellere conati sunt, ac praesertim Clemens V. (5). Porro nova, eademque gravis exorta est caussa, cur commendae non permittendae modo, verum et probandae viderentur, scilicet terra sancta iterum ab infidelibus occupata, opportunum visum est, Episcopis inde eiectis, alios in Italia, alibique episcopatus, e quibus sustentarentur, commendare, qua caussa quidem urgente res improbanda non erat, licet id nec diutius perduravit.

V. Porro alia deinceps satis speciosa commendas clargiendi caussa excogitata est, reformandi scilicet monasticam disciplinam in pluribus aeque monachorum, ac canonicorum regularium monasteriis dilapsam. Revera per ea tempora monachi canonicique monasticae, vitaeque communis obliti laicorum more vivebant, quin et laicis gravi erant offensioni. Abbates, et Praepositi comitum potius, et Baronum vitam agentes, bona monasterii dilapidabant, pauperumque patrimonium ad luxum fovendum, familiaresque ditandos profundebant. Hanc nacti occasionem nonnulli praelati monasteria illa sibi commendanda postularunt ad eorumdem reformationem, et instaurationem. At quid? num his in commendam, Regibus ipsis adsentientibus, elargitis, vel Dei cultus restitutus, vel peregrinis hospitia aperta, vel pauperum aegestati provisum? vix, aut ne vix quidem: id quod eorum, quibus id exequendi munus demandatum erat, vitio tribuas. Profecto, et monasteriorum aedificia in ruinam prona, disciplina superioris absentia quam laxissima, cellulae vel raro habitatae, vel habitatore destitutae, quam

(1) Lib. II. epist. 13. — (2) Can: III. caus. 3. q. 1.
(3) Thomass. part. III. lib. II. cap. XLIII., et XLIV.—(4) In fragm. hist. aquitanicae apud Duchesnium tom. IV. *pag.* 80. — (5) Extravag. II. de *praebendis*.

evidenter significabant reformationis studium pulcherrimum fuisse praetextum, quo bonis monasteriorum pro lubito uti fruique possent. Haec, aliaque huiusmodi mala ex commendis fluentia recenset Clemens V. in modo laudata constitutione, qua omnes et quascunque commendas revocavit. Porro neque hac constitutione tanto illi malo mederi potuit; quinimmo vigente postea schismate Avenionensi tam altas radices egit, ut nec synodorum decretis, nec apostolicis constitutionibus, nec Concordatis R. Pontifices inter, Regesque initis evelli potuerit.

VI. Tandem synodus tridentina R. Pontificum pietati, ac prudentiae committit, ut monasteriis iam commendatis (1), *quae suos conventus habent, Regulares personae eiusdem ordinis expresse professae, et quae gregi praeire, et praeesse possint, praeficiantur. Quae vero in posterum vacabunt, nonnisi regularibus spectatae virtutis conferantur. Quoad ea vero, quae sunt Capita, ac Primates Ordinum* eadem tridentina synodus decrevit: ut *teneantur illi, qui in praesenti ea in commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successore provvisum, intra sex menses religionem illorum ordinum proprium sollemniter profiteri, aut iis cedere: alias commendae praedictae ipso iure vacare censeantur*. Saluberrima haec tridentina sanctio haud omni ex parte effectum habuit.

VII. Et quidem monasteria (iis exceptis, quae capita sunt Ordinum, ut in regno neapolitano montis casini, et montis Virginis (quae suos habent conventus, olim commendata, adhuc clericis saecularibus in commendam traduntur perpetuam, onere duntaxat adiecto congruam pro mensa conventuali portionem segregandi monachis adtribuendam. Quae vero monachis destituta sunt, uti perplura in Regno neapolitano praesertim benedictinorum, clericis saecularibus in commendam perpetuam a R. Pontificibus conceduntur cum libera proventuum administratione, haud secus ac essent veri beneficiarii, et titulares.

VIII. Commendatarii igitur, tanquam veri beneficiarii I, liberum habent proventuum administrationem. II. dant dimissorias ad Ordines, aeque ac ordinarii monasteriorum superiores. III. ad beneficia praesentant, tum et conferunt, atque eligunt. IV, in Gallia ad sacros Ordines intra annum suscipiendos coguntur: adhaec et in Italia, alibique, ubi commendis animarum cura vel monachorum, vel saecularium adnexa sit, et ad sacros ordines suscipiendos, et ad residentiam adiguntur. V, commenda non secus ac verum beneficium non potest cum alio beneficio permutari. VI. commendis, aeque ac beneficiis pensiones imponuntur. VII. commendatarius monasterii perpetuus, licet regulam Ordinis, quae in eo monasterio viget, non profiteatur, habet tamen in monachos eandem potestatem, quam haberet, si ex vero titulo beneficium possideret. VIII. Demum in regno neapolitano sicuti beneficia, ita et commendae nonnisi regnicolis conferendae. Igitur inter commendam, et titulum, sive beneficium *effectu* nihil poene interest.

IX. Haud tamen inde inferas beneficia regularia commendata omnem prorsus primigeniam naturam exuere. Adhuc enim hodierno iure commendae nonnisi a R. Pontifice, et quidem *dispensative*, ut aiunt, conceduntur, et provvisio per commendam dicitur *dispensatoria*, et *extraordinaria*.

(1) Sess. XXV. de *regularibus* cap. 21.

Unde licet Episcopi beneficia etiam reservata aliquando conferant, beneficia tamen commendata nunquam conferre possunt. Quum enim primigenia eorundem natura inspecta, regularia sint, profecto nova quaedam Pontificia dispensatio, ut clerico saeculari iterum commendari possint requiritur, licet alioquin iam inde pluribus abhinc saeculis clericis saecularibus in commendam perpetuam conferri consueverint. Plures quidem canones praescribunt beneficia regularia nonnisi regularibus, et saecularia saecularibus conferenda, verum huic canonum laesioni opportune medetur dispensatio Pontificia. Demum beneficia monasterio commendato adnexa perpetua non sunt, sed ad nutum mobilia ob insitam regularibus beneficiis mobilem naturam. Eiusmodi sunt beneficia, quae ab Abbate commendatario praeceptoriae generalis neapolitanae S. Antonii viennensis hoc in regno passim conferuntur clericis etiam saecularibus, non in titulum perpetuum, sed administrando ad beneplacitum ipsiusmet abbatis conferentis, exceptis tamen curatis, et electivis.

X. Haec abbatia Ioannis Baptistae Victorio primum a Paullo V. commendata fuit, dein et ab Urbano VIII. Cardinali Magalotto, ablato etiam monasterio viennensi omni iure in eandem: cui tamen pro sustentando procuratore generali in Curia R. praeceptoria s. Antonii civitatis sarnensis adsignata est. Tum qui secuti sunt R. Pontifices eam deinceps neapolitanis Archiepiscopis commendarunt cum potestate ordinaria conferendi omnia beneficia ubilibet intra regnum consistentia sub titulo s. Antonii, cum libera; et simplicia, tum de iure patronatus, et curata (1).

TITULUS XXII.

DE PENSIONIBUS

I. Pensionis vocabulum civili romanorum iure praestationem potissimum significat, solutionemve certis temporibus, et portionibus divisam (2), ibidemque *primam*, *sequentem* et *tertiam pensionem* observare licet. At iure canonico *perceptionem* denotat *portionis fructuum alieni beneficii legitima auctoritate, legitimaque de caussa alicui clerico concessae.*

II. Antiquissima pensionum exempla habemus in concilio chalcedonensi, ubi *act. X.* Domno primum Episcopo antiocheno, dein in synodo deposito, certi sumptus ex reditibus Ecclesiae antiochenae a Maximo in eius locum ordinato alimoniae caussa quotannis solvendi adsignantur. Tum *act. XII.* Bassiano, et Stephano de sede ephesina contendentibus exclusis, ducenti solidi aurei quotannis ex episcopatu pendendi constituuntur. Demum *Act. XIV.* Athanasius Ecclesiae perrhenorum restituitur, reiecto sabiniano, qui eandem invaserat; at simul decernitur, ut sabinianus *pascatur secundum facultatem s. Perrhenorum Ecclesiae.*

III. Profecto in his, aliisque veteribus pensionum exemplis, quorum haud pauca apud s. Gregorium M., aliosque VII., et VIII. saeculi scriptores occurrunt, iuvat observare 1, pensiones fuisse adsignatas alendae pa-

(1) Clemens VII. const. II. §. 19: et sacra Cong. apud Rigantium reg. IV. §. 4. n. 20, et 57. — (2) L. III. §. 13. D. *de statu lib.*

cis, et concordiae caussa, vel ut eiectus de Ecclesia haberet, unde vitam transigeret.

2. Pensionem pro eo, ac necessaria pensionario alimenta, et Ecclesiae, cui imponebatur, facultates ferebant, statui consuevisse.

3. Pensioni aestimandae necessarii fuisse requisitam Papae, vel synodi auctoritatem, et adsensum. Pensionum usus hisce conseptus limitibus haud improbandus.

IV. Iam vero secutis temporibus, et praesertim quum schisma Avenionense vigeret, res a pristino statu mirum quantum degeneravit. Nam 1, inde Episcopi occasionem nacti sunt uuius praebendae titulum duobus simul largiendi, qui illam inter se partirentur: at beneficiorum sectio legibus ecclesiasticis nunquam non vetita.

2. Saepe ea fructuum portio beneficio subtracta, et pensionario adsignata est, ut titulato vix reliquum esset, unde moderate, et frugaliter viveret, quum eodem tempore, qui otio torpebant, divitiis adfluerent.

3. Qua de re plerunque parvi pretii homines ad regendas Ecclesias adsumebantur, qui neque doctrina, neque auctoritate satis suo muneri facere valerent.

4. Interdum beneficium quis suum alteri resignabat, et fructus retinebat, nulla iusta, nulla necessaria caussa id poscente, plane contra Apostoli praeceptum, quo iubetur, ut qui Altari servit, de Altari vivat.

5. Nonnunquam fieri solebat, ut parochiae, aliaque beneficia vicariis locarentur ad annuum censum, etiam ad tempus, puta ad septennium: unde oriebatur, ut competitores certatim convolarent, qui censum sponderent maiorem.

6. Vetita beneficiorum pluralitas pensionum pallio tecta: ad eam enim dissimulandam beneficia resignabantur, at pensionibus retentis, quae plerumque fructuum modum superabant, *ita ut nequissimi et ignavissimi conductores cogerentur saepissime beneficio, et officio divino sese suffurari, et aufugere, ut quaestu quopiam alio etiam saeculari vitam tolerarent* (1).

7. Demum quinam sacra suppellex, pro eo ac decet, parari, vel refici, aut ornari Ecclesiae, vel sartae tectae haberi poterant? quinam hospites, aut pauperes excipi, ubi praecipui redditus pensionario reservandi erant? (2).

V. Porro haec, aliaque pravo pensionum usu diffluentia mala primum a IX. viris consultis a Paulo III. pro instauranda Ecclesiae disciplina in Responsione ad eundem Pontificem exposita, tum deinde in synodo tridentina a nonnullis Episcopis, praecipue vero ab Regis Galliae oratoribus refricata, in caussa fuere, cur in eadem synodo de pensionum usu prorsus abolendo ageretur. Verumtamen licet omnino abolitus non sit, certis tamen quibusdam limitibus est circumscriptus. Namque vetitum est (3) *cathedrales Ecclesias, quae mille, aut parochias, quae centum ducatorum summam non excedunt, pensionibus, aut fructuum reservationibus gravare.* Tum pensiones ad primigeniam sui institutionem redactae sunt, scilicet, ut per eas, tanquam per quasdam eleemosynas, pauperibus clericis subveniretur. I-

(1) Monachus sandionysianus lib. I. cap. 2. — (2) Videsis Thomass. de vet. et nov. Ecc. discip. part. III. lib. II. cap. 31. — (3) Sess. XXIV. de ref. cap. 13.

stud licet in decreto synodico expressum non sit, constat tamen, tum ex responsione Pii IV. ad Regem Galliarum, tum eiusdem concilii actis apud Pallavicinum (1). Neque simile vero est aliam fuisse de pensionibus synodi mentem, quam quae a IX. viris Paullo III. exhibita fuerat, sacris canonibus, et redditüum ecclesiasticorum indoli conformis

VI. Iure hodierno pensiones nonnisi quatuor de caussis imponi solent 1, scilicet, quum clerico morbo, vel senio laboranti, ac beneficium dimittenti, alimentorum nomine reservetur.

2. Si clerico indigenti, Ecclesiae satis utili, ut inde honestae vivere queat, concedatur, quae tamen titulato oneri non sit. Hae duae priores pensionum imponendarum caussae, quae ad veterem puriorемque Ecclesiae disciplinam satis accedunt, minime improbandae, dum iuxta leges in synodo chalcedonensi servatas constituantur.

3. Quum ad dirimêndas lites, ex duobus de beneficio contêndentibus, uni beneficium in titulum, alteri pensio tribuatur (2).

4. Demum, quum in caussa permutationis pensio retineatur ad compensandam summam fructuum dimissi beneficii cum fructibus tenuioribus beneficii commutati (3).

VII. Porro in pensionibus imponendis legitima omnino requiritur caussa: id quod tum ex pluribus, tum vel maxime ex eo evincitur, quod pensionis concessio, tamquam iuri communi adversa, dispensationis genus sit. Et sane in libris decretalium titulus prostat in hanc sententiam inscriptus: *ut beneficia ecclesiastica sine deminutione conferantur*. Qua de re pensionario plura cavenda sunt; praesertim ubi de tertia, et quarta agatur pensionis imponendae caussa. Et 1, quidem, si de pensione bono pacis imponenda sermo sit, omnino cavendum est, ne ex pactione partium constituatur, id quod simoniam saperet (4). Et ubi haec pensionis species probari videtur, diserte scribit Innocentius III.: *nisi essent viri providi, et honesti, tam qui ordinationem fecerunt, quam illi, circa quos facta est ordinatio, illam valde suspectam propter exempli perniciem haberemus* (5). Attamen in eadem decretali narratur delegatos eiusdem Pontificis iudices expresse fassos fuisse *se pro bono pacis, et utilitatis hoc ordinasse, idque post concertationem diutinam, neque ex pactione partium, sed ex iussione iudicum* provisionem illam fuisse exhibitam.

2. In caussis etiam resignationis, et permutationis quam cautissime incedendum est: neque enim hae legitimae constituendae pensionis caussae sunt, nisi necessitatis, aut utilitatis Ecclesiae intuitu id fiat, omnisque lucri, alteriusve commodi temporalis praetextus praecidendus est (6). Non desunt enim, qui beneficium dimittunt, pensione retenta, vel ut ab muneris ecclesiastici onere beneficio adnexo se eximant, ipsius tamen beneficii redditus participantes, vel ut maiorem praebendam obtineant: *quod quidem*, ait Urbanus III. *honestati est contrarium*, *et simoniacam procul dubio continet pravitatem* (7).

(1) Lib. XVIII. Cap. 6. — (2) Cap. V. de transact. cap. XXI. *de praebendis*, et *dignitatibus*. — (3) Cap. VI. *de rerum permutatione*.

(4) Cap. VII. *de transact.* — (5) Ibidem cap. XXI. — (6) Syn. oxoniensis can. III. — (7) In cap. V. *rerum permutatione*.

3. Illud praeterea animo revolvet pensionarius, num scilicet pensionem instar eleemosynae accipiat; an aliquid inde Ecclesiae titulatae detrimentum adferatur, an demum pauperes ex beneficii redditibus aleudi fame pereant, dum ipse nimis laute secum agit? Paucis primigeniam bonorum ecclesiasticorum indolem mente recogitet: scilicet *vota esse fidelium*, *patrimonia pauperum*, *animarum redemptionem* (1). Enimvero fideles suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam, ut his et milites Christi alerentur, et Ecclesiae exornarentur, pauperes recrearentur, et captivi pro temporum opportunitate redimerentur.

4. Neque ob Papae hac in re dispensationem immunis erit a culpa pensionarius, quum iusta defuerit caussa, tum quia, ut docet s. Thomas (2): *quamvis res Ecclesiae sint eius, ut principalis dispensatoris, non tamen sunt eius, ut domini, et possessoris*. Quare, uti docet Cardinalis Toletus (3), *qui pensiones retinent, etiam cum dispensatione, si non adest caussa legitima, securi non sunt, nec excusantur, quia Papa dedit, et ipsorum est considerare, quomodo dederit*. Tum etiam, quod fieri potest, ut pensio iure a superiore concedatur, quam pensionarius iniuste accipit.

5. Demum in pensionario, aeque ac in beneficiario clericatus requiritur; atque adeo pensionarius tenetur quotidie officium B. M. V. recitare (4). Indeque colligunt canonistae pensionem, aeque ac beneficium per contractum matrimonialem extingui, idque usu servari tradit Gigas (5).

VIII. Demum auctoritatem quod spectat, iure hodierno pensiones nonnisi a R. Pontifice imponi posse passim docent canonistae. At non desunt, qui etiam Episcopis, saltem certis in speciebus, eandem vindicant potestatem, quorum sententia usu recepta est. At vero distinguendum inter pensionem a Romano Pontifice, et pensionem ab Episcopo impositam. Illa enim ipsi beneficio, sive beneficii proventibus imponitur, unde videtur quaedam beneficii sectio legibus ecclesiasticis vetita: at vero haec nonnisi beneficiarium adficit, cuius morte extinguitur, nec in eius successorem transfertur (6).

IX. Postremo ex parte ipsius pensionis plura servanda sunt. 1, Iis tantummodo Ecclesiis cathedralibus, et parochialibus pensiones imponi possunt, quorum redditus, detracta pensione, summam ducatorum mille, si cathedrales, et summam ducatorum centum, si parochiales sint, conficiant (7). Quamobrem Curia R. in signaturis pensionem beneficiis parochialibus impositarum ex stylo hanc adnectit clausulam: *dummodo ex fructibus dictae Ecclesiae centum ducati liberi pro illius rectore pro tempore existente annuatim remaneant*.

2. Summam ducatorum centum ex fructibus certis computandam, haud vero incertis: naturam enim alimentorum sapiunt, *nec venter debet pendere ab incerto* (8).

(1) Syn. Vernensis can. XII. — (2) II. II. Q. C. art. I. ad VII. — (3) Lib. V. *de instruct. sacerd* cap. 83. — (4) Pius V. in const. *quum sacrosanctae* in bull. rom. n. 92. — (5) Lib. *de pensionibus* quaest. 54.

(6) Garzias *de beneficiis* part. I. cap. V. §. 2: Andreas vallensis *de beneficiis* lib. IV. tit. II. — (7) Syn. trid. sess. XXIV. de ref. cap. 13. — (8) Pirrhus Conradus lib. V. cap. I.

3. Beneficiis Iuris patronatus laicalis pensionis onus imponi nequit, nisi patroni accedat consensus, quod de beneficiis Iurispatronatus mixti etiam intelligendum esse consentiunt canonistae post Glossam (1).

4. Licet olim pensionis quantitas definita non fuerit, tamen usu hodierno ad tertiam proventuum beneficii partem restricta videtur: verum aliquando in beneficiis simplicibus ex stylo R. Curiae ad medietatem usque etiam admittitur: quod tamen ita intelligendum, ut beneficiarius congrua portione non fraudetur.

5. Demum pensionem certis tantummodo beneficii reditibus imponendam, haud vero distributionibus, docent canonistae, et stylus Curiae R. observat, nisi aliter ex gratia sanciatur: quo casu expresse in signatura additur clausula, *etiamsi in solis distributionibus* etc. (2)

TITULUS XXIII.

DE COLLATIONE

I. Triplex potissimum iure canonico agnoscitur via, quae beneficium quis consequi potest; nimirum *collatio*, *institutio*, *electio*. De Electione satis egimus (3): de Institutione mox titulo sequenti sermo redibit: de collatione sic proprie dicta hoc titulo dicere adgredimur.

II. Aeque collationis, ac Institutionis vocabula veteribus ignota. Quum enim antiquitus nemo ordinari consueverit, qui simul et alicui Ecclesiae non addiceretur, et ius non adquireret ex eiusdem Ecclesiae redditibus vitam transigendi: hinc satis erat ordinationis vocabulum, quo uno et Ordinis collatio, et ministerii addictio, et beneficii, sive iuris redditur ecclesiasticos percipiendi traditio significaretur. Quum vero ab ordinatione beneficii traditio seiuncta est, *collationis* nomen usurpari coepit; quod quidem late sumptum omnem, et quamcunque beneficii concessionem indicat, stricte vero eam tantummodo denotat, quae in beneficiis sit liberis, quae scilicet a collatore proprio iure conferuntur, in quo ab Institutione distinguitur, quae beneficia iurispatronatus respicit.

III. Olim beneficiorum collatio ad solum spectabat Episcopum, aeque ac ordines conferre solius Episcopi ius erat. Sanxit enim concilium lateranense I. can. III., et VII: *secundum Apostolorum canones omnium ne-*

(1) In cap. unic. de iurepatr. in VI. — (2) Conventione novissima an. 1818. art. XVII. sancitum quod abrogata lege *tertii pensionabilis*, quod apud suppressi montis frumentarii administratorem deponebatur, pensionum reservatio secundum formas canonicas locum habere perget.

Adhaec eodem art. decretum quod Ministri a Rege Nostro ad praedictas pensiones nominati bullas ab Apostolica Sede obtinere debeant, vi quorum pensiones, quoad vixerint percipere possint. Praeterea constitutum fuit quod pensionario vita functo Episcopatus, aut beneficium ab onere persolvendae pensionis, qua gravabatur, penitus liberum fore.

Denique art. XVIII. eiusdem conventionis decretum Romanum Pontificem in perpetuum sibi reservare super aliquas episcopales mensas, et abbatias Regni resignandas annuas pensiones in summam ducatorum duodecim millium, quas pro tempore suis subditis status ecclesiastici pro lubitu conferet.

(3) Lib. I. tit. XIX.

gotiorum curam Episcopus habeat. Nullus omnino archidiaconus, aut archipresbyter, aut praepositus, vel decanus animarum curam, vel praebendas Ecclesiae sine iudicio, vel consensu Episcopi alicui tribuat. Et Alexander III. decernit evellendam radicitus pravam consuetudinem (1), *quod clerici ecclesiastica beneficia sine consensu Episcopi dioecesis, vel officialium suorum, qui hoc de iure possunt, recipiant: minus quam decet cogitantes, quomodo id a sanctorum Patrum est institutionibus alienum.* Recte duabus hisce ecclesiasticis sanctionibus antiqui canones, et sanctorum Patrum institutiones memorantur, iam inde enim ab Apostolorum aevo illa semper in Ecclesia viguit consuetudo, veterum conciliorum canonibus firmata, ut omnes Dioeceseos Ecclesiae cum suis reditibus, decimis, oblationibus, aliisque quibuscunque iuribus in Episcopi essent potestate (2).

IV. Iam vero deinde alii etiam emerserunt inferiores beneficiorum collatores, et quidem vel ab Apostolicae Sedis privilegio, sive indulto speciatim concesso (3), vel ab inveterata consuetudine (4), vel ab expressa voluntate fundatorum constituta a se beneficia patronatui subiicientium (5). Papa quoque cum primis, uti mox videbimus, bene multorum beneficiorum collationes sibi reservavit. Porro quum ex dispositione iuris communis, ac primigenio Ecclesiae usu Episcopus, tanquam ordinarius habeatur omnium suae dioeceseos beneficiorum collator, hinc nisi certo constet, vel de reservatione pontificia, vel de iure conferendi alteri concesso, libere illa Episcopus potest conferre.

V. Episcopi olim, uti ecclesiastica quaevis negotia tractare (6), ita et beneficia conferre vetabantur sine presbyterii, vel saltem Capituli suae Ecclesiae suffragio (7). Verum deinde antiquissima haec Episcopi, et Capituli coniunctio discissa est, et quidem non sine gravi antiquae disciplinae inflicto vulnere. Quae igitur Capitula nostra aetate beneficia conferunt, hac praerogativa non generali, communique, at speciali duntaxat iure fruuntur, neque omnia eodem, parique modo, sed vario pro variis locorum statutis, privilegiis, vel consuetudinibus, scilicet vel communem cum Episcopis, vel privativam, ut aiunt, sine ullo Episcopi suffragio beneficia conferendi potestatem habent. Hoc in Regno Capitulum neapolitanum nonnulla beneficia intra basilicam s. Restitutae fundata, quae de mensa Capituli dicuntur, confert Archiepiscopo inconsulto; cetera in universa dioecesi Archiepiscopus solus impertitur. Tum canonicatus cathedralis Ecclesiae praebendatos, sive cardinales, aeque presbyterales, ac diaconales confert Archiepiscopus solus, ceteros vero Archiepiscopus simul, et Capitulum. Etiam trivicanum Capitulum in canonicatibus, et dignitatibus Ecclesiae cathedralis sine Episcopi suffragio instituit, reliqua dioeceseos beneficia solus confert Episcopus (8). Eodem iure fruitur quoque Capitulum beneventanum, eodem et alia Italiae Capitula, uti novariense, patavinum, brixiense (9). Hinc

(1) Cap. III. de institutionibus. — (2) Conc. antioch. can. XXIV, aurelianense 1. can. XVII: cabilonense 1. can. XLII: moguntinum an. 813. can. VIII: turonense can. XVI. — (3) Can. I. caus. 16. q. II. — (4) Cap. VI. de institut.

(5) Cap. XXVI. *de iure patronatus.*

(6) Lib. I. tit. V. — (7) Cap. IV. *de his, quae fiunt a Praelatis sine cons. Cap.*

(8) Heic illa conferre praestat quae tit. XXV. de Canonicis tom. I. lib. I. subnectere curavimus. — (9) Gagliardus ibidem cap. VIII. n. 4.

autem excipe canonicorum poenitentiarii, et theologi praebendas, quas praevio examine solus confert Episcopus (1). De potestate Vicarii generalis in beneficiis conferendis, tum et Capituli, Sede episcopali vacante iam satis suo loco (2).

VI. Formam collationis quod spectat, profecto ambigendum non est, iure communi inspecto, beneficia solo verbo conferri posse, neque ullam requiri scripturam. Verum ad avertendas fraudes, hac in re non infrequentes, mos inductus est, ut collationes fieri, aut probari nequeant sine litteris. Unde hodierna tribunalium ecclesiasticorum praxis neminem in possessionem beneficii, vi factae collationis, admittit, nisi litteris, quas *patentes* vocant, expeditis, et exhibitis.

VII. In expediendis hisce litteris, quarum formulam habes apud Barbosam in appendice (3) plura observanda occurrunt. 1, Collatio per Ordinarios semper ita exponatur, ut videatur facta *motu proprio*, scilicet omissa cuiuscuuque pro obtinendo beneficio praeviae petitionis mentione. Et sane beneficia petentibus conferri ecclesiasticae disciplinae parum congruit, quae omnem hac in re ambitum reprobat.

2. Debet etiam explicari, quonam pacto beneficium vacaverit, neque id pro expresso haberi potest.

3. Indicanda etiam sunt nomina, tum loci dioececeos, ubi beneficium constitutum est, tum Sancti titularis Ecclesiae, cui beneficium adiacet, tum et beneficiarii, cuius obitu, vel resignatione beneficium vacaverit.

4. Adscribantur quoque oportet duo saltem testes, qui ipsi interfuerint collationi, tum et secretarius, vel notarius, qui litteris collationis subscribat, eisdemque publicam impartiatur fidem.

5. Denique subiungendum est, quo anno, mense, et die collatio perfecta sit. Id quod pluribus, quae dein emergere possunt, explicandis difficultatibus oppido necessarium est, scilicet ad dignoscendum, num collatio intra tempus a iure praescriptum facta sit, num Papa Ordinarii collationem praevenerit, vel ne, quaenam prius expedita fuerit ubi duabus eiusdem beneficii diversis personis concurrentibus collationibus, de earundem prioritate quaeratur. Illud hic obiter notandum, quod si duplex eiusdem beneficii occurrat facta collatio, is praeferendus, qui possessionem nactus iam sit, licet unus a Papa, alter ab Ordinario litteras acceperit (4): *quia potior est conditio possidentis*. Sin autem neuter sit in possessione, eum praeferri, cui Sedes Apostolica, vel Legatus contulerit: decernitur ibidem *propter conferentis ampliorem praerogativam*. Consulendus hic Rebuffus in tractatu *de pacifica possessione*, et Gonzalez (5).

VIII. Tempus collationibus praefinitum Episcopo, aliisque inferioribus collatoribus sunt sex menses a die scientiae vacationis computandi (6), quibus elapsis, si collatio pertinebat ad Capitulum, devolvitur ad Episcopum, si ad Episcopum pertinebat, devolvitur ad Capitulum, et utriusque

(1) Trid. sess. XXIV. de ref. cap. VIII. Benedictus XIII. in const. *pastoralis* XIV.— (2) Lib. I. tit. XXV. et XXVII.—(3) In append. ad tract. *de offic. Episc. formula 67*.

(4) Cap. XXXI. *de praebendis* in VI. — (5) Ad *regulam* VIII. Canc. §. 3. *proemial.* — (6) Cap. V. *de concess. praebendae.*

negligentibus, ad Metropolitanum, a Metropolitano ad Primatem, et a Primate ad Papam (1). Papae vero conferendorum beneficiorum nullum tempus est praefinitum; at excipe beneficia reservatione clausa in Corpore Iuris, quae si Pontifex intra mensem a die vacationis non contulerit, integrum erit proprio Episcopo ea conferre (2): licet id stylus R. Curiae non ferat. Quod si de episcopatibus et abbatis agatur, tempus ad conferendum praefinitum est trium mensium (3), quamvis, si collatio in virum idoneum ceciderit, etiam post tempus toleratur (4).

IX. Beneficia nonnisi clericis, quibus nullum obstet canonicum impedimentum, conferenda: et quidem aeque ex veteri, atque ex nova Ecclesiae disciplina laici a beneficiis ecclesiasticis arcendi. Ad rem concilium turonense (5): *ministerium, aut beneficium nonnisi clericos habere sanctorum Patrum sancivit auctoritas*, similia legimus in Gratiani decreto (6). Verum negandum non est aliquando laicis, peregrinis, aut inopibus beneficia, vel potius temporales beneficiorum reditus fuisse adsignatos, at sine ullo spirituali iure; aut ministerio: ut erant agri, vineae, et mancipia quae precario duntaxat nomine, scilicet ad usum, concedebantur. Porro vetitum eadem nobilibus adtribui, quippe quod facile esset ab inopibus, difficile a nobilibus eadem repetere (7). Tum ex lege fundationis, adsensu Pontificio firmata, potest laico patrono praebenda, vel dignitas Ecclesiastica reservari, ut in regno neapolitano prima thesaurarii dignitas praebendaque canonicalis regiae Ecclesiae s. Nicolai bariensis a Carolo II. Andeg. sibi, suisque in Regno successoribus reservata est. Praeterea ad beneficia Iurispatronatus ecclesiastici, vel laicalis etiam laicus praesentari recte poterit, qui tamen clericatum consequatur intra sex menses, si ab ecclesiastico, intra quatuor, si a laico patrono praesentatus fuerit. Quod si spatio elapso praesentatus adhuc clericus non erit, irrita erit prasentatio.

X. In Regno neapolitano ex novissimo concordatorum iure 1741. quum quis vel ex lege fundationis, vel ex patronorum praesentatione ius habere contendat ad aliquod vacans beneficium, is licet laicus, dummodo testimoniales quod ad scientiam, et quod ad bonos mores Ordinarii sui litteras exhibeat; recte etiam cum clerico compraesentato in tribunali ecclesiastico iura sua experietur: at vero si lis ei bene cesserit, ipse quamprimum tonsura initietur, ut deinde in beneficio institui, canonicamque eiusdem possessionem consequi possit. Igitur in beneficio litigioso nulla spatii quatuor, vel sex mensium ratio habenda (8).

XI. Nonnisi clericis beneficia conferenda statuimus, qui tamen nullo canonico impedimento obnoxii sint. Porro canonico impedimento irretiti censentur 1, nati ex iniustis nuptiis, at his potest Episcopus minorum ordinum, et simplicium beneficiorum veniam dare.

2. Filii haereticorum, iisdemque faventium ad secundum in linea pa-

(1) Cap. II. ibidem. — (2) Cap. III. *de praebendis, et dignitatibus* in VI.
(3) Cap. XLI. *de electione*. — (4) Cap. IV. *de suppl. neglig. Praelat.*
(5) Cap. I., et seq. — (6) Can. III., et XVIII. caus. 15. q. VII. — (7) VII. Syn. gen. can. XII; Thomass. part. III. lib. II. can. 19.
(8) Concord. an. 1741. cap. IV. n. 6.

terna gradum, in materna tantum ad primum, ubi tamen parentes in haeresi decesserint (1).

3. Coniugati, bigami, irregulares, quippe qui ex canonum praescripto ab Ordinibus arceantur.

4. Simoniaci, uti suo loco explicabimus.

5. Excommunicatione, aliave censura obnoxii, donec eius vinculo expediantur (2).

6. Coeci, et qui horas canonicas recitare non valent.

7. Criminosi generatim omnes. Sunt enim enormia quaedam crimina, quae privationis beneficii poenam, vel statim ipso iure, vel duntaxat post latam a Iudice sententiam incurrendam, adiunctam habent, de quibus *lib. III.*

8. Demum qui legitimam aetatem non habent; nempe minores annorum XIV, si de simplicibus, si vero de dignitatibus, praebendis, canonicatibus, aliisque beneficiis agatur, quae adnexum habent ordinem sacrum, qui eo ordine neque initiati sunt, neque infra annum initiari valent. (3). Denique ad dignitates curatas, et ad parochias nemo adsumendus, nisi qui saltem 25. aetatis suae annum attigerit (4).

XII. Duo hic tantummodo supersunt animadvertenda. 1, Sanctionem tridentinam de aetate quatuordecim annorum ad obtinenda beneficia, ex praxi iam inolita, de beneficiis tantummodo post tridentinum, non vero ante eiusdem synodi tempora constitutis, intelligendam.

2. Iure novissimo neapolitano concordati anni 1741: (5), pro prima clericali tonsura, ideoque et pro beneficiis obtinendis aetas requiritur quatuordecim annorum saltem incoeptorum: excipiuntur tamen arctati, scilicet, qui vel lege fundationis ad beneficia vocantur, vel a consanguineis suis activum patronatum habentibus praesentantur. Igitur beneficiarii arctati censentur, tum qui activo, tum qui passivo ad beneficia obtinenda iure patronatus vocantur.

XIII. Sunt etiam nonnulli, qui licet non arceantur ab omnibus, a certis tamen arcentur beneficiorum speciebus: huiusmodi sunt filii, quibus ἀμέσως *immediate* Patri in beneficio succedere vetitum est (6). Id quod de omnibus omnino filiis aeque illegitimis, ac legitimis, scilicet ante Sacerdotium progenitis, ex veriori Canonistarum sententia intelligendum (7). Filii vero illegitimi, licet impetrata Pontificis venia beneficiorum capaces evadant, attamen beneficium in ea Ecclesia consequi vetantur, in qua pater adhuc est beneficiarius (8), tum et vicariam perpetuam in ea sacra aede, in qua proxime ante ipsos pater habuerit personatum (9). Et generatim synodus tridentina de filiis illegitimis clericorum sic sanxit: *ut paternae incontinentiae memoria a locis Deo consecratis, quos maxima puritas, sanctitasque decet, longissime arceatur, non liceat filiis clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum patres beneficium*

(1) Cap. II., et cap. XV. *de haereticis* in VI. — (2) Cap. XXVI *de rescriptis* cap. VII. *de cler. excomm. ministr.*

(3) Cap. VII. §. 2. *de elect:* trid. sess. XXIV. de ref. cap. 12. — (4) Trident. ibid. — (5) Cap. IV. art. 3, et 5.

(6) Cap. II. *de filiis presbyterorum.* — (7) Gonzalez ad cap. XVII. eiusdem t.

(8) Cap. XV. cum seq. eod. tit.—(9) Cap. XIII. ibidem

aliquod ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere, aut in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quae parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere (1). Porro ad nepotem legitimum ex illegitimo filio natum tridentinum decretum haud extendendum et ratio suadet, et pluries s. Congregatio respondit apud Benedictum XIV. (2), ubi sapientissimus Pontifex plures hac de re explicat quaestiones.

XIV. Iam vero satis non est canonicis expeditum esse impedimentis, qui ad beneficia adspirat, sed moribus, conversatione, fama, et litteris ita ornatus sit oportet, ut ad obeundum iniuncti officii ministerium, et ad utilia Ecclesiae exhibenda obsequia aptus esse videatur. Unde ex communi Canonistarum sententia digniores prorsus ad beneficia adsumendi sunt, ii scilicet, qui attentis omnibus adiunctis utiliores Ecclesiae futuri sperantur.

XV. Sed illud hic quaeritur, num beneficia dignis conferri possint, dignioribus posthabitis? verum hac in re distinctione opus est inter beneficia curata, et non curata: haec enim posse idoneis duntaxat conferri, etiam dignioribus omissis, quamplurimum sane Canonistarum opinio est. Quod ex pluribus evincunt (3). Porro sanioris doctrinae fama clarissimi tum plures ex Canonici Iuris peritis, tum ex theologica facultate quamplurimi hoc tantummodo ad forum restringunt externum, contendentes cum D. Thoma (4) quantum ad conscientiam, omnino etiam ad beneficia simplicia, *nonnisi digniores, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune*, seligendos. Et sane digniores omittere praeterquamquod plerumque in detrimentum cadit Ecclesiae, vix, aut ne vix quidem personarum acceptionem adiunctam non habet, tam frequenter in sacris Litteris reprobatam (5). Qua de re Innocentius III. cap. unic. *ut ecclesiastica beneficia sine deminutione conferantur,* sic respondet Archiepiscopus mediolanensi: *non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuisti ecclesiasticum officium, et beneficium in persona magis idonea dispensare.*

XVI. Curata vero beneficia secundum iustitiam internam dignioribus omnino conferenda esse, nullus sane mentis dubitat; praesertim quum tridentinum (6) decreverit Ecclesiis nonnisi *digniores* praeficiendos, tum de parochi electione haec habet (7): *Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum iudicaverit: atque illi, et non alteri collatio Ecclesiae ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre.* Denique tridentini mentem dilucidius explicasse videtur Innocentius XI. proscribendo thesim n. 47: *cum dicit concilium tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint, ad Ecclesias promovent, concilium* primo *videtur per hoc* digniores, *non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo, vel* secundo *locutione minus propria ponit* digniores, *ut excludat* indignos, *non vero* dignos, *vel tandem loquitur* tertio, *quando fit concursus.*

(1) Sess. XXV. de ref. cap. 15.—(2) De synod. dioeces. lib. XIII. cap. 24.
(3) Cap. XXIX. *de praeb.*, et trid. sess. VII. de ref. cap. 3. — (4) II. II. q. LXIII. art. 2. — (5) Eccles. XLII. I: *Iacobi* II. 1.
(6) Sess. XXIV. de ref. cap. I.—(7) Cap. XV. If. ibid.

XVII. Parochiae itaque, aliaque beneficia, quibus primario animarum cura adnexa est, etiamsi iurispatronatus sint ecclesiastici, per concursum conferenda omnino sunt, et quidem ad praescriptum synodi tridentinae *decreto modo laudato*, quod Pius V. (1), sacra Congregatio concilii iussu Clementis XI. die X. Ian. an. 1721., et Benedictus XIV. (2) firmaruot, explicarunt, ampliaruotque, data etiam dignioribus, si qui io collatione posthabiti fuerint, facultate adpellaodi ab irrationabili iudicio Episcopi, et examinatorum ad Metropolitanum, et Sedem Apostolicam, vel si Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad viciuiorem Episcopum, taoquam Sedis Apostolicae delegatum (3).

XVIII. Illud hic non abs re erit observare, Sedem Apostolicam parochias ad favorem certae personae in manibus R. Pontificis resignatas aliquando resignatario conferre coosuevisse in forma *dignum*, scilicet sine coocursu, at tantummodo sub conditione, si idooeus ab Episcopo reperiatur in examioe coram synodalibus examinatoribus habendo.

TITULUS XXIV.

DE RESERVATIONIBUS APOSTOLICIS

I. Nomine reservationis in iure nostro ius illud significatur, quo R. pontifex suae dispositioni beneficia quaedam vacatura reservat, ordioariis collatoribus simul inhibeos, quominus vacatione adveoiente illa conferant, poena nullitatis adiecta (4). Reservationis quidem, et adfectionis vocabula aliquando promiscua notiooe usurpata occurruot: quum vero ex reservatione profluat adfectio, hinc quantum caussam inter, et effectum, tantum inter unam, et alterum discriminis agnoscunt Caoonistae.

II. Iam vero reservationes aliae sunt speciales, generales aliae. Illae sunt, per quas certum aliquod determinatum beoeficium Sedis Apostolicae arbitrio conferendum adscribitur. Hae vero sunt, per quas omnium certi alicuius ordinis beneficiorum, vel certi Regni, aut Natioois, collatiooes Sedi Apostolicae reservaotur. Reservationibus addesis *mandata de providendo*, per quae Papa beoeficium aliquod vacaturum alicui provideodum mandabat; unde dictae quoque sunt *expectativae*, quod qui huiusmodi mandatum impetraret, habere expectativam diceretur.

III. Tum expectativarum, tum reservationum vix adparent vestigia ante medium saeculum XII. Primus enim Romanorum Pontificum Hadrianus IV. ab Episcopis, et Capitulis digoitates, vel praebendas postulasse videtur, quas bene de Ecclesia meritis elargiretur (5). At expressius loquitur *epistola XXIV.*, qua voces *mandamus*, et *praecipimus* ab Pontificibus hac in re primum adhibita occurrunt: *universitati vestrae*, inquit, *praecipiendo per Apostolica scripta mandamus, et mandando praecipimus*, *quatenus*

(1) In constit. *in conferendis*.— (2) In constit. quum illud LXVIII. tom. I. bullar. — (3) Videsis nostras animadversiones ad tit. XXI. de parochis tom. I. lib. I. ubi quae iure novissimo de paroeciarum collatione constituta sunt, satis indicavimus.
(4) Rebuffus in praxi part. I. tit. de reserv.
(5) Epist. X. XI., et XII.

praeposituram, quae in parisiensi Ecclesia, et domum, quae in claustro eiusdem Ecclesiae dehinc primum vacaverit, concedatis.

IV. Eodem iuro frequentius usus est Alexander III., et qui eum secuti sunt R. Pontifices Innocentius III., Honorius III., Gregorius IX., atque in primis Innocentius IV., uti mox videbimus. Porro hic observare iuvat Alexandri III. aetate eiusmodi pontificiae epistolas nonnisi *preces*, et *mandata* exhibuisse; quibus quum aliquando collatores non obsequerentur, has postea excipiebant litterae *executoriales*, quibus ad exequenda mandata auctoritate apostolica, et interdum etiam per censuras, adigebant. Atque hinc triplex epistolarum genus emersit: scilicet *monitoriae*, *praeceptoriae*, et *executoriales*. Sedis quidem Apostolica nullum ius sibi vindicavit in collatione beneficiorum iurispatronatus laicalis, ubi tamen compatroni discordes alium alii presentaverint, eorumque vota in duos ex aequo dividerentur, vel in unum consentientia saltem aequarent medietatem ipsorum, consuevit beneficium ei conferre, qui ad ipsam cito recurrens, *se intra legitima tempora praesentatum a maiori parte, vel saltem medietate patronorum adsereret* (1).

V. Iam vero hac in re plura constant 1, R. Pontifices primum nonnisi pro piis, et honestis clericis, atque iis potissimum, qui omni ecclesiastico beneficio destituti, vix unde viverent habebant, eiusmodi mandata ad Episcopos dedisse. Hinc frequentes in epistolis, praesertim Innocentii III. illae clausulae:*quum redditus sufficientes non habeat, quum necessitatibus pauperum clericorum Sedes Apostolica duxerit succurrendum.* Unde idem Romanus Pontifex ab Episcopo uratismense consultus, num Clerico, cui Vicariae perpetuae proventus congrua alimenta suppeditabant, ex Apostolicae Sedis mandato in ecclesiastico beneficio providere teneretur, respondet non esse providendum, *quum per praedictam formam necessitatibus pauperum clericorum* (*qui nullum sunt ecclesiasticum beneficium consecuti*) *Sedes Apostolica duxerit providendum* (2). Et epistola ad bracharensem Archiepiscopum *quum et si tecum*, inquit, *de iure agere vellemus, te possemus merito ad provisionem eorum compellere, quos a te, vel praedecessoribus tuis ordinatos fuisse constaret* (3).

2. R. Pontifices haud consuevisse plurium mandatorum onus iisdem Ecclesiis imponere, unde illa quoque clausula nonnunquam adhibita reperitur: *nisi de mandato nostro eadem Ecclesia foret in alterius receptione gravata* (4).

3. Huiusmodi mandata tempore progrediente frequentiora evasisse: quamobrem iisdem saepe, importunis postulationibus a Pontificibus extortis, Ordinarii obtemperare detrectabant. Hoc innuunt frequentes litterae executoriales,quibus ad Ordinarios compellendos uti oportuit. Adhaec quum Legati Honorii III. in Anglia, et in Gallia duas a singulis cathedralibus praebendas peterent, huiusmodi pontificia postulata nullum apud Episcopos pondus habuisse scribit Matthaeus parisiensis (5).

4 Denique eos, qui expectativas consequebantur, beneficia iurispatrona-

(1) Videsis Gagliardum ibidem cap. V. n. 74. — (2) Cap. XXVII. *de rescriptis.* (3) Cap. XIII. *de aetat., et qualit.*—(4) Cap. II. XXX., et XXXVIII. in V. *compilatione Cironii.*—(5) Tit. XI. conc. col. 303.

tus laicalis, atque adeo etiam episcopatus tam avido arripere coepisse, ut mandata illa non complecti beneficia patronata declarare. Gregorius IX. coactus fuerit (1). Huic decreto deinde Innocentius IV. aliud addidit, scilicet neque episcopatus, neque alia beneficia maiora inter mandata illa comprehendi (2).

VI. Mandata de providendo locum dedisse reservationibus specialibus, atque has generalibus observant Canonistae.

VII. Praeterea medio saeculo XIII. opinio illa iam induci coepit, *Ecclesiarum, personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plenariam dispositionem ad R. Pontificem pertinere* (3). Id quod postea qui secuti sunt Pontifices, et praesertim Clemens VI. expressius edixere: *ad cuius Pastorem*, scribit Clemens VI. epistola ad Eduardum Regem Angliae (4), *et rectorem Ecclesiae, videlicet R. Pontificem, omnium Ecclesiarum, dignitatum, personatuum, et officiorum, et beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio noscitur pertinere.*

VIII. Porro nunquam defuerunt, qui huic novitati, evulgatis etiam libellis, refragarentur. Eorum querelae eae potissimum erant, quod sacrorum canonum praescripto, fundatorum intentioni, atque adeo ecclesiasticae hierarchiae divinitus institutae nihil magis consonum esset, quam ut singulis Episcopis integra servaretur beneficiorum suarum dioeceseon collatio. His addebant, quod facilius, et certius Episcopis, quam Pontifici notum erat, num quis dignus, qui promoveretur, censendus esset, atque hinc esse aiebant, quod olim semper Episcopi audierint legitimi beneficiorum collatores. Tandem ex reservationibus haud levia frequenter mala oriri conquerebantur, diuturnas praesertim, ac dispendiosas lites non sine gravi fidelium pernicie, et scandalo (5).

IX. Hactenus dictis addesis querelas, quas per suos legatos ad Innocentium IV. transmisere tum Ludovicus IX. Rex Galliarum, omnesque eiusdem Regni barones, proceres, et magnates, tum etiam magnates, et universitas Regni Angliae, quorum epistola in concilio lugdunensi publice lecta est (6). Porro ex oratione legatorum Regni Galliarum illud constat, mandata, et reservationes sub Innocentio IV. mirum in modum invaluisse (7).

X. Demum quum Avenionense schisma Ecclesiae sinum turpiter laceraret, mirum quantum ius reservationum, et expectativarum amplum evaserit. At experientia docemur, quum abusiones creverint, tunc sane ad ipsas extirpandas animum excitari, hinc primum in conciliis constantiensi, et basileensi, dein et in synodo tridentina de expectativis, et reservationibus abolendis, vel saltem temperandis agi coeptum est, praesertim quum Ordinarii beneficiorum collatores de iisdem graviter conquererentur. Verum illud duntaxat in synodo constantiensi praestitum fuisse legimus, quod Martinus

(1) Epist. XIV; et XV.—(2) Espenius part. II. tit. XXIII. cap. I. n. 21; et 32.
(3) Clemens. IV. in cap. II. *de praebendis* in VI.
(4) Apud Raynaldum ad an. 1343.
(5) Episcopus gallicanus anonymus apud Raynaldum ad an. 1311: Episcopi Galliae in conventu apud melodunum an. 1548. apud Baluzium miscellan. tom. VII pag. 105. Espenyus durandus mimatensis comm. epist. ad Titum cap. I. de modo generalis concilii celebrandi.—(6) Tom. XI. conc. gen. col. 663.—(7) Eduardus Braun in appendice ad Ortuinum Gratium pag. 238.

V. in eadem synodo electus quatuor menses liberos ab expectativis esse voluerit. At synodus basileensis non modo expectativas, verum et omnes cuiuscunque generis reservationes abolevit: *reservationibus in corpore iuris expresse clausis, et his, quas in terris R Ecclesiae ratione directi, seu utilis dominii mediate, vel immediate, subiectis fieri contigerit, duntaxat exceptis*. Quum vero non ubique decreta basileensia recepta fuerint, hinc reservationum usus vix, aut ne vix quidem a pristino statu declinavit.

XI. Demum in synodo tridentina serio eadem de re actum est: praeiverat quidem conventus delectorum Praelatorum sub Paulio III., quorum sententia de hoc capite sic se habet: *alius abusus est in expectativis, et reservationibus beneficiorum, quibus et datur occasio, ut aliena mors desideretur, et libenter audiatur. Praecludunt etiam aditum supremum dignioribus, dum vacant, dant litibus caussam. Omnes has putamus tollendas*. Tum in ipsa synodo novae auditae sunt eadem de re catholicorum principum querelae. Qua de re (1) expectativae, reservationes mentales, et aliae quaecunque gratiae ad vacatura prorsus abolitae sunt.

XII. Eadem tridentina synodus reservationibus sic proprie dictis, scilicet *clausis in corpore iuris, extravagantibus, et regulis Cancellariae* nihil immutandum duxit. Qua de re in plerisque Ecclesiis adhuc vigent, certis tamen circumscriptae conditionibus, et iuxta peculiares Ecclesiarum leges, consuetudines, vel concordata. Praestat igitur hic de variis reservationum speciebus adposite ad ius neapolitanum pauca subnectere.

XIII. Reservationes sive generales, sive particulares triplicis sunt generis. Aliae dicuntur clausae in Corpore Iuris, aliae continentur in regulis Cancellariae, alias demum exhibent posteriores Pontificum constitutiones. Praecipua in corpore iuris clausa reservatio ea est, per quam beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia R. Pontifex confert. Huiusmodi reservationem primus omnium iure scripto induxit Clemens IV. (2).

XIV. Huiusmodi reservationem Bonifacius VIII non solum ad beneficia extendit, quae legati, aut Nuntii Sedis Apostolicae possederint, aut quicumque ad R. Curiam venientes, vel ab ea recedentes, si in locis ipsi Curiae finitimis eos mori contigerit, verum et ad beneficia curialium, sive in Curia, sive in locis Curiae vicinis mortem obierint, etiamsi Curia de loco in locum transferatur (3). Tum loca Curiae vicina ea intelligenda edixit, quae ultra duas diaetas legales a loco, ubi moratur ipsa Curia, non distant, *ibidem*.

XV. Quod vero in eadem hac decretali Bonifacius VIII. tantummodo de vacatione per obitum loquatur, hinc alicubi, ac praesertim in Gallia sola beneficia vacantia per obitum in Curia, vel in locis Curiae vicinis habentur pro reservatis reservatione clausa in Corpore Iuris. Ius neapolitanum quod spectat videsis Carolum Gagliardi (4).

XVI. Porro hac in re duo omnino observanda occurrunt: 1. Beneficia, quae in Curia vacaverint, ubi Pontifex intra mensem a die vacationis non contulerit, ius collationis ad Ordinarium revertitur, qui tamen vel per se-

(1) Sess. XXIV. de ref. cap. 19.
(2) Cap. II. *de praebendis* in VI. — (3) Cap. XXV. de praebendis in VI.
(4) Tract. de beneficiis cap. V. n. 52.

ipsum, vel per suos Vicarios generales, quibus id canonice fuerit commissum, ea conferre tenetur (1). Quinimmo si Ordinarius intra mensem beneficium providerit, quod Pontifex elapso mense non conferat, Ordinarii collatio sustinetur, tum quod Ordinarius Pontificem non praevenit, sed iure utitur primitivo, tum vel maxime quod reservationis materia, quippe quae, ut aiunt, odiosa, strictam postulat interpretationem.

2 Ecclesiae parochiales, quae vel defuncto Pontifice in Curia vacaverint, vel licet prius vacatae, eodem tamen in vivis agente, collatae non sunt, recte a locorum Ordinariis conferuntur, et quidem *ne ipsarum vacatio diutina periculum valeat animabus adferre* (2).

3. Demum beneficia etiam ecclesiastica, sive expresse, sive tacite in fundatione constituta ab reservationibus immunia, eiusmodi semper sunt habenda (3).

XVII. His addendae duae aliae reservationes, quae ex nonnullorum sententia inter reservationes clausas in Corpore Iuris etiam recensendae; quippe quae extent in extravagantibus communibus, quae Corpori Iuris canonici solent adnecti, eiusque partem constituunt. Prior habetur in extravaganti *Execrabilis*, per quam beneficia vacantia per retentionem alterius beneficii incompatibilis a Ioanne XXII. Sedi Apostolicae conferenda reservantur. Alteram exhibet extravagans *ad regimen*, per quam Benedictus XII. non modo superiora confirmavit, sed et Sedi Apostolicae reservavit omnia beneficia vacantia per adsecutionem episcopalis dignitatis, aut alterius incompatibilis beneficii a Sede, vel per depositionem, et privationem ab eadem factam, vel renuntiationem admissam, tum et quae vacent per obitum Cardinalium, Legatorum, seu Nunciorum Sedis Apostolicae, et aliorum eiusdem Sedis officialium, et curialium, qui in eadem extravagante recensentur (4).

XVIII. Hasce expositas reservationes, licet ex extravagantibus depromptas, attamen non habendas ceu clausas in Corpore Iuris, communis poene est Canonistarum sententia. Quamvis enim usus invaluit, ut extravagantes, tam Ioannitae, quam communes Corpori Iuris adnecterentur, ad illud tamen proprie non spectant: unde nomen extravagantium adhuc retinent. Praeterea reservationes illae, tanquam ad tempus inductae, in dictis extravagantibus exhibentur. Benedictus XII. in sua extravaganti sic loquitur: *reservamus .... donec miserationis divinae clementia nos universalis Ecclesiae regimini praesidere contigerit.*

XIX. De regulis Cancellariae satis in diatriba isagogica, tantummodo hic praecipuas, quas illae complectuntur, reservationes paucis dabimus.

Regula I. confirmat modo expositas reservationes (5): tum easdem extendit ad beneficia curialium, etiam dimissis Curiae officiis, tum et ad omnia beneficia, quae contra decreta tridentina collata fuerint.

Regula II. reservantur cathedrales omnes, et monasteria maioris redditus, quam 200. florenorum auri, et omnia beneficia, quae vacant, Sede epi-

(1) Greg. X. cap. III. *de praebendis* in VI.—(2) Cap. XXV. ibid. in VI.
(3) Gagliardus ibid. cap. V. n. ult.
(4) Videsis Gagliardum tract. de beneficiis cap. V. n. 53.
(5) Cap. *ad regimen*, et cap. *execrabilis*.

scopali quovis pacto vacante: floreni 200. summam exhibent circiter ducatorum neap. 430. Porro in hac regula non comprehenduntur abbatiae monachorum triennales, aliaeque regularium dignitates, et praepositurae, in quibus conferendis integra Capitulis generalibus libertas est: uti novissime edixit Benedictus XIV. in epistola ad Carolum Borbonium utriusque Siciliae Regem die 7. octobris 1741., cuius exemplum die 28 eiusdem mensis ad Curiam Capellani maioris transmissum est. Optimus namque Rex ad postulata minimorum per Cardinalem Aquavivam, suum apud Sedem Apostolicam legatum, sapientissimo Pontifici exposuerat, se libenter capitulis regularium libertatem in electionibus tueri (1). Tum eadem regula neque Ecclesiae, et dignitates regiae collationis reservatae censendae sunt, quales in regno neapolitano sunt archiepresbyteralis altimurana, prioralis s. Nicolai bariensis, abbatialis altaevillae (2).

Regula III. reservantur beneficia in fraudem reservationis ab iis resignata, vel dimissa, qui pacificam mox incompatibilium possessionem sint adepturi; tum et ipsa incompatibilia, quae postea auctoritate apostolica iidem consequentur. Fraudis indicium est vacatio beneficii incompatibilis, ad quod resignans adspiraverit.

Regula IV. reservantur primariae omnes dignitates post Pontificales, sive cathedralium, sive collegiatarum, quae tamen summam decem florenorum auri excedant: decem floreni summam conflant ducatorum neapolit. circiter 22. Tum et beneficia eorum, qui Cardinalibus familiares certi convivae sint, vel aliquando fuerint, Cardinalibus ipsis iam defunctis (3).

Regula V. reservat omnia beneficia, quae collectores, et subcollectores proventuum ad Cameram apostolicam spectantium in ipso munere persistentes vel actu possederint, vel in quibus, seu ad quae ius habuerint.

Regula VI. reservat omnia beneficia curialium decedentium in itinere, dum Curia transfertur.

Regula VII. omnia beneficia cubiculariorum, etiam honoris nuncupatorum, et cursorum Pontificis.

Regula VIII. omnia beneficia Ecclesiarum s. Ioannis Laterani, s. Petri, et s. M. maioris, tum et beneficia, quae in Ecclesiis Cardinalium titularibus, absentibus vacaverint.

Regula IX. omnia beneficia, que ubique vacaverint in octo mensibus, scilicet Ianuario, februario, aprili, maio, Iunio, augusto, octobri, novembri. Porro in gratiam, et remunerationem eorum Episcoporum, qui in suis Ecclesiis resident, eo quidem tempore, quo resident, sex mensibus liberam illis collationem Pius V. indulsit, ita ut alternis mensibus cum Summo Pontifice, qui primo mense scilicet Ianuario, conferre incipiet, collationem partiantur, iis tamen beneficiis exceptis, quorum collatio ex aliis Capitibus ad Summum Pontificem pertineat. Hanc alternativam non cuivis inferiori collatori, sed tantummodo Episcopis, qui eam petierint, R. Pontifex elargitur. Quinimmo quotiescumque novus eligitur Pontifex, iterum petenda est: (4).

(1) Gagliardus ibid. cap. V. n. 38.—(2) Gagliardus ibid. n. 39.
(3) Videsis Gagliardum ibidem n. 41.
(4) Rigantius p. II. reg. IX. §. 1. n. 8., et 9.

XX. Episcopi vero cardinalatus honore insigniti ex venia R. Pontificis facultatem habent, ut beneficia in quibuslibet mensibus vacantia conferant, iis duntaxat exceptis, quae duplici reservationi coaequali sunt obnoxia (1). Porro quum ex *constitutione LI. Urbani VIII.* opinio invaluerit Cardinales Episcopos in mensibus apostolicis non solum ordinario, verum et delegato iure beneficia conferre, hinc usus quoque obtinuit, ut in huiusmodi collationibus apostolicae litterae novae provisionis intra quatuor menses impetrandae sint, solutis de more taxationibus, quum beneficii proventus summam ducatorum 24. auri de camera excedant. Haec praxis usu primum inducta, dein et a R. Pontificibus in singulis indultis imponi solet, ac novissime a Benedicto XIV. sancita est (2).

XXI. Postremo beneficia quod spectat, constitutionibus tridentino posterioribus reservata, ea profecto, sunt: I, quae vacant propter haeresim (3). II. quae contracta fiducia, seu ut dicitur, *in confidentiam* recipiuntur (4). III. parochiae non collatae per concursum ad normam tridentini (5). IV, beneficia vacantia ex resignatione, in qua observatum non fuerit praescriptum Gregorii XIII. (6). V, demum beneficia vacantia ob non delationem habitus, et tonsurae clericalis ex bullis Xysti V., et Benedicti XIII. (7).

XXII. De iure praeventionis iuvat hic pauca subnectere. Ius igitur praeventionis illud est, quo Papa Ordinarium collatorem praeveniens beneficium ad eius collationem spectans alicui elargitur. Huiusmodi ius licet eodem fundamento innitatur, ac mandata de providendo, multo tamen his recentius est: vix enim in VI. decretalium eius vestigia occurrunt. Unde primum a Ioanne XXII. regula Cancellariae *de verisimili notitia* evulgata est, qua decernitur irritas habendas quascunque pontificias iure praeventionis collationes, nisi a die mortis beneficiarii tantum spatium effluxerit, ut probabile sit de ea certiorem Pontificem fieri potuisse eo die, quo libellus Romam venit. Eadem poena locum quoque habet, ubi compertum sit, ante mortem nuntium Romam adpulisse, quod *cursum* vocant *ambitiosum*. Porro non est, cur amplius hac in re immoremur. Namque divisione mensium inter Sedem Apostolicam, et Ordinarios ius illud praeventionis poene abolitum est. Per illam enim Pontifex tacite quodammodo edixisse videtur, ut Ordinariis in suis mensibus libera esset beneficiorum collatio.

(1) Const. Clementis VIII; quae incipit *quamvis*.— (2) Const. *quum sicut accepimus*: tom. I. bullar. — (3) Bulla Pii V. *ex apostolatus officio*. — (4) Bulla Pii V. *Romanum Pontificem*.—(5) Bulla Pii V. *In conferendis*. — (6) Bulla Gregorii XIII. *humano vix iudicio*.

(7) Conventione noviss. an. 1818. art. VIII. statutum beneficia simplicia liberae collationis, quae fundationis, et erectionis in ecclesiasticum titulum praerogativa potiuntur pro mensium diversitate tum a Sede Apostolica, tum ab Episcopis esse conferenda. Quare a mense ianuarii usque ad iunium a Romano Pontifice illa conferentur: a mense vero Iulii usque ad mensem decembris ipsorum collatio ad Episcopos spectabit.

Praeterea eodem art. sancitum beneficiorum provisionem semper in favorem subditorum utriusque Siciliae Regni faciendam esse.

TITULUS XXV.

DE INSTITUTIONIBUS ET IUREPATRONATUS

I. Legitimus aliquando collator beneficium conferre adstringitur iuxta alterius electionem, ubi sane provisio non collatio, sed institutio dici consuevit. Ius nominandi, vel praesentandi, aut ex iure communi descendit, ut *patronatus*, aut ex privilegio, uti nominationes Regum, aliorumque Principum. De his satis alibi: de patronatu, iuribusque ipsi adnexis hic pauca.

II. Iurispatronatus *sua natura* in eo est, scilicet, ut patronus facultatem habeat idoneum clericum nominandi, ab Episcopo, aliove Ordinario in Ecclesia, vel beneficio instituendum, ac simul iuribus quibusdam perfruatur, partim honorificis, partim utilibus, partim onerosis. Originem quod spectat, profecto licet *patroni*, et *patronatus* vocabula antiqua non sint, rei tamen ipsius haud obscura vestigia habentur iam inde ab antiquissimis temporibus. Et quidem saeculo IV. vergente, vel saltem V. ineunte nomina, et elogia fundatorum in Ecclesiis ab ipsis aedificatis fuisse inscripta testis est s. Paullinus nolanus (1). Uti quoque basilicae aliquando a suis fundatoribus nomen, sive titulum mutuatae sunt; cuiusmodi sane est *basilica constantiniana*, *titulus Damasi*, *Lucinae*, *Fasciolae*, etc. (*).

III. At primum *can.* X *arausicano* occurrit ius Episcopo in alieno territorio Ecclesiam aedificanti concessum, ut clericos in eadem Ecclesia autoritate constituat, qui si ordinati non sint, ab Episcopo territorii initientur. Idem iuris dein et laicis tributum est; namque constat (2) Ecclesiarum, monasteriorum, et xenodochiorum fundatores facultatem habuisse, ut eorundem administratores, praefectos, et presbyteros designarent: idipsum luculentius sancitum occurrit in concilio toletano IX. *can. II.*

IV. Iam vero seculis temporibus multiplex invecta est iurispatronatus species, scilicet ut aliud sit *ecclesiasticum*, aliud *laicale*, et aliud *mixtum*. *Ecclesiasticum* est, quod Ecclesiae, vel clerico non ratione patrimonii convenit, sed ratione dignitatis, et officii (3). Neque enim quod a clerico constitutum sit, vel clerico conveniat, inde ecclesiasticum dicendum est, sed omnino requiritur, ut expresse a fundatore sive clerico, sive laico Ecclesiae alicui, vel dignitati, aut gradui ecclesiastico adfigatur.

V. Iuspatronatus *laicale* est, quod alicui sive clerico, sive laico convenit ratione patrimonii, non Ecclesiae, aut dignitatis, atque adeo licet ex proventibus ecclesiasticis a clerico quopiam constitutum sit, adbuc tamen laicale est; quippe quod clerici hodie ecclesiasticos proventus instar patrimonii suos faciunt, et in foro externo, ut patrimonalia passim reputantur (4).

(1) Epist. X., et XII.

(*) Videsis *commentarium de iure patronatus cl. Caroli Gagliardi* cum nostris additamentis: edit. neap. vol. 2. an. 1841.

(2) L. XLVI. C. *de Episcopis, et clericis*. Iustinian. nov. LVII. cap. II. CXXIII. cap. 18. — (3) Cap. un. de *iurepatr. in VI.* — (4) Gonzalez ad cap. V. *de iurepatr.*: le Roy prol. tit. *de iurepatr.* cap. VI.

VI. Iuspatronatus *mixtum* est, quod partim rationem exhibet Ecclesiae, e. g. quum ex duobus patronis alter ius suum ad Ecclesiam transtulerit, aut quum duo diversi patroni, scilicet ecclesiasticus, et laicus ad beneficium conferendum ex aequo concurrant, litteraeque praesentationis utriusque nomine expediantur. Quamobrem si hi patroni non simul, sed divisim, vel alternis praesentant, iuspatronatus mixtum non erit; quod utriusque patroni iura non miscentur, sed uterque suo iure utitur. Porro in iurepatronatus mixto semper illi proprietati standum, sive ecclesiasticae, sive laicali, quae patronis magis favet, ut alteruter privilegio socii fruatur, quum alias privilegium esset inutile (1).

VII. Iuspatronatus sive ecclesiasticum, sive laicale bifariam dispescitur, scilicet in *personale*, et *reale*. *Personale* alicui personae convenit independenter a quacunque re, cui inhaereat. *Reale* quod fundo, villae, vel feudo est adnexum (2). Huiusmodi iuspatronatus originem habere videtur ab oratoriis, et sacellis, quae iampridem viri nobiles in suis fundis in usum domesticorum, et subditorum suorum extruentes, iisdem cum Episcopi consensu unum, pluresve constituebant presbyteros (3). Porro ius istud, quod Episcoporum duntaxat conniventia primum patronis tributum est, scilicet ne quos aegre ferrent, alere tenerentur; deinde successu temporis in veram abiit praesentationem, sive patronatum, iisque vindicandum creditum est, ad quos fundus, villa, vel feudum spectaret.

VIII. Inter patronos ecclesiasticum, et laicalem plura intercedunt discrimina: quorum tamen praecipua iure novo sunt inducta. Ac 1, laico quatuor mensium, ecclesiastico sex mensium spatium ad praesentandum, nisi a die notitiae, scilicet ab eo tempore, quo patrono beneficii vacatio probabiliter potuerit innotescere. Antiquitus nullum patronis ad praesentandum constitutum erat tempus; quum autem in concilio lateranense III. sub Alexandro III. *canone XVII.* trium mensium spatium praefinitum fuerit, et in nonnullis concilii editionibus pro *tres menses* legeretur *quatuor*, quumque idem Alexander III. spatium sex mensium collatoribus beneficiorum praescriptum, etiam ad patronos extenderit (4), hinc ut huiusmodi conciliarent *αντιλογιαν contradictionem*, canonem lateranensem de patrono laico, decretalem Alexandri III. de patrono ecclesiastico communiter interpretati sunt Canonistae.

2. Patronus laicus plures non modo simul, verum et successive Episcopo praesentare potest (5). Ecclesiasticus unum post alterum praesentare nequit (6). Illi enim intra tempus praefixum sententiam mutare permittitur, huic vero non item. Porro patrono laico nonnisi ante institutionem, scilicet antequam praesentatus ius aliquod ad beneficium sibi comparaverit, variare conceditur. Atque hinc perspicere datur, undenam discrimen istud inter patronum laicum, et ecclesiasticum proficiscatur. Laici enim praesentatio nullum ius conferre videtur ad beneficium, secus vero ecclesiastici, cuius praesentatio habetur, perinde ac si collatio, vel electio esset, quae ius ali-

(1) Le Roy ibid. cap. VI. — (2) Cap. VII. *eodem*: cap. XVIII. *de sentent*, *et re iudicata*. — (3) Conc. agath. can. XXII.

(4) Cap. XXII. *de iurepatronatus*. — (5) Clement. II. *eod. tit.* — (6) Cap XXIX. *eod tit.*

quod ad beneficium tribuat, posteriori praesentatione haud auferendum. Innocentius IV, ad cap. XXIV. de iurepatronatus: *clericalis variatio est interdicta, quia illorum clericorum praesentatio vicem habet electionis.*

3. Si ecclesiasticus praesentaverit indignum, privatur ea vice duntaxat iure praesentandi (1): secus vero si fuerit laicus; huic enim indigni praesentatio nihil adfert detrimenti, quum possit alterum praesentare (2).

4. Parochia iurispatronatus ecclesiastici per concursum ad normam tridentini omnino conferenda; at si patronatus fuerit laicalis, satis erit, ut praesentatus ab Episcopo, examine praeeunte, idoneus probetur.

5. Legatus a latere beneficium patronatus ecclesiastici etiam in praeiudicium patroni conferre non vetatur (3): haud vero beneficium patronatus laicalis: unde quoque colligitur reservationes apostolicas adficere quidem beneficia patronatus ecclesiastici, haud vero beneficia patronatus laicalis. In patronatu mixto ea proprietas, uti nuper observavimus, adtendenda, quae eidem tuendo magis conducit.

IX. Quum patronus sive ecclesiasticus, sive laicus intra tempus a iure statutum non praesentaverit, collatio ad Episcopum spectabit, et quidem iure non devoluto, sed ordinario, scilicet primigenio, quo Episcopus solus ordinarius est beneficiorum collator. Qua de re si Episcopus intra tempus praesentationi sancitum beneficium conferat, eo elapso sustinetur collatio, dum patronus expresse, vel tacite ei adsentiat, aut non refragetur. Id quod de collatione Metropolitani in beneficiis' suffraganeorum ne intelligas, si locus devolutionis postmodum fiat; quia Metropolitano beneficia suffraganeorum, nonnisi iure devoluto, conferre permittitur.

X. Patronus dicitur clericum praesentare, quum illum Episcopo, vel cuicui Ordinario collatori instituendum exhibeat, sive offerat. Porro necessum non est, ut patronus ipse Ordinarium adeat, sed satis erunt litterae praesentationis, quas Ordinario deferendas clerico patronus tradat (4). Quinimmo iure novissimo, universali consuetudine inducto, nulla agnoscitur praesentatio, nisi quae fit per litteras in forma authentica expeditas.

XI. Iam vero, ut praesentatio suum sortiatur effectum, non solum litterae expeditae sint oportet, verum omnino, ut Ordinario sint legitime oblatae, sive, ut loqui amant pragmatici, *pulsaverint aures Ordinarii*, id quod si nondum peractum fuerit, poterit 1, patronus, sive ecclesiasticus, sive laicus a prima praesentatione resilire (5) 2, Papae licebit patronum ecclesiasticum praevenire. 3, Episcopus elapso spatio legitimo, et litteris non exhibitis, suo iure utetur, et beneficium libere conferet.

XII. Quid si plures sint patroni? Aut iis patronatus, prout corpus, sive collegium constituunt, convenit, aut ad eos seorsum, et sigillatim spectat: si primum, praesentatio, nisi ab omnibus coniunctim peragatur, licet a singulis, at divisim, et extra collegium probata, nullius est roboris Si alterum, satis erit, ut singuli in idem conspiraverint, licet divisim, diverso tempore,

(1) Cap. II. de *excessibus Praelat.*
(2) Doctores communiter ad cap. IV. *de iurepatronatus.*
(3) Cap. XXXVIII. *hoc tit.*
(4) Cap. VII. *de his, quae fiunt a Praelatis.*—(5) Canonistae communiter ad cap. XXV. eodem.

et per plura instrumenta, vel per idem instrumentum, sed diverso tempore a singulis signatum (1).

XIII. Iuspatronatus praecipue *fundatione*, *constructione*, et *dotatione* adquiritur. *Fundatione*, veluti si quis praedium ad Ecclesiam construendam praebeat (2) *Constructione* scilicet, quum quis suis sumptibus Ecclesiam aedificat (3). *Dotatione* demum, scilicet, quum quis sive praesenti pecunia, sive alio quovis pacto annuos redditus, veluti certam dotem, constituat, queis et Ecclesiae conservationi, et ministrorum alimentis provideantur.

XIV. Sola fundi donatione iuspatronatus non adquiri recentiores Canonistae cum Francisco le Roy (4) communiter tradunt; quam sane sententiam pluribus ex antiquis canonibus deductis argumentis demonstrant. Fundatio igitur, de qua canones loquuntur, de fundatione, sive extructione, quae iuxta ecclesiasticas regulas peragatur oportet, intelligendi sunt: quum scilicet iam Ecclesiae dos constituta sit, quae, uti suo loco diximus, nisi prius dicatur Ecclesia, aedificari prohibetur.

XV. Haec sane Francisci le Roy, aliorumque sententia conformis quoque videtur synodo tridentinae, quae expresse cavet nemini iuspatronatus concedendum, *nisi qui Ecclesiam, beneficium, aut capellam de novo fundaverit, et construxerit, seu iam erecta, quae tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis, et patrimonialibus bonis competenter dotaverit. .... In casu aut fundationis, aut donationis huiusmodi institutio Episcopo, et non alteri inferiori reservetur* (5).

XVI. Igitur glossae sententia hoc vulgari versiculo expressa *patronum faciunt dos, aedificatio, fundus*, eo quidem sensu est intelligenda, quum ad eandem Ecclesiam excitandam tres simul concurrant, quorum unus fundum adsignet, alter expensas ad aedificium solvat, tertius dotem conficiat. Hos profecto omnes universos effici patronos cum aliis Canonistis tradit Fagnanus (6).

XVII. Quamvis ut Ecclesia aedificetur, requiratur omnino Episcopi dioecesani consensus (7), attamen ut adquiratur iuspatronatus, eiusmodi consensu opus non est. Fundatori enim debetur, etiamsi illud non petat, vel in pactum deducat (8). Clemens III. in decretali (cuius pars refertur in *cap. XXV. de iurepatronatus*, quaeque integra extat apud Antonium Augustinum) quaesitus num *aliquis efficiatur sola Ecclesiae constructione patronus*, respondit: *quod si aliquis Ecclesiam cum adsensu Dioecesani construxit, ex eo iuspatronatus adquirit.* Igitur fundatio ipsa per se iuspatronatus constituit (*) Porro negandum non est, posse fundatorem ius illud vel

(1) Espenius part. II. tit. XXV. cap. V. n. 32. 38: 39.—(2) Cap. III. hoc tit. can. IV. caus. 18. q. II. — (3) Can. XXXIII. Caus. 16. Q. VII.—(4) Ibid. cap. XIII.

(5) Sess XIII. de ref. cap. 12. — (6) Ad cap. *quoniam* hoc tit. n. 34.

(7) Lib. II. tit. XI. — (8) Glossa ad can. VII. de consecrat. dist. I.

(*) Quasi diceret, ut sapienter animadvertit Franciscus le Roy (comment. *de iurepat.* cap. XV.) dotationem solummodo requirendam ad ius patronatus obtinendum. Et Innocentius III. (in cap. *significavit* 41. ex. *de testibus*) apertissime sanxit: *cum constat aliquem fundasse Ecclesiam, satis probatur eum esse illius patronum et expressa renunciatione opus esse ut ab eo iure submoventur.* Hinc Glossa diserte tradit: *fundatori iuspatronatus ipso iure debetur, etiamsi non petat, vel in pactum deducat.* Quare ex iuris sanctione patronatum in fundatorem promanare exploratissima res est.

expresse, vel tacite remittere: *expresse* per tabulas, sive per scripturam; *tacite*, quum nec ipse, nec eius heredes unquam iure ullo utantur (1). Verum si de patronatu dubitetur, fundationis tamen titulus constet, fundatori iuspatronatus recte adiudicabitur; quum fundatio ipso iure patronatum comitem habeat (2).

XVIII. Praeterea iuspatronatus adquiritur praescriptione. Olim nonnisi fundatione illud quis consequi poterat, verum quum postea huiusmodi ius potius temporale haberetur, quam spirituale, quippe quod a laicis etiam adquiri posset; hinc sensim inductum quoque est posse illud praescriptione, aeque ac alia iura, comparari: idque non modo ab Ecclesia contra patronum, sed et contra Ecclesiam a laico (3).

XIX. Porro non semper aequo iure hac in re praescriptio inspicienda. Haec enim si contra Ecclesiam liberam sit, oportet, ut ex tam diuturna quasi possessione oriatur, ut quod longissime praeteriti temporis spatium respici possit, contraria monumenta inde usque non existant (4), vel ut loquitur tridentinum *ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat* (5).

XX. Ubi vero de iis personis, vel etiam communitatibus agatur, in quibus id ius plerumque ex usurpatione potius quaesitum praesumi solet, plenior, et exactior probatio ad docendum verum titulum requiritur: nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragatur, quam si praeter reliqua ad eam necessaria, praesentationes etiam continuae, non minori saltem, quam quinquaginta annorum spatio, quae omnes effectum sortitae sint, authenticis scripturis probentur (6). Fagnanus tradit productam tridentini dispositionem aeque in petitorio, ac possessorio locum habere: nisi de ipso iurepatronatus non ambigatur, sed tantummodo inter patronos de iure praesentandi controversia exoriatur, ubi sane ille in possessorio vincet, qui ostendetur esse in quasi possessione praesentandi.

XXI. Adquiritur denique iuspatronatus ex privilegio, nempe Summi Pontificis (7). Patronatus tamen huiusmodi synodus tridentina iis exceptis, qui ad summas Potestates spectant, abrogavit: ibidem.

XXII. Iuspatronatus ut adquiri, ita etiam transferri iure potest, et quidem non uno, eodemque modo. Ac 1. Iuspatronatus ecclesiasticum transfertur simul cum Ecclesia, dignitate, vel beneficio, cui est adnexum. Verum alteri illud comparari, species est alienationis rei, et iuris ecclesiastici, ad quam legitimae requiruntur solemnitates.

2. Iuspatronatus laicale, si reale sit, ad illum transfertur, ad quem fundus, villa, feudum etc. est adnexum, sive quod ad proprietatem, sive quod ad dominium utile duntaxat, transit (8).

3. Iuspatronatus laicale personale transfertur successione, scilicet simul cum haereditate sive testamentaria, sive legitima ad heredem in solidum:

(1) Franc. le Roy *in proleg. ad comment. de iurepatronatus* cap. XV. — (2) Le Roy ibidem. — (3) Cap. XXIV. *de electione*.
(4) Cap. I. de praescript. in VI. — (5) Sess. XXV. de ref. cap. 9. — (6) Syn. trid. ibidem: Fagnanus ad cap. *consultationibus* hoc tit. n. 9. — (7) Fagnanus ibid. n. 7. cap. II. de praebendis in VI.
(8) Cap. VII., et XIII. hoc tit: et Fagnanus ad idem cap. VII. n. 12.

succeditur tamen in eo non in capita, sed in stirpes. Quare pluribus patronis decedentibus, quorum alter duos heredes reliquerit, alter unum, illorum suffragium, aeque ac huius pro uno computatur, quia ambo illi unum tantummodo heredem repraesentant (1).

4. Iuspatronatus transfertur permutatione, scilicet alterius rei spiritualis (2).

5. Donatione, et quidem cum Episcopi consensu, si agatur de translatione in laicum, vel clericum privatum; eo tamen opus non erit, si in Ecclesiam, vel monasterium Iuspatronatus transferendum sit (3).

6. Demum venditione: at non Iurispatronatus per se, quum enim quid spirituali adnexum sit, vendi per se, aliave re temporali permutari nequit, bene vero accessorie, scilicet quum venditur fundus, villa, etc. cui adhaeret. Qua de re iuspatronatus recte dicitur transferri venditione, quae non ipsum ius adficiat, sed solum duntaxat fundum. Quinimmo iurispatronatus venditio, quae per se fiat, non modo irrita, sed et simoniaca communi sententia a Canonistis habetur, uti quoque simoniae labe carere dicendus non est, qui fundum intuitu Iurispatronatus pluris vendat, quum auctum hoc pretium nonnisi ipsum iuspatronatus adficere possit. Alexander III. in appendice concilii lateranensis (4).

XXIII. Postremo iura patronorum in ipsum beneficium, ac beneficiarium restant hic explicanda. Ac 1, patroni ius est Ecclesiam patronatam, eiusdemque fundos, bona, et quidquid ad illam pertinet, defendere, ac tueri (5), Ex quo iure factum est, ut fundatoribus, eorumque successoribus nomen *patroni* adsignaretur (6).

2. Patroni ius est, censum, si quem sibi in fundatione reservavit, exigere. Nihil enim prohibet, quin fundator in ipsa fundatione pensionem aliquam, vel sibi ut et successoribus suis, vel etiam alteri, quotannis solvendam constituat (7). Quinimmo potest fundator eiusmodi conditionem in fundatione adponere, scilicet, fructus Ecclesiae vacantis cedant patrono (8). Veruntamen nequit beneficiarius sua privata auctoritate patrono, vel novam de beneficii proventibus pensionem addicere, vel iam constitutam augere: immo si patrono, quo praesentationem facilius obtineat, ampliora praestare iura spondeat, vix, aut ne vix quidem a symoniaca labe immunis erit.

3. Patronis ius est inspicere, num beneficiarius leges in fundatione sancitas fideliter observet, et proventus ecclesiasticos legitime administret. Ad rem concilium toletanum IV. can. XXXIII: *si amplius quidpiam ab eis beneficiariis praesumptum extiterit, per concilium restauretur: odpellantibus aut ipsis conditoribus, aut certe propinquis eorum, si iam illi a saeculo discesserint.* Expressius synodus toletana IX. can. I: *condignis filiis, vel nepotibus, honestioribusque propinquis eius, qui con-*

(1) Clement. II. hoc tit.— (2) Cap. VI. *de rerum permut.* et caus. 16. q. VII.
(3) Cap. un. hoc tit. in VI.
(4) Part. XVI. tit. *de iurepatr.* cap. 17: et Innocentius IV. apud Matth. paris. *in additamentis* pag. 104., Espenius part. II. tit XXV. cap. 4 a n. 26 ad n. 33.
(5) Conc. tolet. IX. can. I; et II. — (6) Espenius ibid. cap. I. n. 14. — (7) Cap. XVI. *de censibus*: Glossa ad cap. XXIII. *de iurepatronatus.* — (8) Glossa ad cap. XIII. de electione in VI.

struxit, vel ditavit Ecclesiam, licitum sit hanc bonae intentionis habere sollertiam, ut si sacerdotem, seu ministrum aliquid ex collatis rebus praeviderint defraudare, aut commonitionis honestae conventione compescant, vel Episcopo, vel Iudici corrigenda denuntient. Quod si talia Episcopus agere tentet, Metropolitano eius haec insinuare procurent. Si tamen Metropolitanus talia gerat, Regis auditibus, al. auribus *intimare non differant*. Uterque hic canon refertur a Gratiano (1). Igitur ubi synodus tridentina decernit (2): *patroni vero iu iis, quae Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se praesumant ingerere; neque visitationi ornamentorum Ecclesiae, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus immisceant:* eo sensu profecto eiusmodi sanctio intelligenda est, scilicet ne patroni praetextu inspectionis, et defensionis, quae sola ipsis convenit, ipsam proventuum ecclesiasticorum administrationem, quae ad beneficiarium spectat, vel Ecclesiae visitationem, quae Episcopi est, sibi audeant vindicare. Quod etiam iunuit synodus toletana IX., quae *ibidem* statim subnectit: *ipsius tamen heredibus in iisdem rebus non liceat quasi iuris proprii potestatem praeferre... sed hoc solum in salutarem sollicitudinem adhibere*.

4. Patrono tandem ius est, ut si ipse paupertatis infortuniis iactetur, ex fructibus Ecclesiae, si qui supersint, alendus sit (3). Porro eiusmodi subsidium debetur patrono 1, non tamen intuitu paupertatis, quam beneficentiae; quare non alimenta modo, verum etiam quae ad vita decenter sustentandam sunt necessaria, illi erunt praestanda, quantum tamen tum eiusdem conditio postulat, tum Ecclesiae fert facultas. 2, non titulo praesentationis, sed fundationis; unde si patronus ius praesentandi vel dimiserit, vel alteri cesserit, adhuc ipsi ad inopiam redacto subveniendum est.

XXIV. Porro patronis iura quoque honorifica praestanda sunt, quae in externis observantiae indiciis consistunt: hinc patrono deferendus 1, honor processionis (4), scilicet tum in publicis supplicationibus, aliisque huiusmodi processionibus, tum in suscipienda pace, quae in Missa publice in Ecclesia defertur, tum demum et in thuris suffitu, sive thurificatione, prior, et honoratior patrono dandus est locus. Neque enim Ecclesia antiquissimam unquam improbavit praxim; ut nimirum ea etiam, quae ad pietatem, cultumque Religionis Deo imponendum primario instituta sunt, honorificentiori quadam ratione uti Episcopis, et sacerdotibus, ita et patronis praestentur. Et sane iam inde ab antiquis temporibus, uti constat ex veteri Ordine Romano, Episcopis, et sacerdotibus sigillatim, et seorsum a reliquo Clero thuris suffitus deferri consuevit.

2. Debetur honor aquae benedictae, scilicet ut patronus diversa ratione, ac alii, adspergatur. Porro hac in re caveant patroni, ne sibi tradi adspergillum contendant, quo seipsos adspergant, id quod Episcopo duntaxat reservatum est: sed satis habeant si ab ipso beneficiario ritu peculiari adspergantur: neque enim ab alio, quam a Sacerdote ad benedicendum

(1) Can. LX. causs. 16. q. I; et can. XXXI. ibid. q. VII. — (2) Sess. XXIV. de ref. cap. III.

(3) Cod. XXV. hoc tit.: conc. tolet. IV. ibid. can. XXX. q. VII. — (4) Cap. XXV. hoc tit.

ab Ecclesia specialiter constituto, aquae lustralis adspersionem, quae species benedictionis est, licet accipere.

3. Debetur honor precum, scilicet ut publice in Ecclèsia fidelium precibus commendentur, et quidem nominatim. Hoc ius dubio procul spectat *canon XIX*. synodi emeritensis, quae in hanc rem sic habet: *eorum nomina, a quibus eas Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid his sanctis Ecclesiis videntur, aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore Missae: quod si ab hac decesserint luce, nomina eorum cum fidelibus defunctis recitentur in suo ordine.*

4. Debetur honor sedis, scilicet ut perpetua, et specialis in Ecclesia patrono constituatur sedes, et quidem in navi Ecclesiae, vel etiam in ipso choro, vel presbyterio. Antiquitus quidem sacra septa ingredi laicis omnino vetabantur, at secutis temporibus id iuris patronis sensim impertiri coepisse constat ex synodo Wigoniensi can. III: *ne laici stent intra cancellos, dum celebrantur divina, salva tamen reverentia patronorum.*

5. Debetur honor sepulturae, scilicet in honorificentiori Ecclesiae loco patronorum cadavera humanda sunt. Unde sepulturam habere in choro maxime honorificum reputatur. Porro num soli patrono id iuris tribuendum sit, an etiam eius cognatis, adfinibus etc. ex literis fundationis deducendum.

6. Demum patrono ius est stemma gentilitium in Ecclesia patronata adponere, id quod de patrono non solum laico intelligendum, sed etiam ecclesiastico; licet hic, non proprio nomine, sed Ecclesiae duntaxat, vel dignitatis patronatum possideat: quod et de reliquis honorificis iuribus hactenus expositis etiam intelligas.

XXV. Ceterum circa honorifica iura patronis praestanda adtendendae quoque sunt peculiares locorum consuetudines. Ad rem Franciscus le Roy (1): *in officiis, et honoribus exhibendis non modo videndum est, quod lege sancitum, sed quid consuetudine valeat. Modo tamen non eiusmodi consuetudine iura inducantur, quae vel Ecclesiae decori opponantur, vel rectam divinorum officiorum administrationem turbent, quae licet longaevo usu inducta, adhuc tamen poterunt legitima auctoritate aboleri.*

ADDITAMENTA

DE IUREPATRONATUS

I. In Regno neapolitano sub militari regimine civiles leges latae fuerunt die XVIII. iulii 1807., XXII. decembr. 1808; et XXII iulii 1813., quae iuspatronatus evertebant: hae profecto in reditu Ferdinandi I. in nostras ditiones penitus abrogatae sunt: hinc. pauca de eodem iure, brevitate, qua par est, subnectere iuvat, ne illud praeteriisse videar.

(1) Lib. II. cap. V.

II. Enimvero cum iuspatronatus legitimis caussis adquisitum a sua institutione ad Ecclesiae, et Reipublicae utilitatem a Potestate tum ecclesiastica, tum civili sartum, tectumque semper fuerit servatum, hinc conventione novissima an. 1818. de abrogandis legibus, quae in ipsum ius sub militari Gubernio latae erant, diserte fuit provisum.

III. Et nimirum art. V. eiusdem conventionis cum dispositiones de canonicatibus, atque Capituli dignitatibus in Ecclesiis citra Pharum extantibus, ibi latae essent, diserte cautum easdem in canonicatus patronatus regii, ecclesiastici, et laicalis minime respicere

IV. Rursus art. VII., quo cautum de sufficienti paroeciarum congrua, excipiuntur etiam tituli curati iurispatronatus canonice adquisiti, respectivis patronis illud oneris relinquendo.

V. Quare a pientissimo Rege Nostro Ferdinando I. regio diplomate sub die XX. Iulii an. 1818 decretum.

1. Dispositiones legis an. 1807. latae, ac reg. diplomat. an. 1818, et 1813., quae nimirum iurispatronatus extinctionem respiciebant, penitus abrogari.

2. Patronata ecclesiastica, et laicalia, licet curata, in patronorum iura redintegrentur iuxta canones cum omnibus iuribus tum utilibus, cum onerosis, et honorificis.

VI. Illud etiam animadvertendum est, quod redditus vacantium beneficiorum iurispatronatus ad dioecesanam administrationem, quam conventio an. 1818. instituerat, devolvuntur. Supremi enim Concordati Executores ad rem diserte dixerunt: » cuiusvis beneficii redditus sive iurispatronatus, » sive liberae collationis sub eodem respectu esse existimandos, adeoque » praedia iis titulis adnexa, utpote Deo dicata, eorumque fructus vacante » beneficio, dioecesanae Administrationi tribuendos esse. Excipiuntur vero » legata pia, necnon patronatus, quibus conditio inhaereat vel in ipsa ere- » ctione, vel posteriori instrumento, qua diserte praescribitur vacantis be- » neficii fructus, in certos usus esse erogandos. » Hanc porro declarationem latis legibus confirmarunt, tum Summus Pontifex Pius VII. anno 1818, tum Rex Noster Ferdinandus I. regiis rescriptis sub die II. ianuarii 1819., et IV. augusti 1821, quorum altero statutum, declarationem, quam exposuimus, in utriusque Siciliae Regno executioni mandari, altero provvisum, quod Episcopi ex aequo, et bono controversias, quae inter partes de beneficiorum redditibus exorirentur, dirimerent. Additum etiam fuit quod si episcopali auctoritati litigantes non parerent, iudex laicus quod opus esset, expleret.

VII. Praeterea cum nulla sacrae disciplinae ratio patiatur clericos in perpetuum aliquod obire in altaris ministerio officium, nisi ab Ecclesiae Pastoribus sint canonice instituti (1), hinc controversiae omnes, quae vel de beneficiorum collatione, vel de qualitatibus beneficiariorum, vel de ipsius beneficii privatione, vel de excitandis, coniungendis, vel partiendis beneficiis oriri possunt, in foro dumtaxat ecclesiastico rite definiuntur.

(1). Can. omnes basilicae 10. c: XVI. q. I. Alex. III. in cap. ex frequentibus 3. de instit. Bonif: VIII. cap: I. de reg: iuris in VI.

Etsi autem ius patronatus sit temporale (*) quatenus per dotationem, aut Ecclesiae fundationem adquiritur,et cum bonis in haeredes transfertur, officio tamen sacro, rei nempe spirituali illud cohaeret, ac proinde quae spiritualibus sunt adnexa,eodem iure iuxta canones existimantur, ac ipsa spiritualia (1), cum res magis digna, nempe spiritualis ad se trahat minus dignam, et accessoriam, idest temporalem (2).

VIII. Quamobrem conventione inita an. 1741. inter Benedictum XIV. Summum Pontificem, et Carolum III. utriusque Siciliae Regem cap. VI. art. IV. diserte sancitum : *caussas beneficiarias ad episcopale forum pertinere, dummodo non agatur de iure patronatus regio, aut feudali in iis tantum caussis, quarum decisio ex eo pendet articulo, utrum sit patronatus feudo adnexus, an non, aut de universitate bonorum in aliis beneficiis laicalibus, iuripatronatus obnoxiis.* Hinc exorta controversia inter patronos simplicis beneficii in quadam Ecclesia aversanae dioecesis erecta, regio rescripto sub die IX. Ian. an. 1770. fuit provisum, quod eiusdem Ecclesiae Episcopus illam definiret.

IX. Denique concordatorum lege an. 1818. art. XX. sancitum, quod Episcopi *caussas ecclesiasticas in eorum foro cognoscerent, atque de illis sententiam ferrent.* Unde regio rescripto sub die IX. Nov. 1819. episcopalis iurisdictio in caussis beneficiariis de patronatu ecclesiastico, et laicali apertissime agnita fuit, ac proinde expresse decretum quaestionem exortam de Primiceriatu huiusce Ecclesiae metropolitanae iuri patronatus obnoxio inter agnatos et cognatos ex familia de Ianuario descendentes, ecclesiastico iudicio definiendam esse.

TITULUS XXVI.

DE PECULIO CLERICORUM

I. Peculium sic dictum, quasi *pusilla pecunia,* sive *patrimonium pusillum*, quod servus domini permissu separatum a rationibus dominicis habet (3). De vario peculii genere opportunius in *institutionibus civilibus :* illud autem hic tantummodo observandum, bona, quae clerici in Ecclesiae ministerio sibi comparaverint, non immerito peculii nomine donari. Sicuti

(*) Summus Pontifex Alexander III. (in cap. de iure 16. de iurepat.) iuspatronatus temporale adfirmat, quippequod ex re temporali, a prediis nempe, quae Deo dicantur, ortum ducit. Istud autem ius spirituali dicitur adnexum ob quamdam *societatem,* quam illud cum re spirituali, idest cum Ecclesia inire videtur, ut opinatur Panormitanus: vel per *antecedentiam,*quia praesentatio,antecedit exercitium spiritualis officii, quod clericus Ecclesiae prestare debet, ut tradit de Marca (lib. VIII. de concor. Sacer., et Imper. cap. 24.), vel denique, *quia ordinatur ad spiritualia,* nempe ad praesentationem clerici, ut beneficio instituatur, ut docet S. Thomas (1. 2. quaest: 100. art. 4.).

Tandem Canonistae iuspatronatus etiam spirituale dicunt, quia in christiana communione illud fundamentum habet, necnon in commercium sine labe simoniaca venire non potest:et patroni in poenam admissi alicuius gravioris criminis eodem iure ecclesiastica lege privari possunt.

(1) Cap. V. ex. de rer. permut. — (2) Cap. VII. ex. de trans:

(3) L. V. *Dig de peculio,* et L. XXVII. Dig. *de adquirendo rer. domin.*

enim peculii apud romanos servus non verum dominium, aut proprietatem habebat, sed tantummodo usum, et administrationem, et quidem domini ipsius, permissu, ad quem, servo moriente, peculium cum suis inde adquisitis accessionibus ipso iure redibat, ita clerici bonorum ecclesiasticorum nonnisi administrationem habent, ipsisque decedentibus, ad Ecclesiam, cui a fidelibus primitus oblata sunt, ex sui θσια *natura* redeunt.

II. In libris decretalium titulus prostat, cuius λεμμα *de peculio clericorum*. Verum in decretalibus, quas titulus ille complectitur, *peculii* nomen non occurrit, sed duntaxat in ipsis cavetur, ut bona, quae clerici ex Ecclesiae ministerio postOrdinationem sibi adquisiverint, ad Ecclesiam, tanquam res ad ipsam pertinentes reservantur: *quamobrem admodum verisimile est rebus Ecclesiae, quae clericis ad usum conceduntur, nomen peculii inditum fuisse, postquam facta beneficiorum erectione, ipsa bona Ecclesiae, quasi in quibusdam portiones singulis titulis adnedas, dividi, et a communi massa bonorum Ecclesiae separari coeperunt* (1).

III. Igitur bonorum ecclesiasticorum clerici nonnisi administrationem habent, et usum eorumdem proprietate Ecclesiae reservata; idque pluribus evincitur.

Ac I. Iulianus Pomerius de bonis Ecclesiae in hunc modum statuit (2): *scientes nihil aliud esse res Ecclesiae, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum*. Si haec bonorum Ecclesiae θσια est, quisnam eorundem dominium unquam sibi vindicabit?

2. Porro iam antea Augustinus epistola *L*. bonorum Ecclesiae nonnisi procurationem, sive administrationem clericis adseruerat, qui id iuris tantummodo sibi tribuant, iisdem scilicet, aeque ac pauperes, et simul cum pauperibus, utendi: *si pauperum, compauperes sumus, et nostra sunt, et illorum Si autem privatim, quae nobis sufficiant, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus*.

3. Omnes quotquot in Ecclesia unquam floruere Episcopi, et clerici pietate, doctrinaque conspicui suis praeceptionibus, exemplisque tradiderunt clericis ex Ecclesiae reditibus haud licere, nisi necessaria percipere, aliquid amplius accipere sacrilegium esse, reliquos, qui superessent, in pauperes omnino erogandos. Concilium antiochenum can. XXX. hoc de capite sic decernit: *Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes, qui indigent, cum summa reverentia, et timore Dei... Quod si convertat res Ecclesiae in suos usus domesticos... synodo Provinciae poenas ipse persolvat*. Tum canon ex sic dictis apostolicis num. XLI: *potestate eius*, Episcopi, *indigentibus omnia dispensentur per presbyteros, et diaconos*. Eadem habent et alii conciliorum canones in hanc rem sanciti: adhaec et Patres aeque orientales, ac occidentales apud Thomassinum (3). Hactenus producta speciminis duntaxat loco esse possunt.

IV. Neque dicas bona ecclesiastica hanc naturam exuisse, ubi redditus Ecclesiae in portiones partiti, ac in beneficia erecti sunt. Namque 1, etiam

(1) Espenius part. II. tit. XXXII. cap. 2. n. 2. — (2) De vit. contempl. lib II. cap. 9. — (3) Part. III. lib. III. cap. 26; et 27.

post einsmodi partitionem bona ecclesiastica passim dicta sunt vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonium pauperum: ita s. Bernardus, Petrus Damianus, Petrus Blesensis, celebriora concilia provincialia etiam posterioribus saeculis habita, ac postremo synodus tridentina (1).

2. Bona ecclesiastica ex primigenia sua origine, quae ipsis *ϐσιωδης essentialis* est, oblationes fidelium sunt Ecclesiae factae, ut inde Ecclesiae ministri non ditescant, aut luxuriose secum agant, sed tantummodo, ut inde alimenta percipiant, reliqua vero pauperibus distribuant. Sicuti enim dignus est mercenarius mercede sua, ita non debet unus esurire, dum alter ebrius est. Ad rem s. Bernardus (2): *conceditur ergo tibi, ut si bene deservis, de altario vivas, non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut inde compares tibi fraena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata... quidquid praeter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.*

3. Ex Christi doctrina, quam luculentius exponit Apostolus, ea prorsus omnium terrenorum bonorum ratio fidelibus habenda est; nimirum ut victu, vestitu, ceterisque ad vitam honeste agendam necessariis sibi reservatis, reliqua indigentibus distribuant, atque ita quantum corruptae naturae conditio fert, ex superfluis divitum opibus pauperibus recreatis, omnes ex aequo Deo bonorum omnium largitori grates rependant. Unde Lucae XI. 41. *Quod superest, date eleemosynam:* et disertius s. Paulus (3): *habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Et alibi (4): *sint mores sine avaritia, contenti praesentibus.* Haec autem verba non simplex consilium esse, sed verum praeceptum consentiunt plerique sanioris doctrinae theologi, ac interpetres. Sane Gulielmus Estius in dicta Apostoli loca in hunc modum se habet: *quaeres utrum consilii sit, an praecepti, quod dicit,* his contenti simus, *respondeo, praeceptum esse, idemque ad omnes pertinens, atque adeo ex ipsa naturae lege profectum... Si adfluant divitiae, retineri licite possunt, modo cor iis non adponatur, sed secundum Dei leges expendantur in necessitates aliorum. Etenim et hoc natura docet, et charitas exigit, ut membrum abundans re sibi non necessaria, transmittat eam ad alia membra quae indigent. Habetur idem praeceptum ad hebraeos XIII:* sint mores sine avaritia, contenti praesentibus. *Porro quod diximus in Apostoli verbis contineri, amplius confirmat per hoc, quod sequitur;* nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli: hactenus Estius. Porro si hoc de terrenis quibuscunque bonis iudicium ferendum est, quam potiori iure idem statuendum erit de bonis Ecclesiae? praesertim quum haec clericis non propter operas, laboresque praestitos, sed duntaxat propter indigentiam adsignata sint. Adhaec illorum verum dominium, proprietatemque iure sibi adserunt laici, at istorum nonnisi dispensationem, administrationemque clerici sibi vindicare possunt. Ad rem canones sic dicti apostolici can. XLI.: *potestate eius* Episcopi *indigentibus omnia dispensentur... ex his autem quibus indiget (si tamen indiget) ad suas necessitates, et*

(1) Apud Thomass. ibid: et apud Espenium part. II. titul. XXXI. cap. 3.
(2) Epist. II. ad Fulconem. — (3) Epist. I. ad Timoth. VI. 8. — (4) Epist. ad hebr. XIII. 5.

ad peregrinorum fratrum usus ipse percipiat. Et canon antiochenus XXV. *participet autem, et ipse, quibus indiget (si tamen indiget) tam in suis quam in fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis.* Profecto ex dictis quisnam non colliget, clericis reddituum, quos ex Ecclesiae bonis accipiunt, haud quidem dominium, vel proprietatem, at vero oeconomiam duntaxat, sive dispensationem sibi adserere licere?

V. Iam vero ex hactenus productis aeque veteribus, ac recentioribus ecclesiasticis monumentis illud quoque effici, cogique posse videtur, scilicet clericis in redditaum ecclesiasticorum usu moderationem servandam. Et sane Hieronymus in hanc rem sic habet (1): *Apostolus Paulus*, qui altari, *inquit*, serviunt, de altari participant, et vivunt. *Permittitur tibi, o Sacerdos, ut vivas de altari, non ut luxurieris.* Non absimili ratione loquitur s. Bernardus, cuius verba modo protulimus, Ambrosii, et Augustini tum in vestitu, tum in mensa frugalitatem, sobrietatemque graphice describit Possidius (2). Tum Augustinus ipse serm. LV. de diversis : *nolo talia offerat Sanctitas vestra, quibus quasi ego decentius utar. Offeratur mihi verbi gratia byrrhum pretiosum, forte decet Episcopum... Qualem potest habere presbyter, qualem potest habere decenter diaconus, et subdiaconus, talem volo accipere, quia in commune accipio. Si quis meliorem dederit, vendo, quod et facere soleo... vendo, et erogo pauperibus. Si hoc enim delectat, ut ego habeam talem, det unde non erubescam. Fateor enim vobis, de pretiosa veste erubesco; quia non decet hanc professionem, hanc admonitionem, haec membra, hos canos.* Similia frugalitatis exempla tum in antiqua, tum in recentiori ecclesiastica historia passim occurrunt (3).

VI. At enim hujusmodi frugalitas sanctissimis Ecclesiae Episcopis voluntario, suaque sponte suscepta dicenda erit? haud sane; ecclesiasticae enim sanctiones identidem sancitae occurrunt, quibus ea praescribitur. Sic canones carthaginenses XIV., et XV: *ut Episcopus non longe ab Ecclesia hospitiolum habeat ... Ut Episcopus vilem supellectilem, et mensam, et victum pauperem habeat, et dignitatis suae auctoritatem fide, et vitae meritis quaerat.* Synodus antiochena can. XXV: *participet autem et ipse, quibus indiget... ita ut in nullo qualibet occasione fraudentur, iuxta s. Apostolum:* habentes victum, et tegumentum, his contenti simus. *Quod si contentus istis minime fuerit, convertat autem res ecclesiasticas in suos usus domesticos, et eius commoda..... Synodo Provinciae poenas iste persolvat.* Eadem habent synodi laodicena *can. LV.*, sardicensis *can. VIII.*, cabilonensis II. *can. IV.*, parisiensis VI. *can. XIX.*, synodi trullana *can. XCII.*, nicaena II. *can. XVI.*, aliaque seeutis temporibus habita concilia, ac demum synodus tridentina (4), concilia provincialia mediolanensia s. Caroli Borromaei tum et provincialia neapolitana I. *cap.* 22. et II. *tit. IX. cap.* 5. Videsis Thomassinum ibidem.

VII. Duo hic supersunt excutienda: primum, num clericis, quibus ex bonis patrimonii abunde est, ex ecclesiasticis redditibus vitam transigere

(1) In Mich. cap. II — (2) In vita Augustini cap. XXII. — (3) Videsis Thomas. ibid. cap. XXXIV. ad XLI.
(4) Sess. XXII. de ref. cap. I.

fas, iusque sit, bonis patrimonialibus, vel seorsum reservatis, vel in usus profanos expensis. Alterum, num clericis de bonis Ecclesiae testari liceat. Porro ex productis in hoc titulo haud paucis ecclesiasticis sanctionibus, tanquam ex iactis fundamentis, utriusque capitis definitio erui posse videtur.

VIII. Et sane primum quod spectat, communior quidem recentioris aevi canonistarum, et theologorum fert sententia, ut ea clericis tribuatur facultas, qua scilicet, reservatis patrimonii redditibus, possint ex bonis Ecclesiae vitam ducere: at quomodo haec opinio cum inconcussis, immobilibus, nullique mutationi obnoxiis disciplinae ecclesiasticae canonibus conciliari queat, profecto non video.

IX. Et sane I, Clericis ex ecclesiasticis proventibus nonnisi quantum indigent, si tamen indigent, participare fas est. II. Non tanquam merces pro praestitis operibus, sed tanquam vitae subsidia redditus ipsis ab Ecclesia adsignati sunt. III. Tanquam pauperes, vel pauperum compauperes victum, vestitumque ex bonis Ecclesiae accipiunt. IV. Bona Ecclesiae patrimonium pauperum sunt, quorum administrationem duntaxat sibi iure adserunt clerici. V. Ex Christi doctrina: *gratis accepistis gratis date*, tenentur clerici Ecclesiae, plebique ministerium gratis exhibere: in quod praeceptum, uti non impingunt, qui ex bonis Ecclesiae nonnisi stipendium accipiunt, quo ut possint laborare, pascantur, ita illud violare videntur ii, qui patrimonio divites ex bonis Ecclesiae vivere malunt.

X. Merito igitur Cardinalis Bellarminus, Thomassinus, Estius, Prosper Fagnanus, Espenius, aliique purioris disciplinae ecclesiasticae studiosissimi theologi, et canonistae in alia omnia abeunt, beneficiariis nonnisi ob indigentiam proventuum ecclesiasticorum usum tribuentes. Iam vero inde ne colligas clericum patrimonio divitem beneficium retinere non posse, uti quoquo neque improbanda videtur illorum clericorum praxis satis antiquitati conformis, qui, ut expeditius Ecclesiae, ac plebi ministerium exhibere valeant, domesticum patrimonium dimittentes, de altari, cui inserviunt, vitae subsidia sibi parant (1).

XI. Quantum vero ad alterum, scilicet num clerici de bonis ex Ecclesiae ministerio sibi comparatis decedentes per tabulas, sive testamentum disponere possint, paucis me expediam. Antiquitus quidem clericis de bonis Ecclesiae testari omnino fuisse vetitum constat (2): *clerici qui nihil habentes ordinantur, omnia quae post ordinationem compararunt, Ecclesiae conferre* iubentur duntaxat de bonis, quae ipsis *vel liberalitate alicuius, vel successione cognationis obvenerint, facere inde, quod eorum proposito congruit*, ipsis permittitur.

XII. Eiusmodi disciplina, quam firmarunt Gregorius M. (3), Iustinianus (4) ad saeculum usque XII. in Ecclesia perdurasse videtur. In concilio enim lateranensi III. *cap. VII.* adversus clericos, qui bona per Ecclesias suas adquisita in alios transferre praesumebant, in hunc modum sancitum est: *hoc igitur, quia antiquis canonibus constat inhibitum, nos indemnitati Ecclesiae providere volentes, sive intestati decesserint, sive aliis con-*

(1) Videsis Thomass. ibid. cap. V.—(2) Can. apost. XL., antiochen. XXIV., et conc. chartag. III. can. XLIX.
(3) Cap. I. *de testamentis*; — (4) L. XLII. §. 2. C. *de Episc., et cler.*

ferre voluerint, *penes Ecclesias eadem bona praecipimus permanere.*

XIII. Veruntamen ille sensim mos invehi coepit, ut duntaxat in pias caussas per testamentum de bonis Ecclesiae aliqua disponerent, quem morem *consuetudinem non improbandam* vocat idem Pontifex *ibidem cap.* 12. At postea eiusmodi consuetudo adeo extensa est, ut clerici liberam de bonis Ecclesiae, aeque ac de patrimonialibus, testandi facultatem sibi adrogarent. Hoc antiquis canonibus vulnus inflixere, tum disciplinae remissio, tum difficultas discernendi bona ecclesiastica a patrimonialibus, tum denique nimia R. Pontificum, Episcoporumque facilitas clericis liberam testandi veniam impartiendi.

XIV. Quum vero, uti recte notat Fagnanus (1), neque consuetudine, neque R. Pontificis venia fieri possit, vel ut clericis de bonis ecclesiasticis abuti fas sit, vel ut bonorum ecclesiasticorum *ὄσια natura*, de qua *supr.* immutetur, hinc profecto nemo non videt clericis nullo unquam pacto licere vel profanos in usus de ecclesiasticis proventibus testari, vel, ubi ab intestato decedant, successores habere non indigentes. Boetius Epo, Martinus Navarrus, aliique apud Espenium (2). Eandem quoque synodi tridentinae sententiam fuisse ex eo patet, quod Episcopis, aliisque quibuscumque beneficia ecclesiastica obtinentibus *omnino interdicit*, *ne ex redditibus Ecclesiae consanguineos*, *familiaresque suos augere studeant; quum et Apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant. Eas autem non distrahant, nec dissipent illorum caussa: immo, quammaxime potest, eos sancta synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis adfectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Quae vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque beneficia ecclesiastica tam saecularia, quam regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione observari, sed et ad S. R. E. Cardinales pertinere decernit: quorum consilio apud ss. R. Pontificem quum universalis Ecclesiae administratio nitatur nefas videri potest, non iis etiam virtutum insignibus, ac vivendi disciplina eos fulgere, quae merito omnium in se oculos convertant* (3). Qua de re testamenta clericorum de ecclesiasticis proventibus in profanos usus, licet propter odia litum in foro contentioso non reprobentur, qui tamen ita disponunt ab iniustitia immunes non erunt, dum bona ecclesiastica contra ipsorum *ὄσια naturam* profundunt. Igitur canones, quibus vetantur clerici de bonis ecclesiasticis in usus profanos, vel in favorem consanguineorum disponere, *absit*, *ut etiamnum non obligent. Nemo se seducat*, *Deus non irridetur* (4).

(1) Ad cap. *si quis de peculio clericorum.*
(2) Part. II. tit. XXXII. cap. 7. — (3) Trid. sess. XX. de ref. cap. I.
(4) Christianus Lupus apud Espenium part. II. tit. XXXII. cap. VII. n. 32.

FINIS LIBRI II.

INSTITUTIONUM

CANONICARUM

LIBER TERTIUS

Ecclesiasticae iam hinc iurisdictionis amplitudinem, iudiciorum formam, necnon criminum, poenarumque discrimen, et conditionem peragemus: quae sane institutionum nostrarum pars, omnium licet postrema ordine, difficultate tamen, et pondere praestare censenda est reliquis omnibus, quas hactenus prosecuti sumus. Quum enim maxime interest divinae istius societatis, quae in coelis radices agit, propriam in iure dicendo potestatem cognoscere, tum vero ipsius potestatis indolem, characteres, et confinia statuere, periculosae plenum opus aleae semper a viris vel sapientissimis habitum est. Nos pro instituti nostri ratione veterem, recentioremque Ecclesiae disciplinam investigantes, quid iuris olim obtinuerit, quid hodie in iudiciis ecclesiasticis obtineat, pro virili distincte, et dilucide enucleabimus. Sit igitur.

TITULUS I.

DE IURISDICTIONE ECCLESIASTICA

I. Unicuique sacras paginas vel leviter versanti facile occurrunt receptissimum illud potestatem, ac iudiciorum discrimen, quod diversa officiorum, caussarum, poenarumque ratione discretum, et constitutum ubique se pro-

dit, ecclesiasticae scilicet potestatis, et regiae. Haec in res, quae κατα πολιτειαν versantur, inquirit, per quam Reges de iis omnibus, quae sibi subditos spectant, leges perferre, iudicia exercere, poenas denique temporales infligere queunt. Illa, de qua nunc agimus, quaeque κατα εκκλεσιαν est, spiritualem populorum procurationem, ceu σκοπον intuetur: atque adeo et ipsa facultatem ecclesiasticis praebet ministris sanciendi leges, diiudicandi lites, et in delicta animadvertendi: omnia tamen ea mente, ut hominum animas ad aeternam beatitudinem veluti manuducant. Sic II. Paralip. 19. *Azarias Sacerdos, et Pontifex vester in iis, quae ad Deum pertinent, praesidebit. Porro Zabadias filius Ismael, qui est Dux in domo iuda, super ea opera erit, quae ad regis officium pertinent.* Tum in novi Foederis Codice s. Paulus (1): *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus s. posuit Episcopos regere ποιμαινειν Ecclesiam Dei.* At vero ad Titum III: *admone illos principibus, et potestatibus subditos esse*; et ad Romanos III: *omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Non est enim potestas, nisi a Deo... Non enim sine caussa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo enim et tributa praestatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes.*

II. Atqui spiritualem potestatem regiae, et civili longe praecellere Patres uno ore docuerunt. Profecto quanto divina humanis, caelestia terrenis, aeterna caducis praestant, tanto illam antecedere saepe praedicarunt. Ad rem Chrysostomus de utraque disserens (2): *quantum igitur*, inquit, *distat inter corpus, et animam, tantum iste principatus ab illo differt.* Porro uti corpus, licet animae sit subditum, necessario tamen ad perfectum hominem constituendum requiritur, haud prorsus dissimili ratione Sacerdotium, et Regnum, quantumvis muniorum diversitate distent, et unum alterum praemineat: utroque tamen ad perfectam Rempublicam constituendam opus est. Unde Isidorus Pelusiota (3): *ex Sacerdotio*, inquit, *et regno rerum administratio conflata est, quamvis permagna utriusque differentia sit: illud enim veluti anima, et hoc veluti corpus ad unum eundemque finem.* Adhaec uti corpus, et anima duae substantiae sunt, quae licet inter se distinctae, et una altera nobilior, sibi tamen invicem in vitae muneribus peragendis inserviunt, haud secus utraque illa Potestas, licet una ab altera omnino distincta, et una alteri praestet, (quum ab uno quidem summo Deo, tanquam uno fonte emanent, at diversis scatebris) una tamen alteram mutuis officiis adiuvare debet, ut temporalis simul felicitas, aeternaque salus christiano populo procuretur Profecto uti Ecclesiae Pastoribus demandatum est reverentiam erga saeculi Principes in fidelium animis excitare, ita etiam Principes, et quidem potiori ex ratione, convenit iura Ecclesiae regia auctoritate adversus contumaces tueri, et propugnari. Hinc s. Leo m. (4): *debes*, inquit, *incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatum, ut ausus nefarios comprimendo, ea quae bene statuta, defendas, et veram pacem iis, quae sunt turbata, restituas.* In huius libri tractatione, prout sese opportuna nobis offert occasio, mutua Ecclesiam inter, et saeculi Prin-

(1) Act. XX.—(2) Hom. XV. in epist. II. ad corinth. —(3) Lib. III. epist. 249.
(4) Lib. II. epist. 61.

cipes officia proferemus. Iam vero nunc ab ipso iurisdictionis nomine, eiusque natura definienda, ut ratio postulat, initum facimus.

De vocabulo iurisdictio *eiusque variis notionibus*

III. Ac primo nomen quod spectat, profecto illud antiquitus receptum in Ecclesia haud facile invenimus, quum neque concilia, neque Patres illud unquam adhibuerint, magisque *potestatis*, et *auctoritatis* vocabula usurparint. At secutis temporibus praesertim postquam, restituto iuris civilis studio, illi prae omnibus ecclesiastici operam sedulo navare coeperunt, pedetentim in iure nostro receptum est.

IV. Porro huius vocabuli non una, eademque notio est in iure aeque civili, ac canonico. Iure namque civili, vel potestatem denotabat, eamque magistratuum propriam, qua eis caussas cognoscendi, ac lites decernendi facultas dabatur, in quo quidem a simplici differebat *notione*, qua nonnisi facultas erat ius dicendi in certa aliqua caussa a magistratu alicui impertita sive delegata, iudicum pedaneorum, et arbitrorum propria (1): vel potestatem efferebat indicis dandi ex Harmenopolo (2) *το γαρ διδοναι δικαςην δικαιοσιας εςι iudicem enim dare iurisdictionis est.* At iure canonico latius patet eius significatio. Omnes enim potestates, quibus Episcopi, aliique ecclesiastici iudices pollent, sive caussas audiant, sive lites decernant, sive iudicia ferant, sive poenas infligant, singulare iurisdictionis nomen complectitur.

De fori interioris et exterioris origine

V. Potestas, qua Christus Dominus Ecclesiam suam praeditam, ac munitam voluit, omnino spiritualis est; eaque bifariam dirimitur, scilicet ut altera Ordinis sit, iurisdictionis altera. Illa circa Sacramenta versatur, eorumque administrationem, de qua sit satis, quod *superiori libro* disseruimus. Haec vero, de qua nunc agimus, rursus dividitur, atque unam fori interioris adpellant, quae in iudicio poenitentiali exercetur, alteram vero fori exterioris, hoc est, *contentiosi*, quae tamen res, et personas ecclesiasticas peraeque complectitur.

VI. Plura huc faciunt Scripturae loca, ac primo quod ad interiorem spectat, sic loquitur Christus apud Matth. XXVIII: *data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes*; tum illud Ioannis XX.: *accipite Spiritum s. quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ad exteriorem referuntur tum illud Christi pariter apud Matthaeum XVIII: *si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum, si te non audierit, adhibe tecum unum, aut duos, ut in ore duorum, aut trium testium stet omne verbum; quod si non audierit eos, dic Ecclesiae: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus*, tum et illud Pauli (3): *adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub*

(1) L. V. D. *de re iudic.* — (2) Lib. I. tit. IV. §. 1.
(3) Epist. I. ad Tim. 5.

duobus, aut tribus testibus Porro et in potestate remittendi, ac retinendi quandam fori exterioris scintillam emicare suo loco demonstrabimus.

VII. Patet igitur utramque illam potestatem ab ipso sui Auctore Christo Domino Ecclesiam accepisse. Et quidem priori munita, quae credenda, aut agenda sunt, fidelem populum docet, ac per Sacramenta corroborat; posteriori vero in ψευδο christianos Christi doctrinam corrumpentes, alterantes, negligentes censuris animadvertit: illa humiles peccatores absolvit, hac pertinaces ab Ecclesiae communione removet, altera αξιες *dignos* Pastores, ac Ministros christiano gregi praeficit: altera αναξιες *indignos* propellit.

De potestate Episcoporum in audiendis et decidendis caussis saecularibus

VIII. Atqui et spiritualis haec externi fori iurisdictio in caussa fuit, cur temporalis etiam quaedam in Ecclesia exurgeret potestas, et quidem Religionis intuitu. Profecto iam inde ab aevo apostolico vetabantur christiani ethnicorum fora adire, si quae lites eos exagitarent, sed potius fideles arbitros constituere, et ad eos suas caussas deferre iubebantur. Hinc s. Paulus (1), veluti crimen vertit Corinthiis, quod suas caussas Ethnicorum foris diiudicandas deferrent: *audet aliquis vestrum*, inquit, *habens negotium adversus alterum iudicari apud iniquos, et non apud sanctos? an nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis. Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis saecularia? Saecularia quidem iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Praeterea hoc passim repetitum in veteribus Ecclesiae sanctionibus occurrit. Sic auctor constitutionum apostolicarum II. 45: *et ne adeat ad iudicium gentilium: immo ne patiamini, ut saeculares magistratus de caussis vestris iudicent.* Et ibidem cap. seq: *ne igitur disceptationes vestras gentiles cognoscant.*

IX. Profecto nobis colligere datur, non alia de caussa ab Apostolo primum, dein et ab aliis Episcopis interdictum fidelibus suas lites ad ethnicorum fora definiendas deferre, nisi quod hoc sanctissimis illis christianae Religionis antesignanis in Ecclesiae dedecus redundare videretur: praebebatur enim ethnicis occasio minus habendi christianos, utpote inter quos quotidie lites exorirentur, quum se charitatis, et fraternitatis lege constringi palam praedicarent. Fideles igitur, ubi inter se lites emergebant, ex suorum numero unanimi consensione quos aptiores putabant, Episcopos ut plurimum arbitros constituebant, quorum sententia, lite diiudicata, et composita, remotis iurgiis, contentionibus, conviciis, pacati discedebant. Vere aurea christianae Religionis epocha!

X. Apage tamen credas Apostolum per vocem *contemptibiles* revera ineptos, ac vilis farinae homines litium arbitros velle, at magis vocem illam comparative usurpasse dicendus est: docens scilicet eos, qui minimi in Ec-

(1) Epist. I. ad Cor. 6.

clesia habentur, et ad maiora eiusdem ministeria inepti reputantur, aptiores longe esse ethnicis ad fidelium dissidia componenda.

XI. Verum quod Episcopos supra omnes Apostolus spectarit, vel ex ipsius verbis colligere par est. Quid enim sibi volunt verba illa: *nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis saecularia?* Ex quibus Augustinus infert (1): *constituit talibus caussis Ecclesiasticos Apostolus cognitores, in foro prohibens iurgare christianos.* Et alibi (2): *quibus nos molestis adfixit Apostolus non utique suo, sed eius, qui in ipso loquebatur, arbitrio, quas tamen ipsum perpessum fuisse non legimus.* At de hoc capite fusius in nostris *antiquitatibus christianis.*

XII. Iam vero hanc Episcoporum potestatem tam longe abest, ut christiani imperatores interdicerent, aut imminuerent, quin etiam perspicientes magnum, quod inde in imperium profluebat, emolumentum, suis legibus illam confirmare, ac tueri voluerunt. Quod patet ex Eusebio (3), et ex Sozomeno (4), qui referunt Constantinum m. 1, libenter contendentibus concessisse ad Episcoporum arbitrium se referre, quum civilium magistratuum iudicio stare nolleut. 2, praecepisse Episcoporum sententias aeque ratas, et ineluctabiles esse, ac si ab ipso proferrentur imperatore. 3, provinciarum rectoribus, aliisque ministris demandasse, ut quam citius Episcoporum sententias exequerentur.

XIII. Porro hoc ex lege Arcadii, Honorii ita intelligas (5). 1, Ubi uterque litigantium libenti animo Episcopali iudicio stare non dissentiret. 2, Ubi essent caussae merae civiles, non vero criminales: in his enim non modo per leges imperatorias, verum et per Ecclesiae canones Episcopi vetabantur, quo minus iudicum loco seligi possent.

XIV. Adhaec porro cum Episcoporum in hisce charitatis officiis exercendis summa fides, atque eximia probitas, et prudentia elnceret, ac propterea summo in pretio apud imperatores essent, hinc factum est, ut plurima civilia negotia ipsis pertractanda iidem Imperatores crediderint, uti e. g. in curatoribus furioso dandis, in exceptione non numeratae pecuniae creditori absenti manifestanda, in carceribus visendis, in tuendis expositis infantibus, aliisque personis egenis, in aleatoribus coercendis, in scenicarum mulierum libidine cohibenda, atque id genus alia (6) Quum tamen ita haec omnia peragerent, ut potius ad pietatis sanctimoniam, morumque integritatem suae curae commissos restituerent, quam ut physicam coactionem exercerent: eam ob rem eorum in hisce caussis potestas *audientia episcopalis* dicta fuit (7).

XV. Quod vero ad caussas capitales, seu criminales attinet, tanquam Episcopi munus habebatur deprecationis vicem apud civilem magistratum suscipere pro iis, qui capite erant damnati, et illis veniam impetrare. Hoc munere non semel Ambrosius, et Augustinus functi sunt. Paulinus (8), Augustinus (9). Cave tamen putes Episcopos ea mente facinorosorum hominum patrocinium suscepisse ut publicae iustitiae viam obstruerent, at ve-

(1) Serm. XXIV. in Psal. 118.—(2) Lib. de oper. monach. cap. 29.—(3) De vit. const. lib. IV. cap. 27.—(4) Lib. I. cap. IX. —(5) Cod. iustin. lib. 1. tit. 4. 1. 7.
(6) Lib. I. cod. iustin. tit. IV.—(7) Gothofr. in cod. theod. tit. de Episc.—(8) In vita Ambrosii. — (9) Epist. 159. syn. *sardicensis* can. VII.

ro duabus potissimum de caussis. 1, Ut delerent, notam illam nimiae crudelitatis, quam christianis persaepe gentiles iuurere studuerant, omnibus significantes Ecclesiam, utpote piam parentem, a sanguine, et nece licet improborum abhorrere. 2, Ut miseri, et male conciliati illi, qui capite plectendi erant, mortem vitantes suum aevum producerent, et laboriosis poenitentiae operibus sua crimina possent expiare.

XVI. Sed hic animadvertere abs re non erit ex Ambrosio Episcopos in caussis civilibus, ac praesertim pecuniariis nunquam apud iudices precatores accessisse, cuius rei satis idoneam profert rationem his verbis: *in caussis pecuniariis intervenire non est sacerdotis, in quibus non potest fieri, quin frequenter laedatur alius, qui vincitur, quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur* (1).

TITULUS II.

DE IURISDICTIONE ECCLESIASTICA SPECIATIM AC PRAECIPUE DE CLERICORUM A IUDICIBUS SAECULARIBUS IMMUNITATE

I. Quum tanta fuerit Episcoporum in caussis laicorum potestas, quanta ea fuisse credenda est, quam in clericos exercebant? Ita sane. Id quod ut manifestius, et dilucidius adpareat, quidquid hoc de capite primum ecclesiastici canones, dein et leges imperatoriae efferant, distincte simul, et fideliter exhibebimus. Sit igitur primo.

De clericorum in caussis ecclesiasticis immunitate

II. Ecclesiasticis sanctionibus vetitum clericis vel antiquitus fuit ad laicorum tribunal consistere, ordinemque suum veluti contemptui aliorum exponere. Quamobrem 1, in concilio nicaeno *can. V.* sancitur quotannis in qualibet provincia bis oportere Episcopos in synodum congregari ad clericorum caussas diiudicandas.

2. Concilium constantinopolitanum I. can. VI: *sed si nonnulli.... dicant se habere aliquas adversus Episcopum criminationes, eos iubet s. synodus primum quidem apud provinciae Episcopos accusationem persequi.... Quod si evenerit, ut provinciales Episcopi crimina, quae Episcopo intentata sunt, corrigere non possint, tunc ipsos accedere ad maiorem synodum dioeceseos.*

3. Concilium chalcedonense *can. VIII.* poenis etiam canonicis in clericos illos animadvertendum decrevit qui *lites suas, proprio Episcopo posthabito, ad saecularia fora deferrent*. Constituta poena non equidem levis fuit, erat enim dignitatis amissio, uti patet ex concilium carthaginense III. *can. IX.*, quo statuitur, *ut quisquis Episcoporum, presbyterorum diaconorum, vel aliorum clericorum, si relicto ecclesiastico iudicio, publicis, sive saecularibus iudiciis contendit, etiamsi pro ipso lata fuerit sententia, locum suum amittat, et hoc in criminali iudicio. In civili perdat, quod evicit, si locum obtinere maluerit.*

(1) *De officiis* lib. III. cap. 9.

4. Idem iam sanxerat concilium carthaginense I. can. XI. *clerici, qui superbi, vel contumeliosi sunt coerceantur... Unde si quis tumidus, vel contumeliosus extiterit in maiorem natu, vel aliquam caussam habuerit, a tribus vicinis Episcopis, si diaconus est, arguatur, presbyter a sex, si Episcopus a duodecim.*

5. Idem quoque praescripsere concilium carthaginense IV. can. IX: *discordantes clericos Episcopus, vel ratione, vel potestate ad concordiam trahat: inobedientes synodus per audientiam damnet.*

6. Innocentius I. (1): *si quae autem caussae, vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortae, ut secundum synodum nicaenam congregatis eiusdem provinciae Episcopis iurgium terminetur.*

7. Concilium toletanum III: can. XIII. vetantur *clerici conclericos suos, relicto Pontifice suo, ad iudicia publica pertrahere:* dein subiungitur: *si quis hoc praesumpserit facere, et caussam perdat, et a communione efficiatur extraneus.*

8. Concilium parisiense an. 615: *nullus iudicum neque presbyterum, neque diaconum, neque clericum ullum, aut iuniores Ecclesiae sine licentia*, al. scentia *Pontificis per se distringat, aut condemnare praesumat. Quod si fecerit, ab Ecclesia, cui iniuriam irrogare dignoscitur tamdiu sit sequestratus, quousque reatum suum agnoscat*, al. corrigat, *et emendet.* Eadem exhibent, quae postea deinceps habita sunt concilia.

III. Hanc Episcoporum in cognoscendis clericorum caussis potestatem imperatores adeo non imminuerunt, ut potius legibus perlatis, et exemplis confirmarint. Et re quidem vera 1, Constantinus m. in synodo nicaena quum ab Episcopis multarum accusationum libellos sibi delatos accepisset, eos comburendos iussit, inquiens.: *vos dii estis a vero Deo constituti, ite, et inter vos caussas vestras discutite, quia dignum non est, ut iudicemus deos* (2). Tum ipsemet imperator caussas Caeciliani Episcopi carthaginensi, et Athanasii Episcopi alexandrini Episcoporum synodis definiendas commisit (3).

2. Tum Constantius an. 354. lege lata prohibuit Episcopos in iudiciis, scilicet saecularibus, accusari.. *si quid est igitur querelarum quod quispiam defert, apud alios potissimum Episcopos convenit explorari, ut opportuna, atque commoda cunctorum quaestionibus audientia commodetur.* Profecto tum Patres sardicenses (4), tum s. Hilarius pictaviensis supplici libello apud Constantinum hoc inter cetera postularunt, *ut iudices, quibus provinciarum administrationes creditae sunt, ad quos sola cura, et sollecitudo publicorum negotiorum pertinere debet, a religiosa se observantia abstineant, neque posthac praesumant, atque usurpent, et putent se caussas cognoscere clericorum.*

3. Eandem in caussis duntaxat ecclesiasticis immunitatem clericis omnibus tributam voluere Valens, Gratianus, et Valentinianus: ad Valenti-

(1) Epist. ad Victricium rothomag. cap. III. — (2) Eusebius de vita Constant. lib. III. cap. 10: Rufinus lib. I. cap. II.

(3) Optatus milev. collat. contra Donatistas: Socrates lib. I. cap. XX. — (4) Epist. apud Athanasium apol. II. pag. 582.

nianum enim iuniorem de ipsius patre in hunc modum scripsit Ambrosius epistola 32: *augustae memoriae pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit: in caussa Fidei, vel ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis. Haec enim verba rescripti sunt: h. e. sacerdotes voluit de sacerdotibus iudicare.* Et in codice theodosiano eorundem imperatorum sanctio occurrit, quae sic se habet (1): *qui mos est caussarum civilium, iidem in negotiis ecclesiasticis obtinendi sunt:ut si quoe sunt ex quibusdam dissentionibus, levibusque delictis ad religionis observantiam pertinentia, locis suis, et a suae Dioeceseos Synodis audiantur.*

4. Tum Theodosius m. (2): *continua lege sancimus, nomen Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesioe necessitatibus serviunt, ne ad iudicia sive ordinariorum, sive extraordinariorum iudicum pertrahatur habent illi iudices suos, nec quisquam his publicis commune cum legibus quantum ad caussas tamen ecclesiasticas pertinet quas decet episcopali auctoritate decidi.*

5. Arcadius quoque, et Honorius (3): *quoties de Religione agitur, Episcopos convenit iudicare: ceteras vero caussas, quae ad ordinarios cognitores, vel od usum publici iuris pertinent, Legibus oportet audiri.*

6. Adhacc Valentinianus III. (4): *quum inter clericos iurgium vertitur: et ipsis litigotoribus convenit, habeat Episcopus licentiam iudicandi, proeeunte tamen vinculo compromissi. Quod et de laicis, si consentiat, auctoritas nostra permittit.... Quoniom constat Episcopos, et presbyteros forum legibus non habere; nec de aliis caussis (secundum Arcadii, et Honorii divalia constituta, quae theodosianum corpus ostendit) praeter regionem posse cognoscere.*

7. Postremo Iustinianus (5): *has autem actiones, siquidem ad ecclesiastica negotia pertinent, necesse fore iubemus, ut a solis religiosissimis Episcopis, aut Metropolitanis, aut a sacris synodis, aut sanctissimis Patriarchis cognoscantur.* Et novella LXXXIII: *si vero ecclesiasticum sit delictum egens castigatione ecclesiastica, et mulcta, Deo amabilis Episcopus hoc discernat, nihil communicantibus clarissimis provinciae iudicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino scire civiles iudices, quum oporteat talia ecclesiastice exominari.*

IV. Verum in hactenus productis legibus imperatoriis animadvertere est eiusmodi sanctiones caussas, et quaestiones ecclesiasticas Εκκλεσιαςικα ζητηματα respicere. Hoc indicant clausulae in ipsis adpositae: *in caussa fidei, vel ecclesiastici alicuius ordinis... ad religionis observontiam pertinentia... quantum ad caussas tomen ecclesiasticas pertinet... quoties de Religione agitur..... nec de aliis coussis praeter religionem posse cognoscere... siquidem ad ecclesiastica negotia pertinent etc.* Canones vero ecclesiastici prius adlati, quum de caussis clericorum generatim loquantur, potiori quodam iure de caussis ecclesiasticis intelligendi sunt.

V. Quantum vero ad caussas mere civiles, et pecuniarias id iuris obti-

(1) Lib. XVI. tit. II. L. XXIII.
(2) Cod. theodos. ibid. tit. ult. L. III. — (3) Ibid. tit. XI. L. I. — (4) Nov. XII. ad calcem cod. theod. — (5) L. XXIX. § 4. *cod. de episc. audient.*

nebat : nimirum vel inter clericos intercedebunt, et tunc Episcopi erat illas cognoscere, vel inter clericum, et laicum, et tunc integrum erat laico sive actori, sive reo adversus clericum in suo foro, vel actionem intendere, vel ius suum tueri, neque caussam suam ad ecclesiasticum iudicem deferre cogebatur, nisi ex compromisso huiusmodi conditioni sese subiecisset.

VI. Primum quam evidenter ostendunt modo productae ecclesiasticae sanctiones, quibus caussae, quae inter clericos excitentur, Episcopo, vel synodo provinciae discutiendae, ac terminandae reservantur: ac praesertim 1, Canon chalcedonensis IX: *si quis clericus habet cum clerico litem, aut negotium, proprium Episcopum non relinquat, et ad saecularia judicia non excurrat* etc.

2. Quibus addesis *canonem XI.* concilii cabilonensis I., quo excommunicationis poena infligitur in iudices; qui *publice contra veteranam consuetudinem per omnes parochias, vel monasteria, quae mos est Episcopis circumire, ipsi illicita praesumptione videantur discurrere, etiam et clericos, et abbates, ut eis proponant, invitos atque districtos aute se faciant exhiberi.quod omnimodis nec religioni convenit, nec canonum permittit auctoritas.*

Tum 3. et *canonem VIII.* synodi matisconensis I., quo sancitur: *ut nullus clericus ad iudicem saecularem quemcunque alium fratrem de clericis accusare, aut ad caussam dicendam trahere quocunque modo praesumat, sed omne negotium clericorum, aut in Episcopi sui, aut in presbyterorum, vel archidiaconi praesentia finiatur.*

VII. Alterum plures quoque conciliorum canones efferunt, quorum tamen plerique petendam Episcopi veniam iubent. Ita 1, concilium epaonense *can XI.* iuxta Sirmondi editionem: *clerici si pulsati fuerint, sequi ad saeculare iudicium non morentur.*

2. Concilium aurelianense III. can. XXXI.: *clericus cuiuslibet gradus sine Pontificis sui permissu nullum ad saeculare iudicium praesumat adtrahere. Neque laico, inconsulto sacerdote, clericum in saeculare iudicium liceat exhibere.*

3. Concilium aurelianense IV. can. XIII.: *si quis iudicum clericos.... publicis actionibus adplicare praesumpserit, si a sacerdote admonitus emendare noluerit, cognoscat se pacem Ecclesiae non habere.* Et can. XX.: *ut nullus saecularium personarum praetermisso Pontifice, seu praeposito Ecclesiae, quemquam clericorum pro sua auctorite constringere, discutere audeat.* Idem praescribunt et aliae, quae secutis temporibus celebratae sunt synodi.

VIII. Consonant et leges imperatoriae ac precipue 1, novella XII. Valentiniani ad calcem codicis theodosiani *in clerico petitore consequens erit, ut secundum leges pulsati forum sequatur, si adversarius suus ad Episcopi, vel presbyteri audientiam non praestat adsensum.*

2. Marcianus leg. XIII. cod. de episcopali audientia: *decernimus, ut quicunque... sive de ecclesiasticis, sive de propriis, et ad ipsum solum pertinentibus caussis quemcunque earundem Ecclesiarum clericum aliqua voluerit lite pulsare, apud memoratum beatissimum Archiepiscopum caussam dicat... Volentibus tamen actoribus pateat episcopale iudicium, ac nullus, qui huiuscemodi intendit in sacrosanctas Ecclesias, vel in*

praedictos clericos actionem, ad religiosissimum Antistitem ducatur invitus. Non absimili ratione idem imperator loquitur in *leg. XXV.* (1).

3. Iam vero Leo, et Anthemius sanxerunt (2): ut sacerdotes, et clerici *cuiuscunque gradus sint, monachi quoque in caussis civilibus ... apud suos iudices ordinarios, idest provinciarum rectores, in quibus locis degunt, omnium contra se agentium excipiant actiones:* ipsis duntaxat praerogativa indulta: *ne ad extranea iudicia pertrahantur.* Tum Basiliscus tyrannus haud parum clericorum immunitatem deminuit. Verum Leonis imperatoris decretum ad eum tantummodo casum pertinere videtur, scilicet ubi clericus adversus laicum ageret: Basilisci autem acta omnino rescidit Leo iunior, ac veterem immunitatis praerogativam denuo in integrum clericis restituit (3) firmavitque iustinianus (4), ubi statuit, *ut nemo clericus ab aliquo sive clerico, sive laico accusetur... iuxta sacra instituta apud Episcopum civitatis, in qua clericus versatur: tum si is suspectus est, apud Metropolitanum Episcopum reum agat.*

De caussis criminalibus clericorum earumque cognitione

IX. Imperatores duplex criminum genus distinctum voluere, scilicet leviora, et graviora. Leviora Episcoporum cognitioni fuisse a legibus reservata tum 1. ex Ambrosio deducunt, qui supra producto loco: *quin etiam,* inquit, *si alias quoque argueretur Episcopus, et morum esset examinanda caussa, etiam hanc voluit ad episcopale iudicium pertinere;* hoc ad leves duntaxat caussas trahunt Gothofredus (5), et Petrus de Marca (6).

Idem 2, ipsimet auctores inferunt ex modo prolata lege Valentiniani, et Gratiani *ibidem XXIII.*, quae iu hunc modum habet: *si qua sunt ex quibusdam dissentionibus, levibusque delictis ad Religionis observantiam pertinentia, locis suis, et a suae dioeceseos synodis audiantur.*

X. Quod vero in eadem lege statim addatur: *exceptis, quae actio ab ordinariis, extraordinariisque iudicibus, aut illustribus potestatibus audienda constituit:* inde deducunt, clericos in gravioribus quibusdam criminibus a iudicum saecularium potestate non prorsus fuisse immunes: tum ex aliis quoque legibus in eodem Codice extantibus eruunt iure imperiali tunc temporis atrociora quaedam, licet a clericis perpetrata crimina, publicis magistratibus punienda fuisse adsignata. Ac 1, saltem de criminibus gravioribus intelligendam contendunt superius adlatam Arcadii, et Honorii legem, ubi post verba: *quoties de Religione agitur, Episcopos convenit iudicare:* statim subnectitur: *ceteras vero caussas, quae ad ordinarios cognitores, vel ad usum publici iuris pertinent, legibus oportet audiri.*

2. Leg. XX. cod. theod. *ibid.* vetantur clerici, et continentes viduarum, et pupillarum domus, ut inde opes, vel haereditates aucupentur, adire, adiecta poena: *publicis exterminentur iudiciis, si posthac eos ad fines earum vel propinqui putaverint deferendos.*

(1) Cod. *de Episc., et cler.*—(2) L. XXXIII. C. *de Episc., et cler.*—(3) L. XVI. C. *de sacros. Eccles.*
(4) L. XXVIII. C. *de Episc. audient.* — (5) L. XXII. C. theod. *de Episc., et cler.*—(6) Dissert. in cap. *clericus* ad calcem Antonii Augustini.

3. Valentinianus sen. novel. XII. *ibid.* post adsertam clericis in negotiis Ecclesiasticis immunitatem, subiicit: *in reliquis negotiis criminalibus, iuxta legum ordinem, per se iudicium subire cogantur.*

4. Idem imperator novel. V. (1): *quisquis*, inquit, *ex hoc numero clericorum sepulcrorum violator extiterit, illico clerici nomen amittat, et sic stilo praescriptionis addictus, perpetua deportatione plectatur.*

5. Quum in conflictibus, qui in electione Damasi Papae exarserunt, plurimi interiissent, *multos tom clericos, quom laicos a Maximino tunc Praefaecto Urbis supplicio adfectos fuisse*, testatur Socrates (2).

XI. At qui hic volunt in huiusmodi atrociorum criminum caussis clericos non fuisse ab civili potestate omnino exemptos, fateantur tamen oportet ipsis, ac praecipue Episcopis datum fuisse suas defensiones per procuratores, non per seipsos proferre: Valentinianus novel. XII. *si in huiuscemodi ordinis homines Episcopos actionem pervasionis, et atrocium iniuriarum dirigi necesse fuerit, per procuratorem sollemniter ordinatum upud iudicem publicum inter leges, et iura confligant.... quod iis religionis, et Socerdotii veneratione permittimus. Nam notum est procurationem in criminalibus negotiis non posse concedi: sed ut sit ulla discretio meritorum, Episcopis, et presbyteris tantum id oportet impendi.*

XII. Porro sub Iustiniano imperatore magis se explicuit clericorum a iudiciis saecularibus immunitas. Hic enim Imperator 1. *novel. LXXIX.* omnes prorsus monachorum, sanctimonialium, virginum Deo sacrarum, ac mulierum in monasteriis consistentium caussas Episcopis reservatas voluit.

Tum 2. *novel. LXXXIII.* edixit quidem, ut clericorum crimina a praesidibus provinciarum cognoscerentur, at iudicio extraordinario, scilicet *non transcendente lite duorum mensium spatium, et ad sacrorum canonum praescriptum*, unde potius in favorem Ecclesiae, quam in praeiudicium immunitatis ecclesiasticae, constitutionem illam emanasse tradit Gonzalesius (3).

3. Demum *novel. CXXIII.* (4) Episcopos, ceterosque clericos etiam in caussis criminalibus omnino a publicis iudiciis immunes voluisse videtur: cap. enim VIII. sic decernit: *sed neque pro qualibet pecuniaria caussa, vel criminali Episcopum ad iudicem civilem, vel militarem invitum producere, aut exhibere citra imperialem iussionem permittimus.* Tum cap. XXI: *si crimen fuerit quod adversus quamlibet memoratarum personarum, clericorum, monachorum, diaconissorum, monastriarum, ascetriarum inferatur, si quidem apud Episcopum aliquis accusatur, et ipse veritatem invenire potuerit, ab honore, aut gradu hunc secundum ecclesiasticas regulas deiiciat, et tunc competens iudex hunc comprehendat, et secundum leges litem examinans coussae finem imponat.*

XIII. Idem quoque iuris in Italia obtinuisse tum ex pluribus evincitur, tum vel maxime ex eo, quod sub Theodorico Italiae rege omnes Romanorum leges, atque adeo quae ad Ecclesiarum, clericorumque immunitatem spectabant, nulla in parte fuerint antiquatae (5). Quin immo ex pluribus

(1) Nov. V. de sepulcr. violat. — (2) Lib. IV. cap. IX.
(3) Ad cap. VIII. *de iudiciis.* — (4) Cap. VIII., et cap. XXI.
(5) Muratorius annal. Ital. ad an. 513.

Theodorici apud Cassiodorum epistolis liquet, regem ipsum omnes personales clericorum caussas non civiles modo, verum et criminales Episcopis diiudicandas reliquisse.

XIV. Clericorum ab iudiciis saecularibus immunitas, quam sacris canonibus, legibusque imperialibus constituere sategimus, naturali etiam aequitati conformis est: unde apud gentiles, praecipue vero apud Romanos, Pontifici inferiores parebant sacerdotes: ad rem concilium aurelianense IV. can. III.: *quod lex saeculi etiam paganis sacerdotibus, et ministris ante praestiterat, iustum est, ut erga christianos specialiter conservetur.* Et sane convenit, ut clericorum negotia ea tranquillitate, ac sanctitate, qua par est, tractentur, neque *clerici a sacris amoveantur obsequiis* (1).

XV. Hactenus designatas clericorum a iudiciis saecularibus exemptionum leges, quae post habitae sunt synodi, et a Principibus evulgatae sanctiones quum confirmarunt, tum etiam auxerunt. Ac primo Langobardi Principes fori immunitatem etiam ad Ecclesiarum vassallos, colonos, agricolas extenderunt, iurisdictione in hoc ipso comitibus, aliisque publicis magistratibus interdicta (2). Mox Carolus m. veteres pro clericorum caussis imperatorias sanctiones innovavit, ac restituit (3). Atque adeo cuicui actori sive clerico, sive laico quibuscunque in caussis clericum reum nonnisi in episcopali foro referendum sanxit (4), ac demum constituit clerico non licere sine Episcopi sui permissu quemquam in iudicio saeculari pulsare (5).

XVI. Sub Carolo Calvo maiora sumpsit incrementa Episcoporum iurisdictio: ille enim clericorum etiam publica, et gravissima delicta Episcopis reservata voluit (6), id quod secutis temporibus nemine renuente, aut discrepante in Ecclesia inolevisse constat ex scriptoribus, qui per ea saecula floruere. Ac tandem Innocentius III. (7) docuit clericis non licere suo iuri, videlicet fori immunitati renuntiare, *quum non sit personale beneficium.. sed potius toti collegio ecclesiastico sit publice indultum* (8).

XVII. Insignis est, ac multum ecclesiasticae consulens immunitati Friderici Imperatoris constitutio auth. *statuimus* (9), qua nimirum sanxit, *ut nullus ecclesiasticam personam in criminali quaestione vel civili trahere ad iudicium saeculare praesumat contra constitutiones imperiales, et canonicas sanctiones. Quod si actor fecerit, suo iure careat, iudicatum non teneat, et iudex ex tunc iudicandi potestate privetur.* Quae Friderici constitutio adeo constantiensi concilio placuit, ut non solum eam commendarit, probarit, confirmarit, verum et exscriptam voluerit in ipsius concilii adpendice, quo latius promulgaretur.

XVIII. Mox synodus lateranense V. communione arcendum *ipso*, ut aiunt, *facto* illum esse constituit, qui ecclesiasticae iurisdictioni obtrectare, aut illam exagitare ausus fuerit: id quod plures antea per Gallias, Hispaniasque congregatae synodi iam constituerant. Tridentina denique synodus tum *personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinationem, et ca-*

(1) Iustinianus indicata nov. CXXIII.
(2) Muratorius *antiq. ital. dissert. LXXI.* — (3) Capitular. lib. V. cap. 281. I. (4) Ibid. lib. VII. cap. 112. — (5) Ibid. lib. VI. cap. 155. — (6) Tom. II. capitular. tit. XXXVIII. — (7) Epist. ad *Lotharium Archiep. pisanum.* — (8) Cap. XII. *de foro competenti.* — (9) Cod. *de Episc., et cler.*

nonicis sanctionibus constitutam adseverat: tum etiam praecipit, *sacros canones, concilia generalia omnia, nec non alias apostolicas sanctiones in favorem ecclesiasticarum personarum, libertatis ecclesiasticae, et contra eius violatores editas, quae omnia praesenti decreto innovat, exacte ab omnibus observari debere.*

De clericorum ab iudicibus saecularibus immunitate iure neapolitano

XIX. Tandem de iure neapolitano pauca expendere fas iusque erit. Northmanni reges, qui primi omnium florentissimum hoc regnum obtinuere, ac prae ceteris Robertus, et Rogerius, sese clientes R. Sedi, eidemque addictissimos professi nihil contra canones, ac leges ecclesiasticam immunitatem spectantes innovarunt, uti patet ex concilio melphiensi, cui Rogerius ipse interfuit. At Willelmus in pactis conventis cum Hadriano IV. ita cum eo convenit, ut ampla remaneret clericis facultas provocandi a iudicio Episcopi ad R. Pontificem in caussis tantummodo ecclesiasticis: at in caussis civilibus profanis imminuta potius videtur fuisse ecclesiastica iurisdictio. Ipsemet namque Willelmus constitutionem edidit, qua clericos in caussis possessionum, quas non acceperint ab Ecclesia, in saeculari iudicio conveniendos constituit.

XX. Sub Svevis Fridericus imperator uti modo vidimus, constitutiones omnes imperiales, et canonicas sanctiones pro clericali foro, et immunitatibus ecclesiasticis hactenus latas sua nova imperiali constitutione roboratas omnino observari iussit: at mox non pauca ecclesiasticis iuribus illata sunt detrimenta.

XXI. Svevis expulsis, eorumque progenie in Conrado extincta, andegavenses primum, mox aragonenses hoc regno potiti sunt. Porro sub his regibus nil prorsus immutatum est, ita ut, si feudales caussas excipias, caussae omnes clericorum sive civiles, sive criminales in episcopalibus Curiis exagitabantur. Bulla investiturae Regni a Clemente IV. ad Carolum II. data apud Raynaldum *ad ann.* 1265., et apud Chioccarellum (1), concordata Honorii (2), Ferdinandus I. aragonensis (3).

XXII. Verum per novissima pacta inter Benedictum XIV., et Carolum Borbonium conventa, tum aliis in capitibus, tum vel maxime in hoc tranquilliorem induisse faciem visum est ecclesiasticum tribunal (4).

TITULUS III.

DE IUDICIIS ECCLESIASTICIS

I. Iudicium vulgo definitur: *legitima, sive ordinata rei inter actorem, et reum controversae coram iudice competente disceptatio.* Haec profecto definitio characteres omnes cuilibet iudicio tam ecclesiastico, quam laico omnino ϐσιωδεις *essentiales* complectitur. At iudicium ecclesiasticum

(1) In archiv. reg. iurisd. tom. I. n. 24.—(2) Art. III., et XIII.—(3) Pragm. II. *de cleric., et diacon. selvat.* — (4) Quae conventione novissima an. 1818. ad rem sancita fuerunt, seq. tit. V. huius libri referemus.

si in pluribus, in hoc maxime a saeculari differt, quod hoc una pollet potestate, iudicandi scilicet tantum de externis: illud vero duplex internum, et externum est, uti supra innuimus.

II. Iudicii plures sunt divisiones: praecipuae sunt, 1, aliud *ordinarium*, aliud *extraordinarium*. Ordinarium dicitur illud quod ab ordinario iudice exercetur, nimirum, a iudice, qui non speciali aliqua delegatione, sed iure suo, sive iure dignitatis, vel magistratus, quo fungitur, ecclesiasticam administrat iurisdictionem. Extraordinarium vero est iudicium illud, quod exercet iudex sic dictus extraordinarius ex eo, quod nullam propriam habeat iurisdictionem, sed solum ad aliquod tempus, et ad certas quasdam caussas diiudicandas ab Ordinario delegatam, ex quo dicitur etiam *delegatus*.

III. Aliam praeterea notionem in se continet iudicium ordinarium, nimirum quum ita dicitur ab ordine, quo in caussa discutienda proceditur: qua notione accepta rursus distinguitur in *ordinarium*, sive sollemne, et *summarium:* atque illud est, in quo omnia, ac singula, quae in iudiciis servanda leges praecipiunt, ex legum ipsarum praescripto distincte peraguntur. Hoc vero summarium, ita dictum, quia summatim, sive in summa omnes quasi iudicii partes comprehendit (1). At vero iure canonico summarium iudicium illud nuncupari solet, ubi sine ullo strepitu forensi de plano, h. e. sine judiciario ordine caussa agitur. Non emittuntur vero citatio, et necessariae probationes, quae iuris sunt naturalis (2).

IV. Iudicia sunt quoque vel *publica,* vel *privata*: adhaec alia *criminalia,* alia *civilia,* tum haec vel sunt *petitoria*, vel *possessoria*, at de his, aliisque iudiciorum generibus opportunius in institutionibus civilibus.

TITULUS IV.

DE VETERI AC NOVA ECCLESIASTICORUM IUDICIORUM FORMA

I. Quas hactenus explicavimus iudiciorum species ius ecclesiasticum antiquum non agnovit, sed eas ius novum decretalium invexit: iure enim veteri, quin immo et medio, ecclesiastica omnia negotia sine strepitu forensi expediebantur. Quam ob rem operae pretium me facturum puto, si pauca hic de veteri ecclesiastica disciplina in re iudiciaria pertractanda expendam, ut dein ab antiqua ad novam facilius, utiliusque progrediamur

II. Ecclesiasticae potestatis depositum penes Episcopos est, quos Spiritus S. ad Ecclesiam Dei regendam constituit, et maxime penes R. Pontificem, cui prae ceteris datae sunt claves. Usum potestatis huiusce charitate, et humilitate condiendum esse demonstrat s. Petrus (3), et veterrima illa Ecclesiae praxis, qua iam inde a primis Ecclesiae incunabilis iudicia omnia ecclesiastica ab Episcopo una cum suo clero exercebantur (4). Confer huc quae supra diximus (5).

III. Iam vero antiqua in iudiciis Ecclesiasticis peragendis disciplina haec

(1) Leg. XV. §. 4. Dig. *de re iudic.*—(2) Clem. II. *de verbor. signif.*—(3) Ep. I. cap. 5.—(4) Auctor const. lib. II. cap. 47. conc. carthag. IV. can. XXIII. —(5) Lib. I. tit. IV. de conciliis.

fuit. Episcopus medius inter presbyteros consedit, veluti magistratus inter adsessores: stabant diaconi tanquam adparitores, et ministri institiae. Ii, inter quos lis intercedebat, vel qui de aliquo crimine accusati fuerant, coram aderant suas caussas acturi. Iudicium erat summarium procul ambagibus forensibus. Porro Episcopi partes erant non modo, quod iustum, rectumque ipsi videretur, decernere, verum et partibus persuadere simultatem, et iram abstergere, avaritiamque, et nimiam ad terrena bona propensionem corrigere. Qua de re Episcopus iubebatur suum tribunal, sive *audientiam* diebus lunae habere, ut partibus integra superesset hebdomada, qua conciliari possent, omnemque, si quem contraxisset, livorem deponere: et sic die dominica iuxta Apostoli monitum (1): *puras manus sine ira, et disceptatione levarent* (2).

§. IV. Haec iudicia exercendi methodus obtinuit in Ecclesia ad medium usque saeculum XII., uti ex Gratiano colligere datur (3). Si quae graviora incidissent negotia, quibus definiendis civile presbyterium, sive Urbis episcopalis presbyteri satis non esse viderentur, synodus dioecesana, ad quam omnes totius dioeceseos presbyteri, vel etiam provinciales, ad quam omnes totius provinciae Episcopi conveniebant, indicebatur. Confer huc quae diximus (4).

V. Porro saeculo XII. exeunte, et XIII. ineunte ecclesiastica iudicandi forma sensim, et sine sensu in eam immutata est, quae modo obtinet ex iure novo, et novissimo. Hanc mutationem duabus ex caussis repetit Petrus de Marca (5). Prima est, quod potestas, quam in plerisque caussis iudicandis synodi provinciales obtinebant, ab isidorianis decretalibus ad unum R. Pontificem fuerit revocata: inde enim factum est, ut in Ecclesia novus iudiciorum ordo institueretur ad caussarum cognitiones in provinciis per Rescripta dirigendas. Unde tot, ac tantae emanarunt constitutiones *de rescriptis*, *de iudicibus delegatis*, *de officio iudicis ordinarii*, *de dilationibus*, *de exceptionibus* etc. Haec omnia olim, uti modo observavimus, non adeo exacte, et sollemniter exercebantur, uti recentiores Romanorum Pontificum decretales praescribunt.

VI. Altera mutationis caussa, quam adfert Petrus de Marca est, quod tum aliis ex rationibus, tum vel maxime ex iisdem ubique receptis Isidorianis mercibus nova pluribus in capitibus ecclesiasticae politiae facies oborta est. Huc faciunt beneficiorum ab ordinationibus separatio, aliqua impedimenta matrimonii ad publicam tuendam honestatem noviter constituta, temperatus publicae poenitentiae rigor, multiplices monachorum Congregationes late per Europam diffusae, indultae monasteriis, Capitulisque Canonicorum ab Episcopali iurisdictione exemptiones etc. Hinc novum quoque in Ecclesia iudiciorum ordinem institui oportuit.

VII. Praeterea quum canonum collectores Ivo, Gratianus, aliique, qui post X. saeculum canones Ecclesiasticos collegere, in suas Συλλογὰς multa ex iure civili excerpta induxissent, atque adeo eiusdem iuris civilis studium ope praesertim clericorum (qui supra omnes, utpote qui soli tunc temporis pro litteratis haberentur, eidem sedulam operam navarent) refloruisset,

(1) Epist. I. ad Timoth. 2.—(2) Caus. 15. q. VII.—(3) *Auctor. constit. ibidem.*
(4) Lib. I. tit. IV. de conciliis. — (5) Conc. sac., et imp. lib. III. cap. 6.

factum hinc est, ut Ius Canonicum pluribus in capitibus Iuris Civilis rationem sequi incoeperit.

VIII. Ergo ius novum decretalium in iudiciis persequendis sex potissimum capita complectitur: scilicet 1, iudicis personam. 2, personas actoris, et rei. 3, Curiae administros. 4, processus instructionem. 5, sententiam definitivam. 6, demum ius adpellationum. De singulis sigillatim agere aequum est. At primum de proprio, sive competenti clericorum foro, caussisque ad illud deducendis, agendum nobis est.

ADDITAMENTA

DE FORO COMPETENTI

I. Antequam gravissimas doctrinas, quas Auctor noster de foro competenti collegit, exponamus, heic illa in antecessum recensere duximus, quae conventione novissima an. 1818. sancita fuerunt, ut facile tyrones distinguant quae diu in ecclesiastico foro viguerint, quaeque aetate nostra obtineant.

II. Enimvero art. XX. eiusdem conventionis cautum Episcopos in pastoralis ministerii exercitio prorsus liberos esse. Quamobrem in quoscumque fideles Ecclesiae legum, et sacrorum canonum transgressores censuris animadvertendi libertas fuit illis confirmata: quin regio diplomate sub die X. octob. 1826. agnitum fuit ad ecclesiasticum forum pertinere ius decernendi secundum canones quibusnam ecclesiastica deneganda sit sepultura.

III. Quum autem Episcopi iure divino in rebus spiritualibus iudices constituti sint, et forum competens facit, ut quis pro suo iure iurisdictionem exerceat: hinc caussas matrimoniales, quae ex concilio tridentino (1) dumtaxat Episcopis reservantur, in sua Audientia cognoscere, deque iis sententiam ferre illis liberum fore eodem art. fuit sancitum.

IV. Adhaec in clericos habitum ecclesiasticum ipsorum dignitati congruentem non deferentes, aut reprehensione dignos, animadvertendi ius Episcoporum est. Unde poenas a tridentinis PP. statutas, aliasque, quas convenientes ipsi iudicaverint, in illos infligent.

V. Praeterea indic. art. statutum liberum esse Episcopis cum Clero, et populo suae dioecesis pro munere officii pastoralis communicare, suasque instructiones, et ordinationes de rebus ecclesiasticis libere publicare, nec non indicere publicas preces, aliaque pia opera cum idipsum postulet Ecclesiae utilitas.

VI. Illud denique hic observandum restat quod caussarum civilium, ni-

(1) Can. XII. sess. XXIV.

mirum contractuum, hereditatum, etc. cognitio, et definitio ad laicos iudices spectat (*).

TITULUS V.

DE FORO COMPETENTI

I. Inter quamplurimas notiones, quas *fori* vocabulo veteres adfixerunt, praecipua quidem ea est, quae tribunal, sive locus ille designatur, ubi, adsidentibus magistratibus, iudicia exerceri, cum populo agi, concionesque haberi solent (1). Unde etiam factum, ut pro ipso iudicio passim in utroque iure acciperetur. Porro forum *competens* idem est, ac forum proprium, scilicet, et ubi iudici convenit suam exercere auctoritatem, et in quo reus conveniendus est; qua notione dici quoque consuevit *iudex competens* (2), et *competens tribunal* (3). Huc faciunt in primis probati in utroque iure canones: *actor sequitur forum rei* (4): *reus in iudicium venit invitus* (5).

(1) Varro *de lingua lat.* lib. IV.—(2) L. XVIII. D. *de iurisd* —(3) L. XXXVIII. §. I. D. *de Procur*, — (4) Cap. V., et VI. hoc Tit. III. C. *ubi in rem actio.* (5) L. III. C. *de iudiciis.*

(*) Iuvat hic recensere quae de legatione apostolica regni Siciliae ultra Pharum Summus Pontifex Benedictus XIII. sanxit Const. *fideli* lata an. 1728, quae vim concordiae habet.

Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei—Ad perpetuam rei memoriam.

PROEMIUM.

Fideli, ac prudenti dispensatori, quem in supremo Apostolatus apice constituit Dominus super familiam suam, maxime convenit, tradita sibi coelitus uti potestate, ut si quae sint inter pontificalem auctoritatem, et regiam potestatem contentiones, quantum fieri potest, amoveantur, utque nedum fidelium populorum pericula arceantur, sed etiam incommoda leniantur, prout locorum, et temporum ratione habita, magis in Domino videbitur expedire.

§. 1. *Caussae huius constitutionis promulgandae*

Quum itaque felicis recordationis Clemens Papa XI. praedecessor noster apostolicam Regni Siciliae ultra Pharum legationem, ac monarchiam, nuncupatam, eiusque tribunal extinxerit, ac suppresserit, et aboleverit, si quae essent privilegia, et indulta a quibuscumque Romanis Pontificibus Praedecessoribus quomodolibet concessa revocaverit, et abrogaverit, et certum iuterim modum praescripserit, quo caussae ad forum ecclesiasticum pertinentes cognosci, et in eodem Regno fine debito terminari possent, quemadmodum in eius apostolicis litteris, expeditis anno millesimo septingentesimo decimo quarto, et millesimo septingentesimo decimo quinto plenius continetur. Cumque charissimus in Christo filius noster Carolus VI. in Romanorum Imperatorem electus, Siciliae ultra Pharum Rex, exponi nobis nuper fecerit, iura apostolicae legationis in eodem Regno, sibi, eiusdem haeredi legitimo, et possessori, ex privilegio signanter Urbani Papae II. Praedecessoris nostri, competere: quae quidem iura iam olim Rogerio Comiti e Normannorum gente eiusque successoribus ob eliminatam saracenorum tyrannidem, catholicam fidem re-

II. Clericos omnes aeque superiores, atque inferiores in omnibus fere caussis civilibus, criminalibusque foro episcopali ita subesse, ut ad laicum tribunal eos vocare, aut trahere vetitum omnino sit, ius est exploratissimum. Quin et prima duntaxat tonsura initiati ex legibus etiam, moribusque Regni neapolitani ab fori saecularis potestate immunes habentur, quamdiu tamen in statu clericali, et officio permanserint (1).

III. Iure tridentino (2) novissima Concordatorum lege 1741, firmato inter clericos inferiores beneficiarios, aliosque titulo patrimonii in sortem domini mancipatos illud agnoscendum discrimen, scilicet ut hi fori privilegio non fruantur, nisi clericalem habitum, et tonsuram deferentes, alicui Ecclesiae ex Episcopi mandato ministerium exhibeant, idque litteris Episcopalibus quotannis a Curia obtinendis demonstrent: at illi licet Ecclesiae ministerium, habitumque clericalem deserant, exemptionis tamen praerogativa non destituantur, nisi vel ultro beneficium dimittant, vel eo, Episcopi sententia, ob aliquod crimen exspolientur. Atqui regio rescripto an. 1760. die 6. septembris utrorumque clericorum conditio aequata est; nimirum ut nisi habitum, tonsuramque clericalem deferant, ae simul actua-

(1) Ferdin. I. in prag. IV. *de cleric., et diaconis selvaticis,* quam postea Carolus V. innovavit. — (2) Sess. XXIII. de ref. cap. IV.

---

stitutam, Ecclesiasque, patriarchatui constantinopolitano tunc temporis adhaerentes, Romanae Sedi iterum subiectas, concessa, anteactorum sex saeculorum decursu usque ad Caroli II. obitum, in suo robore, atque usu permanserint, hinc nos, et si compertum habeamus, huiusmodi rationibus eundem Praedecessorem nostrum, praesertim propter abusus, quos irrepsisse constabat, minimo acquievisse, nosque ipsi, dum Cardinalatus honore fungebamur, eidem constitutioni reverenter subscripserimus, omniumque circumstantiarum opportune reminiscamur; attamen cum graves inde exortae fuerint contentiones, atque mala non sine animarum pernicie, publicaeque tranquillitatis detrimento, serio propterea considerantes, quantum pastoralis sollicitudinis intersit, caussas etiam talium contentionum avertere, ac prorsus eliminare, ita ut, abusibus e medio sublatis, ius ex aequo universis reddatur, ex voto Congregationis venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, pro huius negotii examine specialiter deputatae, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione, nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, finem huic operoso gravissimoque negotio imponentes, nostra hac perpetuo valitura constitutione, vim, et effectum concordiae habente, haec, quae sequuntur, decernimus, et sancimus, ac inviolabiliter ab his, ad quos spectat, et in futurum spectabit, observari mandamus.

§. 2. *Ordo cognoscendi caussas ecclesiasticas in Sicilia post maiores, quae apud unam Apostolicam Sedem cognosci debent.*

Caussae omnes, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, iis exceptis, quae vere maiores sunt, quaeque iuxta canonicas sanctiones apud Apostolicam Sedem tractari, et a Romano Pontifice, vel a iudicibus, quos ipse specialiter deputaverit, cognosci debent, non alibi, quam in ipso Siciliae ultra Pharum Regno cognoscantur, et fine debito, quem iustitia postulaverit, terminentur, ita videlicet, ut non exemptorum caussae in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, nec ab eorum curiis avocentur, nisi per viam legitimae appellationis a sententia definitiva, aut ab interlocutoria, vim definitivae habente, vel ab actu, cu-

lem Ecclesiae famulatum litteris episcopalibus probent, fori immunitate destituantur (1).

IV. De clerico, qui in coelibatu vivens habitum, officiumque clericale deserat, illud hic quaeri potest, num scilicet, dum fori exemptione privatur, reliquis etiam expolietur clericorum privilegiis? Porro licet non una sit hac in re Canonistarum opinio, standum tamen omnino sententiae Benedicti XIV. (2) censentis, fori amissionem, cen odiosam, ut aiunt, ad reliqua clericalis ordinis privilegia neutiquam extendendam.

V. Non abs re hic quoque erit disquirere, in quonam foro conveniendus sit clericus is, qui abiecerit prius habitum, coetumque clericalem, ad quem postea redeat; atque vel ante clericatum, vel in clericatu quidem, at eo abiecto, aliquid egerit, propter quod ad tribunal deferendus sit? Iam vero clericus iste ad ecclesiasticum omnino tribunal trahendus est, si res adhuc tit integra: quod iuri civili etiam conforme est (3). Sin autem antequam vel ad clericatum accederet, vel ad clericatum rediret, ad laicum tribunal iam fuerit evocatus, tum certe ex saniori Canonistarum sententia

(1) Gagliardus *Instit. canonic.* lib. III. tit. V. n. 10 — (2) *De syn. dioeces.* lib. VII. cap. 66. n. 2.
(3) L. XXXII. D. *de rescript. in arbit.*

ius gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat, vel praeiudiciale sit invertendo iustum iuris, et iudiciorum ordinem, aut nisi integro biennio, a die motae litis computando, coram ipsis Ordinariis remanserint indecisae, quemadmodum a concilio tridentino *in cap.* XX. *caussae omnes, sess.* XXIV. *de reformat.* decretum est. Sique secus fiat, quaecumque adpellatio, inhibitio, aut sententia, eo ipso nulla, et irrita sit, iuxta eiusdem concilii praescriptum. Respectu vero exemptorum ab Ordinariis, iudex ecclesiasticus, a rege illius Regni, ut infra dicendum, nominatus, et delegatus, et pro tempore, eius arbitrio nominandus, et delegandus, tanquam ordinarius, de caussis civilibus, et criminalibus illorum, ut postea dicetur, cognoscat, ne aliter huiusmodi personae, et iura sine providentia remaneant. A sententia Ordinarii ad Metropolitanum appelletur, servata itidem in omnibus forma in antedicti concilii decretis constituta.

§. 3. *Qui iudex caussas appellationum a sententiis Metropolitani cognoscere debet*

Postquam vero Metropolitanus in caussa pronunciaverit, vel in secunda instantia, quoad sententias suorum suffraganeorum, vel in prima, quoad caussas propriae dioecesis, possint partes, vel earum altera, provocare ad eum virum in iure canonico doctorem seu licentiatum nobilium Universitatum more, diligenti examine praecedente promotum, et in ecclesiastica dignitate constitutum, a charissimo Filio nostro Carolo VI. in romanorum Imperatorem electo, et Siciliae Rege, eiusque in Regno Siciliae ultra Pharum Successoribus, aut de eorumdem mandato, ex concessione Sedis Apostolicae deputatum, et delegatum, et in posterum ab ipso, eiusque in eodem Regno Successoribus, aut de eorundem mandato deputandum, et delegandum: quem eo ipso delegatum auctoritate Sedis Apostolicae constitutum, et pro tempore constituendum, recognoscimus, et firmamus, ut caussas ecclesiasticas antedictarum appellationum in praedicto regno Siciliae ultra Pharum cognoscere, aliaque inferius exprimenda peragere possit, servatis tamen praemissis, aliisque in-

distinguatur oportet personalem inter, et realem immunitatem, scilicet, u quantum ad personam sit immunis, haud vero quantum ad bona (1).

De clericis coniugatis

VI. Quod ad clericos coniugatos attinet, qui unicam, et virginem duxerint, in habitu clericali incedant, et de mandato Episcopi alicui Ecclesiae ministrent; hos sane in caussis duntaxat criminalibus fori privilegio potiri sanxerunt Bonifacius VIII. (2), tridentinum (3), Reges neapolitani apud Chioccarellum (4), atque etiam novissimum Concordatum 1741. At vero in caussis civilibus, atque adeo ex eiusdem concordati praescripto *ibidem* etiam in criminalibus, quae civiliter agantur, foro laico subiiciuntur, nec ab exercendi tam realibus, quam personalibus laicorum muneribus sunt immunes (5).

De clericis, diaconisve sic dictis selvaticis

VII. Restant adhuc clerici, sive diaconi sic dicti *selvatici:* ii scilicet, qui

(1) Gagliardus ibid. — (2) Cap. I. de cler. coniug. in VI.— (3) Sess. XXIII. de ref. cap. VI. — (4) Tom. X. archiv. n. 3. — (5) Cap. III. art. 2.

---

ferius explicandis, itaut quidquid aliter sive scienter, sive ignoranter fieri contigerit, ipso iure nullum irritumque sit.

§. 4. *Remedia pro iis, qui se a sententia eiusdem primi iudicis appellationum gravati sentient.*

Si vero antedictus iudex gravamen inferat, vel quomodocumque partes, sive earum altera, gravatas ab eiusdem sententia seu decreto sese senserint, tunc ut appellationis, atque extremae provocationis remedio, omnibusque legum, atque canonicarum sanctionum auxiliis christifideles praedicti Siciliae Regni uti,et frui possiat, eademque remedia, iuris ordine servato, sicut oportet, experiri, idem charissimus in Christo Filius Siciliae Rex, eiusque Successores in perpetuum, vel alter de eiusdem, aut de ipsius Successorum mandato, sedulo providendum, ut apertum, atque patens in omni tempore tribunal, seu curia: in qua tamen vir, etiam in dignitate ecclesiastica constitutus, atque, ut supra, in utroque iure licentiatus, seu doctor, deputatus, et delegatus cum tribus aliis assessoribus, in utroque iure versatis, eodem pariter modo, uti supra, deputandis, et nominandis, ius reddat, atque primum diligenter expendat, an appellatio reiici, vel admitti debeat, et quibus clausulis caussa committenda sit. Quoties vero caussa fuerit visa digna ulteriori cognitione eam primo cognoscat, et iudicet idem modo dictus iudex, ex quo ulteriori cognitione digna decreta est, adhibito eorumdem assessorum consilio.Quod si post haec res adhuc ulteriori discussione opus habeat, nec lis finita sit, eadem coram altero idoneo ecclesiastico iudice ut supra,cum assessoribus vel consiliariis nominando, discutiatur, et ita deinceps, ita tamen, ut caussa in quacumque instantia coram iudice ecclesiastico semper pertractetur, et in omnibus, iuris ordine servato, terminetur.

§. 5. *Appellantes in una tantum caussa in reliquis appellare non censeantur*

Appellantes in una caussa, omnino subiecti remaneant, quoad alias caussas, iu-

nullo ordine decorati, atque adeo neque tonsura initiati vestem clericalem induentes alicui Ecclesiae inserviunt. Quam immunitatem ipsis dabimus? nullam sane. Nemo enim non videt, eos falsos esse clericos, ac proinde quum in civilibus, tum in criminalibus saeculari foro ipsis parendum esse (1). Id quod novissimum Concordatum 1741. (2) non firmavit modo, verum et ad eremitas extendit, licet hi ex Episcopi venia alicui suburbanae, vel campestri Ecclesiae inserviant, tum et ad moniales domesticas, vulgo *bizochas*, et quidem ex antiqua Regni consuetudine, quod ad eremitas olim controversa, at quod ad bizochas iamdiu ubique recepta.

De conversis, aliisque id genus monachis laicis

VIII. Conversos, oblatos, sive donatos, tertiarios, aliosque id genus monachos laicos, dummodo monasterium, aliudve religiosum domicilium cum reliquis fratribus incolentes legitimo pareant Superiori, regularemque habitum gestent, fori praerogativa haud carere, tum iure communi (3), tum iure neapolitano, atque etiam argumento ex novissimo Concordato 1741. (4), satis superque probatum est.

(1) Ferdin. I. prag. IV. de *cler. et diac. selvat.* — (2) Cap. I. art. ult.; et cap. III. art. 10. — (3) Trid. sess. XXIV. de regul. cap. 2. — (4) Cap. III. art. I.

---

risdictioni suorum Ordinariorum, a qua eximi nec a Metropolitano, nec a delegato possint, nisi in casibus a Iure Canonico praescriptis.

§. 6. *De caussis regularium*

In caussis, in quibus conservatores regularium decretum, vel sententiam tulerint: qui se ab illis gravatum existimaverit recursum similiter habere poterit ad antedictum delegatum: qui quidem, si, inspectis utriusque partis iuribus, appellationem duxerit admittendum, ipse in talis caussae cognitione, prout iuris fuerit, procedet: sique partes, vel earum altera, de gravamine ab eius iudicato, sibi illato, conquereretur, id servetur, quod supra de appellationibus a decreto, vel sententia iudicis delegati statutum est. Ceterum praedicti conservatores inviolate servare debeant praescripta in constitutionibus felicis recordationis Innocentii PP. IV., Alexandri IV., Bonifacii VIII., Gregorii XV., aliorumque nostrorum Praedecessorum, necnon in Concilii tridentini decretis sub poenis ibidem contentis.

§. 7. *Appellationes quomodo recipiendae*

Appellationes nunquam recipiantur, nisi per publica documenta, realiter exhibenda, prius constiterit, appellationem a sententia definitiva, vel habente vim definitivae, aut a gravamine, quod per definitivam sententiam reparari non possit, vel quod praeiudicialo sit in casibus, a iure non prohibitis, per legitimam personam, et intra statuta tempora, fuisse interpositam aut proseeutam, nec praeterquam in casibus a iure permissis, dum causa coram inferioribus iudicibus pendet, ante definitivam sententiam, vel vim definitivae habentem, de gravamine, quod asseratur illatum, superiores cognoscere possint, licet citra praeiudicium ordinarii cursus caussae, sese id facere declarent. Nec ad hunc effectum liceat eis inhibere, aut etiam simpliciter mandare, ut ipsi copia processus mittatur, etiam expensis appellantis, vel recurrentis, nisi in casibus a iure permissis.

De officialibus Curiae episcopalis, aliisque Episcoporum domesticis, et famulis

IX. Curiae episcopalis administri, tum et Episcoporum domestici, et familiares, quidquid hoc de capite olim inter Canonistas disputatum sit, ex eiusdem Concordati praescripto fori exemptione non perfruuntur, exceptis duntaxat cancellario, sive actorum magistro, paucisque cursoribus, singulis Regni Episcopis, Praelatisque numerato adsignatis, qui dummodo suum munus actu exerceant, quantum ad personalem tantummodo districtionem in caussis civilibus, criminalibus levioribus, et mixtis, a foro laico exempti sunt.

Atrociora quaedam crimina clericos foro saeculari subiiciunt

X. Igitur iure aeque communi, ac neapolitano personae ecclesiasticae in caussis civilibus, criminalibus, et mixtis ab laici tribunalis potestate exemptae sunt. Quinimmo quum Willelmus malus (1), et Fridericus II. (2) caus-

(1) Const. *si quis clericus* tit. 69. — (2) Const. *de burgensaticis* tit. 70.

§. 8. *Inhibitiones post appellationes admissas quomodo concedendae*

Inhibitiones post appellationes, sicut praemittitur, admissas non concedantur, nisi cum insertione tenoris sententiae aut decreti, a qua, vel a quo provocatum fuerit, alias inhibitiones, et processus, et inde secuta quaecumque, sint ipso iure nulla, eisque impune liceat non parere. Sed si appellans asserat, sententiae vel decretis, sive appellationis interpositae, exemplum authenticum habere se non posse culpa iudicis, a quo, vel actuarii, tunc sive Metropolitanus, sive praefatus iudex ecclesiasticus delegatus, respective, iniungat iis, ad quod pertinet, ut soluta actorum mercede, exemplum in forma probante tradatur appellanti, intra brevem terminum, et interim nihil novi coram iudice, a quo, contra appellantem attentetur.

§. 9. *De appellatione a decretis Ordinariorum in visitatione editis*

A decretis Ordinariorum in visitatione, vel pro correctione morum editis, nullus sit appellationi locus, quoad effectum suspensivum, nisi cum visitator, citata parte, et adhibita caussae cognitione, iudicialiter processerit, et in aliis casibus a iure permissis.

§. 10. *De appellatione a gravamine per definitivam sententiam non reparando*

Cum a gravamine, quod per definitivam reparari nequeat, vel quod praeiudiciale sit, appellatur, nonnisi visis actis, ex quibus apparet de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibitio, vel provisio ulla concedatur.

§. 11. *De inhibitionibus expediendis*

In caussa indebitae carcerationis, quatenus sit secuta cum mandato iudicis verbali, possit iudex appellationis expedire inhibitiones, vigore appellationis constito, sive per depositionem duorum testium de mandato, sive per documentum notarii,

sas hereditatum, et profanas patrimoniales ab ea immunitatis praerogativa excepissent, attamen utrasque dein eiusmodi sanctiones abrogarunt Reges andegavenses. Porro hactenus constituta clericorum exemptio quasdam patitur limitationes quum in civilibus, tum in criminalibus.

XI. Et quidem crimina quod spectat 1, clericus etiam in sacris constitutus, ubi habitum exuat clericalem, et tanquam e laicorum coetu incedens ter ab Episcopo monitus ad bonam frugem non redeat, atque adeo incorrigibilis ex Episcopi sententia declaretur, Civili Potestati debitas luet poenas (1).

2. Clericus assassinus, sive mandans fuerit, sive mandatarius, eiusque fautores, ubi satis iam de crimine constiterit, non modo in iudicis laici potestatem rediguntur, verum et, ut legitimas subeant poenas, nullam vel depositionis, vel degradationis sententia, aut sollemuitate opus erit (2).

Ast 3. quia non semel clerici a calumniatoribus assassinii nomine immerito accusabantur, eapropter novissima concordatorum lege provide cautum est, ut (ne fraudi amplius pateret aditus) quoties clerici capturam iudex laicus praevenerit, eum in laicis carceribus detinebit quidem, at sta-

(1) Cap. XXV. et XLV. *de sent. excom.*
(2) Conc. lugd. cap. I. de homic. in VI.

---

vel custodis carcerum, de carceratione. In caussis vero comminatae iniustae carcerationis, vel torturae, vel excommunicationis, non expediantur inhibitiones generales, et indefinitae, sed tantum compulsoriales pro transmissione copiae actorum, ad effectum cognoscendi, an sit defereodum, nec ne, appellationi, adiuncta in dictis litteris compulsorialibus inhibitione, ut interim iudex, a quo, ad ulteriora non procedat: et quatenus visis actis resultet evidens gravamen, tunc admittatur appellatio cum inhibitione, et caussa cognoscatur coram iudice, ad quem. Si vero de huiusmodi gravamine non constet, remittatur caussa ad iudicem a quo, cognoscenda in prima instantia.

§. 12. *De actibus originalibus primae instantiae a notario mittendis*

Acta originalia primae instantiae notarius, sive actuarius mittere ad iudicem appellationis minime cogatur, nisi natura ipsa caussae id flagitet, aut probabilis aliqua falsitatis suspicio incidat, quae iudicialiter apposita ab interesse habentibus fuerit, et tunc post terminationem caussae statim remittant, ad Ordinarium, et in eius curiae tabulario asserventur.

§. 13. *De carcerato appellante*

Caussa appellationis pendente, appellans, in eodem, ubi reperitur carcere, permaneat quoad iudex, ad quem caussae cognitio devolvenda est, visis actis, caussaque cogoita aliter decreverit, et tunc quidem si a decreto secundi iudicis, vim definitivae habente, adpellatum fuerit, nihil ipse interim mandare, aut pro decreti sui executione attentare poterit, donec per iudicem superiorem aliter fuerit ordinatum; exceptis tamen casibus, in quibus aliter a iure statutum sit, et in quibus appellatio contra decretum excarcerationis, effectum tantum devolutivum, favore libertatis, producit.

tim processum instituet, quem intra quatuor menses tribunali mixto omnino exhibebit, cuius definitionem expectabit, priusquam sententiam pronunciet (1).

De caussis civilibus, quarum intuitu clerici foro laico parent

XII. Plures quoque sunt caussae civiles, ex quibus Clerici in Curiae saecularis potestatem rediguntur. Ac primo pro rebus iudicio saeculari adfectis foro laico 1. caussae feudales reservatae sunt: idque tum iure communi (2), tum quoque iure neapolitano bulla investiturae Caroli I. (3).

2. Usu etiam, moribusque receptum est, ut bona quaevis temporalia clericorum defunctorum iacentia, ut, aiunt, scilicet, ubi de legitimo successore nondum constiterit, regiae potestati sint penitus obnoxia.

3. Adhaec quaestiones quaelibet controversas haereditates spectantes, etiamsi competitores sint clerici, saeculari tamen foro discutiendae, ac definiendae relinquuntur.

(1) Cap. III. art. 3. — (2) Cap. VI., et VII. de *foro competenti*, et cap. un. §. *verum* de *statu regularium in VI.*
(3) Capit. Caroli II. art. 3., et 13.: et pragm. III; et XXXVI. tit. de *officio sac. reg. Consilii.*

---

§. 14. *De censura ecclesiastica in appellantem prolata*

Censura ecclesiastica, in appellantem prolata, revocari, aut nulla declarari per iudicem appellationis, etsi is sit delegatus, non possit, nisi prius auditis partibus, et caussa cognita, et tunc, si eam esse iustam constiterit, ad iudicem, qui excommunicationem protulit, remittatur appellans, et ab ipso iuxta sacros canones beneficium absolutionis, si humiliter petierit, debitamque emendationem praestiterit, obtineat. Si vero iniustam esse appareat, iudex appellationis absolutionem concedat. Et si dubitetur, an iusta fuerit, vel iniusta, quamvis honestius sit, ut ad excommunicatoriam intra brevem aliquem competentem terminum, eidem praefigendum, absolvendus remittatur, iudex nihilominus appellationis hoc casu per se poterit eum absolvere.

§. 15. *De absolutione ad cautelam*

Absolutio ad cautelam, nonnisi servatis de iure servandis, cum dubitatur de nullitate excommunicationis, vel ab homine prolatae, vel a iure inflictae, si dubium facti, vel probabile dubium iuris occurrat, concedenda erit, tamquam ad breve tempus, cum reincidentia, necnon praestita per excommunicatum cautione de stando iuri, et parendo mandatis Ecclesiae. Quod si iuxta formam a iure praescriptam, apparebit, aliquem ob manifestam offensam excommunicatum fuisse debitam etiam satisfactionem praestare, necnon ob contumaciam manifestam, expensis quoque satisfacere, et cavere de iudicio sisti coram excommunicatore, tenebitur priusquam antedictam absolutionem obtineat. Praeterea huiusmodi absolutiones cum reincidentia, a iudice appellationis, etiamsi sit antedictus iudex, committantur ipsis Ordinariis excommunicantibus, cum clausula, ut *intra tres dies* absolvant censuratos, dummodo tamen excommunicati in eodem loco sint, ubi degunt Ordinarii. Quod si in eodem loco non siat, vel si Ordinarii praesentes, et requisiti, absolvere recusaverint, vel neglexerint, absolvantur a confessario iuxta formam eiusdem commissionis, a iudice appellationis, ut praefertur, expediendae. Ceterum commissio-

4. Uti quoque pro exsolvendis clerici defuncti vel legatis, vel aere alieno laici iudicis sententiae parendum est. Qua de re in expediendis decretis vulgo dictis *praeambulorum*, et *spectare spectavisse* a iudice laico clausula adponi solet: *salvo iure cuiuslibet in iudicio tâm universali*, *quam particulari*. Hoc iuri etiam civili conforme est (1).

XIII. Num clericus ratione tutelae, curae, alteriusve saecularis muneris in ecclesiastico, an vero in laico foro conveniendus sit, diu concertatum inter doctores, et adhuc sub iudice lis est. Porro verisimilior eorum opinio videtur, qui contendunt eiusmodi clericum pro rationibus subducendis foro laico subiectum, ad solutionem postea, si ibi debitor adparuerit, a iudice ecclesiastico compellendum. Iure neapolitano vetantur clerici tutelam, curam, depositum, administrationem, aliudve simile munus suscipere, nisi prius idoneam laici fideiussoris cautionem praestiterint, quem suo in foro iudex laicus ad calculos compellet, et quidem dimissa clerici persona (2).

XIV. Eodem nomine clerici, qui res, vel alienari prohibitas emerint, vel regiis tributis obnoxias vulgo *controbanni*, adsportaverint, in reali duntaxat actione foro laico subiecti sunt. Id quod et ius decretalium vide-

(1) L. un. C. *ubi de haered. agatur*, et l. XCVI. D. de *legat.*, *et fideicom.*
(2) Gagliardus ibid. tit. VI. §. 5.

---

nes praedictae de absolvendo, non ipsis Ordinariis immediate, et personaliter, sed eorundem cancellariis praesentari debent, ut reverentia Episcopis debita, sarta tecta servetur, et a praesentatione, cancellario facta, praedicti *tres dies* numerari debeant. Cedulones autem, in casu absolutionis obtinendae ad certum tempus cum reincidentia, quatenus adfixi fuerint, non amoveantur; sed dumtaxat tegantur, tectique remaneant durante termino in absolutione praefixo, salva tamen praxi ibidem servata de eorundem in nonnullis casibus amotione.

§. 16. *De appellatione a sententia definitiva in verum contumacem prolata*

A sententia definitiva contra verum contumacem prolata, appellatio non recipiatur, nec inhibitio, aut alia quaevis provisio, durante contumacia, concedatur.

§. 17. *De appellatione in caussis criminalibus, et sententiis Ordinariorum*

Ubi in caussis criminalibus Ordinarii locorum processerint ex officio, si ab eorundem sententiis appellatio vel ad Metropolitanum, vel ad praedictum iudicem interposita fuerit, tunc procuratores fiscales Curiae metropolitanae, vel tribunalis praefati Delegati, actoris vices gerant, et instantias, aliosque actus, desuper necessarios, peragant, et prosequantur, ut praedictorum Ordinariorum sententiae confirmationem, et executionem, si ita fuerit iustitiae consonum, obtineat. Quod si, dictis procuratoribus fiscalibus non citatis, vel auditis, contrarias sententias in gradu appellationis proferri contigerit, istae prorsus nullae sint, ac irritae cum omnibus actis gestis, quinimmo praecedentes Ordinariorum sententiae executioni mandentur, proinde ac si appellatio ab ipsis interposita nullatenus fuisset.

§. 18. *De pauperibus litigantibus*

Pauperibus litigantibus condonentur sportulae, et emolumenta quaecumque, etiam cancellario, alioquin debita. Aliae itidem quaecumque expeditiones gratis dentur,

tur permittere (1), et regni neapolitani decernunt constitutiones (2), ac demum novissimum firmavit Coucordatum 1741. (3). Idem quoque iuris obtinet quantum ad refectionem damnorum, quae clericorum pecora, aliave noxia animalia cuicui intulerint.

XV. Alter titulus, quo clerici Potestati parent saeculari, est ratio coepti iudicii. Quamobrem si quis adhuc in saeculo manens, litem in foro inchoarit, eaque non peracta, ordinibus initietur, eam in eodem foro, reali duntaxat actione, ad exitum usque cogitur persequi, quod cum utroque iure amice coniurat (4). Lis quoque cum defuncto laico incoepta, cuius heres clericus sit, in saeculari foro prosequenda neque heredis clericatus illam ad ecclesiasticum tribunal devolvet (5).

XVI. Tertius vero titulus est ratio reconventionis: quum scilicet clericus actoris personam agens, aliquem quomodolibet ad laicale forum trahit, ipse in eodem foro reconveniri recte poterit: uti si clericus a laico per saecularem iudicem, quod illi mutuo dedit, expetat, etiam laicus suum aes, si illi crediderit, in eodem foro iure reposcet (6). Excipiendae tamen caus-

(1) Cap. I. *de alienat. iudicii.*
(2) Coust. un. tit. XLV. cap. *conventus* inter capitula Caroli II. pragm. 6. *de clericis, et diac. selv.*—(3) Cap. III. art. IV.—(4) L. VII. D. *de iudiciis*, I. XIX. D. *de iurisd. omn. iudic.* et cap. XIX. *de foro compet.* — (5) Doctores apud *Gagliardum* ibid §. 10. — (6) Cap. I. et II. *de mutuis petition.*

---

ac etiam copiae publicorum instrumentorum, sive testamentorum, necnon regesta, et copiae actorum transmittendorum ad iudicem appellationis: et haec in caussis tam civilibus, quam criminalibus. Quo vero ad probationem paupertatis, ea summariae fiat per testes, gratis similiter examinandos: et quoad ipsam paupertatem, stetur arbitrio iudicis.

§. 19. *De caussis criminalibus Regularium*

In criminalibus caussis Regulariom, quando deliquerit intra claustra, tridentini concilii et peculiarium illius ordinis, quem quisque delinquens professus fuerit, constitutionum dispositio exacte servetur. Quod si delinquant extra claustra, vel extra monasterium degant, ab Episcopis iuxta eiusdem concilii tridentini, apostolicarum constitutionum praescriptum, iudicentur, et puniantur. Qui vero ab Episcopi iudicio gravamen sibi illatum putaverint, recursum habere poterunt ad antedictum iudicem, qui, ubi appellatio admittenda de iure fuerit, caussae revisionem assumet. Quod si quis ab huius etiam iudicis sententia, vel decreto se gravatum existimaverit, ea serventur, quae pro appellantibus a decreto iudicis delegati, supra exposita sunt. Si vero Praelati exempti, alios Superiores in Regno Siciliae ultra Pharum non habentes, deliquerint, antedictus iudex ecclesiasticus, tanquam ordinarius, respectu exemptorum, contra eos ut iuris fuerit, procedat, servata semper regula circa modum praescripta.

§. 20. *De iudicis ecclesiastici facultatibus*

Ne autem de facultatibus antedicti iudicis ecclesiastici disputatio unquam oriri queat, constanter declaramus, quod ille, uti supra, a Rege Siciliae ultra Pharum auctoritate Sedis Apostolicae nominatus, et delegatus, quascumque personas adversus sententias, res iudicatas, ac contractus quoscumque prout iuris fuerit, in integrum restituendi plenam, et liberam licentiam, et potestatem exercere possit, et debeat.

sae omnes criminales, spirituales, eaeque omnes, in quibus clericus nomine Ecclesiae in laicum iudicium intenderit, in quo ipsum pro suis rationibus reconvenire nemo quiverit. Eodem reconventionis intuitu clericorum actorem in iudicio succumbentem ad illata reo damna reficienda iudex laicus iure damnabit.

XVII. Sequitur quartus titulus, scilicet ius *congrui*, ut aiunt, sive *retractus*, hoc est ubi Clericus praedium emat in fraudem vicinorum, qui in ea emptione ius habent προτιμήσεως *retractus*. Olim neque a laico adversus clericum, neque a clerico adversus laicum huiusmodi iuris actio intendi poterat, at ex novissimo regio rescripto ad regiam Cameram s. Clarae dato die 17. Martii. an. 1762. laicorum, clericorumque hoc in capite conditio aequata est, statutumque clericos, aeque ac laicos iuri retractus subiectos esse, atque in Curiis laicalibus omnes eiusmodi quaestiones expediendas esse. Id quod de clericis intelligendum est, haud vero de Ecclesiis, quae, aeque ac via publica, et fiscus, nec agere, nec conveniri possunt iure *retractus* (1).

XVIII. Ultimus denique titulus est ius Principum arcendi violentias a civium possessionibus. Qua de re civi, qui vim in possessione vel passus

(1) Const. *sancimus* tit. *de iure protimeseos*.

§. 21. *De iuramentis*

Iuramenta quaecumque ad effectum agendi dumtaxat ex caussa, quibuscumque relaxandi.

§. 22. *De absolutione a censuris*

Quoscumque a quibusvis censuris, et poenis ecclesiasticis, simpliciter vel ad cautelam, si, et postquam congrue, prout debuerint, tam partibus, quam iudicibus, satisfecerint, firmis tamen manentibus, servatisque respective iis, quae circa modum, et ordinem impertiendae absolutionis superius praescripta sunt, absolvendi.

§. 23. *De absolutione ab excommunicationibus ob varia crimina illatis*

Quoscunque itidem, qui homicidium, necnon periurii reatum quomodocumque commiserint, quique bellis interfuerint, et qui adulterium, incestum, fornicationem, et aliud quodcumque flagitium carnis perpetraverint, necnon usurarios facta tamen usurarum restitutione, ab excommunicationibus, aliisque sententiis, censuris, et poenis ecclesiasticis, et temporalibus, quas quomodolibet incurrerint, iniuncta cuique pro modo culpae poena salutari, et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, etiam in utroque foro absolvendi.

§. 24. *De censuris per apostolicas constitutiones inflictis*

Declaramus tamen, nec praedictum iudicem ecclesiasticum, nec quamcumque aliam ecclesiasticam personam cuiuscumque gradus, dignitatis, et praeeminentiae sit, et quamvis de latere legatus existat potuisse, aut posse aliquem absolvere a censuris ecclesiasticis, per apostolicas constitutiones inflictis, quarum absolutio soli Romano Pontifici reservatur. Et licet hoc ipsum procedat etiam quoad illud genus absolutionis, quod cum reincidentia, et ad affectum agendi tantum, aut ad cautelam,

est, vel ei imminere formidat, regium praesidium non denegatur adversus quoscunque sive laicos, sive clericos, et quidem ex beneficio V. capitulorum Regni. Verum laico nefas est eiusmodi uti praesidio, ubi vel absque vi possessione exciderit, vel dubia sit possessio, vel denique pateat illegitimi possessoris iniustitia, his enim casibus iudicium iure ordinario in foro episcopali instituendum est.

TITULUS VI.

DE FORO ECCLESIASTICO PROPRIISQUE EIUSDEM CAUSSIS

I. Ecclesiastico foro potissimum reservatae sunt Caussae omnes spirituales, vel spiritualia negotia spectantes: quumque de his agatur, omnes *αδιαφορως* aeque clerici, ac laici ad Ecclesiasticum tribunal eas deferre iubentur. Earum porro aliae sunt civiles, criminales aliae. In civilium censu primo sunt caussae de Sacramentis, quas profecto pro eorundem substantia, quin ad ecclesiasticum iudicem unum, et *privative*, ut dicitur, spectent, in dubium revocare nullus potest. Quamobrem proprium, ac praecipuum unius Episcopi munus esse, quos idoneos noverit, ad Sacerdotium promovere, ex his alios ad excipiendas fidelium confessiones, alios vero ad ani-

---

dicitur, et quoad cognitionem, an declaratoria censurarum praedictarum valida fuerit, aut nulla, iusta vel iniusta, cum haec quoque omnia Romano Pontifici pro tempore existenti, et Congregationi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium immunitatis ecclesiasticae, et controversiis iurisdictionalibus praepositae, ad id a Sede Apostolica specialiter deputatae, privative quoad omnes alios, etiam de latere legatos competat, attentis nihilominus specialibus circumstantiis, animum nostrum moventibus, declaramus, quod praefatus iudex Ecclesiasticus, tanquam a charissimo in Christo Filio nostro Carolo VI. Siciliae ultra Pharum Rege, eiusque in posterum Successoribus, ut supra, deputatus, et delegatus, servatis de iure servandis et citra quemcumque abusum, concedere possit recurrentibus a gravamine, quod in declaratoria censurarum Sedi Apostolicae reservatarum sibi illatum esse demonstraverint, absolutiones cum reincidentia, ad effectum agendi tantum, et etiam ad cautelam, necnon cognitionem assumere, ac praedictae declaratoriae censurarum Sedi Apostolicae reservatarum promulgatae ab Episcopis, aut Archiepiscopis Regni Siciliae ultra Pharum fuerint validae, aut nullae, iustae, vel iniustae ita tamen, ut, si solius nullitatis vitio laborare cognoverint, Episcopo vel Archiepiscopo, qui ad earum declarationem respective processerint, mandet, ut ex integro procedant, reservata post novam declaratoriam absolutione plenaria Sedi Apostolicae. Et quatenus nullitatis, et iniustitiae, vel solius iniustitiae vitio laborare cognoverit, declaret, recurrentes non incurrisse: et si declaratoriam iustam esse deprehenderit, recurrentes pro absolutione ad eandem Sedem Apostolicam remittet. Quod si praefatus iudex delegatus ipse fuerit, qui ad declaratorias processerit, et censuratus se gravatum fuisse praetenderit, aut ex capite nullitatis, et iniustitiae, aut solius tantum iniustitiae, tunc ea observentur, quae supra statuta fuerunt in casu, quo quis a sententia, aut ab alio quocumque decreto eiusdem iudicis se gravatum senserit, novusque iudex ecclesiasticus ea omnia servare teneatur, quae iudex ipse delegatus iuxta ea, quae modo dicta sunt, servare teneatur in casu recursus ad ipsum facti a nulla, vel iniusta declaratoria censurarum, Sedi Apostolicae reservatarum, quae ab Episcopis, vel Archiepiscopis respective fuerint promulgatae.

marum curam habendam designare, ceteraque id genus praestare, de quibus satis *lib. I.*, res est inter catholicos extra omnem dubitationis aleam posita.

De caussis matrimonialibus

II. Verum ex huiusmodi caussis vix, aut ne vix quidem aliae ad contentiosum forum producuntur praeter beneficiarias, et matrimoniales, quum scilicet de validitate matrimonii agatur, aut sponsalium (1). Uti quoque ad Episcopum spectant caussae de divortio, et separatione coniugum quantum ad thorum (2). Adhacc quum ex regula iuris iudex competens in principali, competenter etiam ius dicat in accessorio (3), hinc iudex ecclesiasticus, ubi de matrimonii caussa cognoscit, posset etiam de dote, de donationibus nuptialibus, de praestandis alimentis cognoscere (4), nisi contrarium usu, moribusque receptum esset scilicet, ut emergentes eiusmodi quaestiones iudici laico definiendae relinquantur (5).

(1) *Toto tit. de spons.*, *et matrim. trid. sess. XXIV. de ref. matrim.* cap. 2: Concord. 1741. cap. 6. art. 5. — (2) Cap. I., et II. de divortiis: Bened. XIV. *de syn. dioeces.* lib. VII. cap. 35. n. 4.— (3) L. I. C. *de ordin. iudic*: et l. III. C. *de iudiciis*. — (4) Cap. XV. de *foro competenti*. — (5) Bened. XIV. ibidem.

---

§. 25. *De litteris monitorialibus*

Praeterea quascumque monitoriales, poenalesque litteras in forma *significavit* consueta, contra occultos, et ignotos malefactores, satisfacere, conscios vero relevaro differentes, servata tamen forma concilii tridentini, necnon constitutionis Pii Papae V. praedecessoris nostri super haec editae concedendi.

§. 26. *De commutatione votorum, deque matrimonialibus dispensationibus in tertio, et quarto gradu pro pauperibus tantum, et gratiis ex speciali facultate concedendis.*

Nec non vota quaecumque, ultramarino tamen, visitationis liminum beatorum Petri, et Pauli de Urbe, et sancti Iacobi in Compostella, et castitatis, ac religionis votis, exceptis, in alia pietatis opera commutandi. Tum etiam nationis Siculae commoditati, et utilitati prospicere volentes, eidem iudici, uti supra, nominato, et delegato a Siciliae Rege ultra Pharum, facultatem specialem elargimur matrimoniales dispensationes concedendi in tertio, et quarto gradu, gratis tamen, nulloque recepto, vel minimo emolumento, et favore eorum tantum, qui vere pauperes sunt, et miserabiles, et labore manuum suarum vivunt.

§. 27. *De absolutione a censuris ad effectum praemissorum consequendum*

Et ut concessione, gratiae, et litterae per antedictum indicem, sic,ut supra,concedendae, sublatis obstaculis, suum sortiantur effectum, quascumque personas, ad effectum dumtaxat omnium, et singulorum praemissorum consequendum, ab omnibus, et quibuscumque excommunicationibus, suspensionibus, et interdictis, aliisque ecclesiasticis censuris, quibus innodati fuerint, absolvendi, et absolutas pronunciandi.

De caussis beneficiariis

III. Caussae beneficiariae, atque adeo etiam iurispatronatus, quippe quae vel spirituales, vel prope spirituales, iure ordinario ad ecclesiasticum pertinet tribunal (1) iure, inquam ordinario, namque, uti sapienter monet Benedictus XIV. *ibidem n.* 7. quaedam ex huiusmodi caussis, vel ex privilegio apostolico, vel ex diuturna consuetudine iudici laico diiudicandae reservantur. Et sane 1, utriusque Siciliae Rex nonnulla in utroque Regno confert beneficia. 2, Caussae possessionis etiam beneficiorum per vim turbatae vi Capitulorum Regni in S. R. Consilio, iudicio, ut aiunt, summariissimo definiuntur. 3, Controversiae haud raro exoriri solitae, num scilicet bullis pontificiis, per quas beneficia conferuntur, impartiendum sit placitum regium, an non, in Curia capellani maioris, et Regia Camera ex consuetudine discutiuntur.

IV. Praeterea novissimum Concordatum 1741. tria excipit iurispatronatus genera, nimirum regii, feudalis, et de universitate bonorum. Et re quidem vera 1, regii patronatus iura quod spectat, Principes iam inde a pri-

(1) Cap. XXI. *de iurepatr.* cap. III. *de iudiciis*: Concord. 1741. cap. VI. art. 4.

---

§. 28. *De caussis, in quibus agitur de executione litterarum apostolicarum*

Pro maiori tamen cautela, ea, quae infra sequuntur, declaramus, videlicet non posse nec debere praedictum iudicem sese ingerere in caussis, in quibus agitur de executione litterarum Apostolicarum, etiam super collatione quorumcunque beneficiorum saecularium, vel regularium, pro quarum executione certi sunt dati executores, si fuerit quoquomodo reclamatum, et de illato gravamine, vel excessu dictum, tunc idem iudex in hisce caussis in omnibus, et per omnia, ut supra de aliis dictum, declamatum est procedat.

§. 29. *De subdelegatis a iudice ecclesiastico deputandis*

Deputare etiam non poterit subdelegatos, in dioecesibus praedicti Regni commorantes, multoque minus eis concedere exemptionem a iurisdictione suorum Ordinariorum, praeterquam unum, qui tamen ecclesiasticus sit, in quacumque Episcoporum residentia, et in praecipuis aliis Regni Civitatibus, ut sunt Drepanum, Therme, Mile, et Masara, seu Augusta; vulgo *Trapani, Termini, Melazzo, et Augusta,* nuncupatis.

§. 30. *De litteris patentibus exemptionis*

Praeterea nemini concedi poterunt litterae patentes exemptionis a iurisdictione sui Ordinarii ex titulo inserviendi curiae, vel tribunali ipsius iudicis delegati; exceptis tantum ministris, et officialibus necessariis: qui tamen in toto Regno non sint ultra quinquaginta, praeter eos, qui praecipuis primae, secundae, et tertiae instantiae ecclesiasticis curiis Panormi inserviunt.

§. 31. *De disciplina et observantia Regularium*

Nullatenus quoque idem iudex ecclesiasticus nec in prima instantia, nec in gra-

scis temporibus plura sibi, vel fundationis, vel dotationis nomine eiusmodi iura vindicasse erudite demonstrat Gagliardus (1). Quare non modo istiusmodi beneficia Rex confert, verum et quoties controversiae exoriantur, quae ad eadem beneficia spectare videntur, Regis iussu aequo in petitorio, ac in possessorio in Curia Capellani maioris, et regali Camera s. Clarae discutiuntur.

At 2. Iurapatronatus feudalia, et de universitate bonorum, in iis duntaxat caussis ad iudicem laicum pertinent, quibus vel de patronatu agatur, scilicet num sit feudo adnexus, an non, vel de ipsa bonorum universitate, eiusque legitimo herede, cui nonnisi simul, et bonorum possessionem, et patronatum adipisci licet.

3. Reliquae eosdem hosce patronatus spectantes controversiae, ne ad forum laicum pertrahantur, provide sanxit Carolus Borbonius regio rescripto 26. *Octobris an.* 1757. apud Gagliardum *ibid. n.* 25.

4. Legata pia, capellaniae mere laicales, et beneficia profana, scilicet quae sine ullo Episcopi consensu, et primitus constituta sunt, et postea a laicis patronis conferri consuevere, beneficiariis fori ecclesiastici caussis adcensenda non sunt. Quare in his iudex laicus tam in petitorio, quam in possessorio iure cognoscet. Fori duntaxat episcopalis ius est capellanos ad

(1) Ibid. tit. VII. §. 22.

---

du appellationis, aut per modum provisionis, sese ingerat in quomodolibet concernentibus disciplinam, et observantiam regularem personarum utriusque sexus; distributionem officiorum; collationem regularium in uno, aut altero monasterio, aut conventu, ordinationes circa chorum, et allocutorium monialium, earumque clausuram; designationes cellarum, aliaque similia, sed in his omnibus procedatur ab iis, ad quos pertinet, iuxta sacros canones, statuta singulorum ordinum, et apostolicas constitutiones.

§. 32. *De praesidibus capitulorum, et superioribus, atque officialibus in monasteriis*

Caveat similiter, ne deputet praesides capitulorum, superiores, vel abbatissas, Vicarios, vel Vicarias, vel qualescunque officiales in monasteriis, vel domibus regularibus utriusque sexus ex quocumque titulo, vel colore, sive inconvenientium, sive dissidiorum, sive discrepantiae suffragiorum, etiam per viam actuum provisionalium; sed omnino liberae remaneant iuxta sacrorum canonum praescriptum, et ipsorum ordinum regularium statuta, electiones, et deputationes omnium Praelatorum, et officiorum.

§. 33. *De magistris, praelectoribus et rectoribus studiorum*

Itidem nequeat, etiam per modum provisionis, deputare magistros, lectores, rectores studiorum, neque in possessione munerum, vel officiorum confirmare eos, qui finito tempore a constitutionibus suorum ordinum praescripto, debent illa dimittere, vel qui remoti a legitimis superioribus fuerint. In caussis autem inter regulares, vere contentiosis, et in quibus esse potest de iure locus appellationi, expleto cursu iudicii in unoquoque ordine regulari, a suis constitutionibus praefinito, si succumbentes prosequi intendant; tunc caussae ad praedictum iudicem ecclesiasticum devolvantur, qui procedere teneatur, servatis in omnibus, et per omnia iis, quae supra, quoad alias caussas statuta sunt, ita tamen, ut in caussis nullitatis pro-

missas celebrandas, aliaque spiritualia iisdem adnexa munia o beunda compellere ex Panormitano in *caput* Ioannes *de testamentis nu m.* 7., cuius sententia usu recepta est.

De caussis funerariis

V. Caussae funerariae partim ad forum ecclesiasticum, partim ad saeculare spectant Satis ostensum est, ecclesiasticae sepulturae politiam constituere, olim Episcoporum proprium munus fuisse (1). At iure novo ecclesiastici quidem iuris est, quibusnam indulgenda, vel deneganda ecclesiastica sepultura sit, decernere, controversias de electione sepulturae exorientes definire, tempus efferendis, humandisque fidelium cadaveribus designare, ac demum de usu Crucis parochialis, de abusionibus, quae hoc in capite a clericis inducantur, de iuribus funerariis inter Ecclesias, Ecclesiasticosque distribuendis, aliasque id genus controversias cognoscere, ac terminare.

(1) Lib II. tit. XIV.

---

fessionis tam ante, quam post elapsum quinquennii, nullo modo se interponat, sed illae ad normam omnino sacrorum canonum, et sacri concilii tridentini sessione xxv. *de Regularibus* cap. xxix. cognoscantur, et terminentur.

§. 34. *De usu iurisdictionis Episcopis a concilio tridentino concessae*

Ad haec Delegatus non impediat usum iurisdictionis, a sacro concilio tridentino Episcopis, uti Sedis Apostolicae delegatis, in exemptos saeculares clericos attributae; facultatem tamen habet idem ecclesiasticus procedendi etiam in prima instantia in eorumdem clericorum saecularium exemptorum caussis, tam civilibus, quam criminalibus, easdemque, iuris ordine servato cognoscendi, ac iudicandi, et in casu appellationis a decretis, vel sententiis eiusdem iudicis delegati, in omnibus ea serventur, quae supra hac de re statuta sunt.

§. 35. *De gravioribus Episcoporum caussis*

Quoad graviores Episcoporum, et Archiepiscoporum caussas, servetur omnino dispositio sacrarum constitutionum, et sacri concilii tridentini sessione xxiv. cap. v. *de reformatione*. In aliis vero minoribus, et civilibus caussis, in quibus Episcopi, aut Archiepiscopi Regni Siciliae ultra Pharum, non actores, sed rei sunt, delegatus ius habet iudicandi etiam in prima instantia, si caussa sit Archiepiscopi, vel Episcopi exempti a iurisdictione metropolitica (et signanter quoad omnes in caussis solutionis pensionum), et in secunda tantum instantia, si caussa sit Episcopi, iuri metropolitico subiecti. Tunc enim in prima instantia caussa ab Archiepiscopo erit iudicanda. In casu autem appellationis a iudicio delegati, serventur omnia in superioribus disposita.

§. 36. *De officio Iudicis Ecclesiastici erga mandata Apostolica*

Denique, ut nos, nostrique Successores Romani Pontifices, diligenter curabimus,

De caussis olim iure decretalium ad ecclesiasticum forum spectantibus

VI. Ac primo caussas decimarum ad ecclesiasticum tribunal pertinere olim edixerunt Alexander III. (1), et Innocentius III. (2). Atqui tum in aliis regionibus, tum vel maxime in nostro neapolitano Regno, iam inde ab pluribus saeculis mos inolevit, ut fideles nonnisi a laica Potestate ad decimas persolvendas compellantur, tum et controversiae hoc caput spectantes in tribunali laico discutiantur (3).

VII. Olim iure aeque communi, ac neapolitano invadentes bona quaevis, iurave ecclesiastica episcopali foro parebant, a quo per censuras ad restituenda iniuste ablata compellebantur (4). Synodi melphitana, et salernitana (5) Porro subsecuti Regni nostri mores possessoris personam potius, quam rem Ecclesiae intuentes, iamdudum eiusmodi caussas in laicum tribunal invexere. Idem intelligas de caussis ad emphiteutas, conductoresque ec-

(1) Cap. V., et VI. *de decimis*. — (2) Ibidem cap. XXVI. et XXXII. — (3) Grimaldus lib. XII. n. 5; et 6: Gagliardus ibid. tit. VIII. n. 2. — (4) Can. III., VIII; et IX. caus. 12. q. II. cap. II. *de privilegiis*. — (5) In collect. labb. tom. XII. pag. 265. Ughellius tom. VII. ital. sacr. in archiep. salern.

---

ut supra disposita, ac statuta adamussim serventur, quae vim, et effectum habere concordiae statuimus, et decernimus: nec quidquam a nostris ministris sub quovis praetextu, vel colore peragatur, quod eorumdem observantiam, et executionem retardare, vel impedire possit, ita dictus iudex ecclesiasticus nullas sibi sumat partes, etiam per modum provisionis, vel sub alio quovis praetextu, contra ordinationes, et mandata, quae vel nostra, vel nostrorum pro tempore Successorum propria manu per speciale rescriptum signata, et subscripta erunt, nec eorum executionem, quantum in ipsomet sit, audeat impedire, vel retardare; sed eisdem debita reverentia, observantia, et executio omnino praestetur.

§. 87. *Clausulae*

Decernentes, omnia, et singula, in Superioribus expressa per nullum Patriarcham, Archiepiscopum, Episcopum, aliasque alia auctoritate, dignitate, et praeeminentia fulgentes, impugnari unquam posse, aut debere, praesentesque semper validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, atque ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, sive spectabit, eas firmiter, et inviolabiliter observandas esse, nulloque unquam tempore notari, retractari, invalidari, inque ius, vel controversiam vocari posse; ipsasque praesentes sub quibusque gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos ipsos, et Successores nostros Romanos Pontifices factis, et faciendis, concessis, et concedendis, minime comprehendi; sed statuimus easdem has litteras, tanquam ad Ecclesiarum Siciliae tranquillitatem, et pacem a nobis editas, semper omnino excipiendas; et quidquid secus super his, ut praefertur per nos approbatis, a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus, non obstantibus consuetudinibus, privilegiis, et indultis, quomodocumque in contrarium praemissorum alias concessis,

clesiasticorum praediorum spectantibus, aliisque pontificio, vel episcopali consensu initis conventionibus.

VIII. Caussas quoque ex iis contractibus emergentes, quibus voti, vel iurisiurandi sanctitas aliqua ratione admixta videretur, olim sibi vindicabant Episcopi, et quidem iure decretalium (1). At id iuris iamdiu antiquatum est. Quoties enim in eiusmodi caussis de iureiurando, eiusve vi excitentur quaestiones, hae a iudice laico, ceu accessoriae, rite agitantur. Unde periurii exceptio nullo impedimento est, cur iudex laicus ulterius procedat. Quinimmo ubi instructo rite iudicio constiterit, contractum vel ipso iure, vel ob aliquem iuris defectum irritum esse, ipsum quoque iuramentum, ceu contractui adnexum, ex se cadere existimant. Ceterum nemini sive laico, sive clerico contra iurisiurandi religionem agere fas est, nisi rationabilem ob caussam a Summo Pontifice, vel ab Episcopo relaxationem impetret (2).

IX. Caussae etiam testamentariae olim ecclesiasticae fuerunt. Fidelibus enim in usu fuit, iam inde a primis saeculis Episcopis sua testamenta consignanda tradere, iisdemque eorum executionem committere, et quidem adsentientibus ipsis imperatoribus (3). Qua de re iure decretalium 1, Caussae omnes testamentariae, scilicet ubi de validitate, sollemnitatibus, aliisque id genus testamenta ipsa spectantibus ageretur, ad ecclesiasticum tribunal referebantur (4).

2. Alexander III. omnem adhiberi fidem statuit testamentis, praesertim ad pias caussas, a parochis, aliisve Presbyteris coram duobus, tribusve testibus conscriptis. Id quod Benedictus XIII. in Synodo Romana firmavit (5).

Demum 3. Si quis intestatus decedebat, usus invaluerat, ut testamentum per Episcopum suppleretur, ac certa haereditatis portione piis operibus reservata, reliquum heredibus legitimis dispertiretur (6). At vero tria haec capita secutis temporibus, praesertim in Regno neapolitano ecclesiasticis tribunalibus adempta sunt (7). Tum hac in re I. synodus provincialis neapolitana cap. 45. sic decreverat: *censet sacra synodus, consuetudinem, ut conficiant Episcopi testamenta eorum, qui intestati moriuntur,*

(1) Cap. XIII. *de iudiciis:* cap. XXII. *de iureiurando:* et cap. III. *de foro competenti* in VI. — (2) Cap. II., et VIII. *de iureiurando.* — (3) L. XXVIII. C. *de Episc., et Cler. authent.* eidem legi subiecta. — (4) Tit. *de testamentis.*
(5) Tit. XX. cap. I. — (6) Gonzalez in cap. X; et XI. ibidem : Thomas. part. III. Lib. I. cap. 24: synodus romana ibid. cap. 2. — (7) Chioc. tom. XVII. archiv.

§. 38. *Nemo has litteras infringere audeat*

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae Constitutionis, concordiae, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo octavo tertio Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno quinto vide si Bullarium Romanum edit, Cocquelines Romae 1736. Tom. XII. pag. 291. n. 233.

omnino tollendam esse, etiam immemorabilem. Mos quidem viget, ut piae defunctorum dispositiones, ubi duobus, aut tribus fide dignis testibus probatae fuerint, suam in regiis tribunalibus consequantur executionem. At illud quoque iuris obtinet, ut si parochus, aliusve presbyter, vel eas a testatore dictatas conscripserit, vel fiduciariam disponendi facultatem ab eo acceperit, unius duntaxat testis vicem subeat. Demum quum illud praecipue in caussa esset, cur caussae testamentariae ad ecclesiasticum forum referendae censerentur quod testamenta a notariis ecclesiasticis plerumque conficerentur; hinc iam inde ab an. 1571. Cardinali Granvela Prorege (1) sancitum est, ne testamenta ab aliis, quam a notariis regiis conscriberentur, adiecta quoque poena falsi, et nullitatis Actorum.

X. Antiquitus iure aeque civili, ac canonico Episcopis facultas erat prospicere, ut piae fidelium dispositiones executioni mandarentur, atque adeo fideles etiam laicos ad easdem implendas adigere (2). In Regno quidem neapolitano istiusmodi caussae habebantur, tanquam mixti fori, unde locus erat praeventioni: DD. apud Gagliardum *ibid. n.* 19 Verum an. 1540. Neapoli iussu Pauli III tribunal Rev. Camerae erectum est, eidemque Nuntius apostolicus praefectus, cuius partes erant, in legata pia, aut caduca, aut neglecta inquirere, tum et ad his faciendum satis etiam laicos compellere, ut inde corrogata pecunia fabricae ecclesiasticae Vaticanae s. Petri adhiberetur. Regiis quidem Rescriptis huiusce tribunalis potestas plures passa est limitationes et novissima Concordatorum lege 1741. provide decretum est, ut laici ad pia legata exsolvenda a laicis iudicibus adigantur, ecclesiastici ab ecclesiasticis (3).

XI. Postremo ad forum ecclesiasticum iure decretalium pertinent caussae omnes miserabilium personarum, viduarum, pupillorum etc. catenus, ut hisce personis suas civiles caussas praesertim pecuniarias, etiam adversus laicos, in ecclesiasticis tribunalibus agere fas esset. Hoc intuitu ad forum Episcopale laicorum Caussae haud raro trahebantur, et aliquando, iudice laico in exhibenda iustitia negligente, illam adversus laicorum iudex Ecclesiasticus exercebat (4). Atqui utrumque hoc caput usu receptum non est, ac praecipue de posteriore ingenue fatetur Covarruvias (5). *Hoc certe scio, eam Canonistarum opinionem apud Regia Hispaniarum, et Galliae praetoria risui equidem fore, tantum abest, ut ea in usum, et praxim recepta sit.* Porro meminerint Episcopi, ipsis, omnibusque curam animarum habentibus praecepto divino mandatum esse pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere (6).

De caussis criminalibus fori ecclesiastici

XII. Caussae criminales iure decretalium trifariam dividuntur, nimirum ut 1. aliae sint mere ecclesiasticae, scilicet, ubi agatur, de criminibus ad-

(1) Pragm. II. *de contractibus.*
(2) L. XXVIII. C. *de Episc., et cler:* Iustin. nov. CXXXI. cap. II. III. XIII. *de testamentis.*— (3) *Cap. IX. art. 6.*—(4) Cap. XV., et XXVI. *de verb. signif.* et cap. VI. X., et XI. *de foro compet.*
(5) Pract. quaest. cap. VI. n. 1. — (6) Trid. sess. XXIII. de ref. cap. X: conc. mediol. III. cap. XVIII.

versus Fidem, Religionem, Sacramenta etc: aliae 2, profanae, quibus in crimina Rempublicam laedentia inquiritur, uti homicidium, furtum, rapina etc: aliae demum 3, communes, nimirum, quum de delictis Religionem simul, et Rempublicam violantibus tractatur, uti adulterium, periurium, blasphemia etc. Caussae profanae, et communes foro laico, saltem iure novissimo, reservatae sunt: caussas vero ecclesiasticas solus cognoscit iudex ecclesiasticus.

XIII. Iam vero plura hac in re peculiaria praescribit ius neapolitanum Ac. 1, caussae Fidem spectantes, uti crimina haereseos, et polygamiae, ac execranda laicorum temeritas, qui vel sacrosanctum Missae Sacrificium, aliave sacrorum Ordinum ministeria peragere, vel fidelium confessiones excipere ausint, ex novissima Concordatorum lege 1741. ecclesiasticae Potestati reservata sunt (1).

2. In publicos peccatores, qui aliis offensioni sunt, uti sacrilegos, adulteros, concubinarios, usurarios, blasphemos, aliosque eiusdem furfuris homines, ius est Episcopi animadvertendi censuris poenisque tantum spiritualibus: Concordatum 1741. *ibid. art. 5.*

3. Festorum dierum violatores ex regio edicto 3. Iannari 1749. poenis duntaxat spiritualibus ab ecclesiastico, temporalibus a laico magistratu plectendi sunt.

4. Demum si in foro laico, dum de atrociore quodam crimine agitur, quaestio incidat mere spiritualis, e. g. ex processu adversus sacrilegum quendam sacrae pixidis furem, aut blasphemum, suspicio haereseos emergat, iudex laicus ex inveterato tribunalium usu, quem concordatum *ibid. art.* 5. comprobat, caussam una cum actis, ipsumque reum ad Curiam ecclesiasticam remittit, ut ipsa de crimine haereseos ius dicat: quo iudicio peracto, reus denuo Iudici laico tradendus est, ut procedat ad ulteriora. Igitur Concordati beneficio ab utroque foro eliminatae sunt contentiones olim acerrimae, ac frequentes de criminibus mixti fori.

Multiplici nomine cuicui forum sortiri datum est

XIV. Quamvis omnium ecclesiasticarum caussarum, quae in singulis emergant dioecesibus, nonnisi Episcopus dioecesanus iudex sit ordinarius, potest tamen una, eademque persona plura, variaque fora sortiri peculiaribus quibusdam titulis: nempe *domicilii, originis, contractus, delicti, rei controversae, beneficii, successionis, prorogationis*, ac demum *privilegii* (2).

XV. Ac. 1. dicitur quis alicubi domicilium constitutum habere, ubi multis annis incoluerit, atque in eius animo voluntas inhaereat ibi perpetuo commorandi, id quod ex mora decennii dignoscitur, et ex maioris saltem suorum bonorum partis in domicilii locum invectione. Igitur potest quis in sui domicilii foro conveniri: quinimmo ex aliena etiam iurisdictione licet incolas quoscumque in domicilii forum trahere (3).

2. Originem constituunt natales, unde ille originis locus habetur, ubi

(1) Cap. VI. art. 1. et 2.
(2) Gagliardus ibid. tit. IX.—(3) L. V. D. *de iudiciis.*

quis ex parentibus ibi fixum habentibus domicilium natus sit: *cives enim in primis facit origo* (1). Atqui ut quis ad forum originis trahatur, satis non est, ut ibi fuerit progenitus, sed etiam requiritur, ut ibi praesens sit: neque enim a loco, ubi iamdiu sibi constituerit domicilium, in natali solo, nisi praesens ibidem sit, in ius vocari potest (2).

3. Ratione contractus potest quis compelli ad satisfactionem in eius loci foro, ubi contrahendo onus subiit satisfaciendi. Qua de re tutori, et negotiorum gestori, ubi tutelam, curam, negotiaque gesserunt, ibi rationes reddendae sunt (3).

4. Ratione delicti potest quis denuntiari, legitimisque poenis adfici in loco, ubi delictum vel inchoatum, vel commissum est (4). Idem quoque canones efferunt, ac praesertim apud Gratianum (5).

5. Forum rei controversae quis sortitur quantum ad actiones reales, atque adeo etiam mixtas, scilicet personales in rem scriptas. In his datur cuicui actio adversus quoscumque possessores, licet alibi domicilium, originemque habeant (6).

6. Eadem beneficiarii fori ratio videtur esse, scilicet clericus in controversiis suum beneficium spectantibus legitime in foro loci, ubi illud situm est, convenitur (7).

7. Ratione successionis heres, licet absens, in proprio defuncti testatoris foro conveniendus est (8), atque adeo lis cum defuncto incoepta, in eodem foro ipsi suscipienda est (9). Ubi enim hereditatem adit, cum defuncti creditoribus veluti contrahere videtur.

8. Ratione prorogationis, scilicet quum quis iurisdictioni iudicis incompetentis, ad cuius forum deductus est, litem coram ipso contestando se subiicit (10). Porro clerici laici iudicis iurisdictionem prorogare vetantur; at duntaxat in iudicem incompetentem possunt consentire, quum is Persona sit ecclesiastica, et Episcopi dioecesani voluntas accedat (11).

9. Postremo forum privilegii sortiuntur monachi, et regulares, qui speciali Sedis Apostolicae praerogativa ab episcopali iurisdictione sunt exempti, licet in multis adhuc Episcopis ipsis parendum sit: uti exposuimus (12). Sunt quoque et clerici saeculares nonnulli, qui ab episcopali foro exempti forum habent privilegii. Quinam vero vel saecularium, vel regularium sint, qui hoc fruantur privilegio, videsis Gagliardum qui haec copiose satis, ac erudite explicat (13).

(1) L. VII. C. *de incolis*.—(2) Fagnanus ad Cap. I, *de foro competenti* n. 21.
(3) L. I. C. *ubi de ratiociniis* L. XXXVI, XXXVIII. L., et CII. D. *de iudiciis*.
(4) Leg. I. Cod. *ubi de criminibus*. Iustinianus novell. LXIX. cap. 1.—(5) Can. IV., *et* V. Causs. 6. Q. III: Innocent. III. cap. XIV. *de foro competenti*: et cap. II. *de privileg*.
(6) L. XXXIX, et L. D. de *iudiciis*. Abbas in cap. ult. *de foro compet*.—(7) Cap. III. *de tempor. ordin. in VI.*: trid. sess. XXIV. de ref. cap. 3.—(8) L. XIX. D. *de iudiciis*.—(9) L. XXXIV, et XXXVI. *ibid*.—(10) L. I., et II. D. *de iudiciis*, L. XV; et XVIII. D. *de iurisd*.—(11) Cap. XVIII. *de for. compet*.—(12) Lib. I. tit. ult.
(13) Instit. canon. libr. III. tit. XII; et XIII.

TITULUS VII.

DE IUDICE

I. Iudex proprie dicitur, qui ita iudicat, ut in eo publico munere fungatur. Et saue iudicandi munus publicum est (1). Quare iudices omnes dicuntur habere notionem, h. e. facultatem cognosceudi iure publico constitutam (2). Improprie iudices dicuntur arbitri, qui ex consensu litigatorum, et compromisso eliguntur. Profecto privatorum consensus iudicem non facit (3). Adpellantur tamen iudices propter adfiuitatem, quam cum veris iudicibus habent, eo quod partibus iudicis funguntur, et arbitria ad iudiciorum similitudinem redacta sint (4).

II. Iudicis nomen aliquando generatim usurpatur; scilicet ut omnes complectatur, qui cognoscendi, et iudicandi potestatem habent, sive illam iure magistratus, aut vi alicuius iurisdictionis exerceant (5), sive iure nudae notionis, uti in Iure Civili iudices pedanei, in Iure vero Canonico iudices delegati. Atque hinc patet quidnam discriminis statuendum inter iudicem Ordinarium, et Delegatum, qua de re iam egimus *super tit. III.* de Iudicio ordinario, et delegato.

III. Porro iudices ordinarii proprie, ac primario sunt soli Episcopi, quibus veluti *ουσιωδως essentialiter* totius dioeceseos iurisdictio convenit (6). Vicarii Episcoporum generales etiam ordinarii dicuntur: ii enim nullum distinctum constituunt forum, sed quum iudicia exercent, ipsammet Episcopi personam, veluti pro tribuuali sedentem, sustinent (7). Non dissimili ratione Sedis Apostolicae Legati (quorum usus saeculo XII. primum ex iure Civili in ecclesiasticum inductus est) etiam ordinarii censentur: licet enim eis auctoritas ex speciali R. Pontificis delegatione sit impertita; attamen, quia *αμεσως immediate* Pontificis gerunt vices, universamque exercent iurisdictionem, ordinarii adpellari consueverunt.

IV. Igitur iudex delegatus ab Ordinario distinguitur, tum quod iurisdictionem neque propriam habet, neque suo nomine exercet, tum vero praecipue, quod munus suum alteri demandare nequit, nisi tamen sit delegatus a Papa (8). Sicut enim Iure Romano iudex a Principe datus iudicis constituendi potestatem habebat, ita hoc exemplo R. Pontifices suis legatis ius dandi iudices denegandum non censuerunt (9). Quamobrem huiusmodi Sedis Apostolicae legati possunt non modo clericos in dignitate constitutos, verum et ipsos Episcopos subdelegare, eosdemque, si necessitas urgeat, etiam compellere, quin et sententiarum executionem iisdem demandare, ita tamen ut in coactione modum servent, dignitati deferant, et personae (10).

V. Ubi primum delegatorum usus invaluit, caussae etiam in remotissimis regionibus delegari coeperunt. Verum concilium lateranense IV. ut li-

(1) L. LXXVIII. D. *de iudice.*—(2) L. V. D. *de re iudic.* —(3) L. III. C. *de iudiciis.* — (4) L. XIV. C. *ibidem.* — (5) L. I. D. *de iudic. tot. tit. de iurisd. omn. iudic.*

(6) Cap. VII. de officio Ordin. in VI.—(7) Videsis lib. I. tit. XXVII.—(8) Cap. XXVII. *de officio, et potestate iudic. deleg.*—(9) Cap. III. VI., et VII. *eod. tit.*

(10) Cap. XXVIII. eodem, et cap. II. eodem in VI.

tigantium commodo prospiceret, cavit, *ne quis ultra duas dietas extra suam dioecesim per litteras apostolicas trahi possit* (1). Quod postea spatium ad unam dictam coarctavit Bonifacius VIII. (2). Hoc antiquis canonibus quammaxime conforme est, quibus decernitur: *quaecunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, definienda* (3).

VI. Restat ut paucis complectamur, quaenam personae vel a natura, vel a iure iudicis munus suscipere, aut exercere vetentur. Ac 1, iure iudices agere nequeunt foeminae, quippe quae ratione sexus incapaces sunt iurisdictionis (4).

VII. Excipe Reginas, quae ratione eminentis dignitatis, qua pollent, in Regnis, ubi huiusmodi invaluit consuetudo, ius dicere non vetantur (5). Quin et Abbatissae aliquae (uti est cupersanensis in nostro Regno), vel ex consuetudine, vel ex privilegio iurisdictionem non modo in suas canonicas, vel sanctimoniales exercent, verum et in clericos sibi subiectos: quos etiam ab officio, et beneficio suspendere possunt (6). Excommunicationis vero censuram infligere vetantur: excommunicandi enim potestas clavium Ecclesiae est, quae foeminis traditae non sunt. Eadem ratione suspensio, qua de loquitur indicatum *caput* XII. neque veri nominis suspensio intelligenda est, quae aeque ac excommunicatio clavium potestatem requirit, sed simplex prohibitio celebrandi divina, fructuumque subtractio.

VIII. Ex Iuris praescripto a iudicis quoque dignitate arcentur servi, et quidem quod ratione conditionis Iure Civili pro mortuis habentur (7). Tum etiam omnes infames (8). Quin immo non modo qui ob crimen aliquod damnati fuerint, verum et qui famosum aliquod admiserint scelus, quod notorium sit, iudices dari nequeunt (9). Unde haeretici, schismatici, excommunicati non modo iudicis officium suscipere, verum et susceptum exercere vetantur (10). Id tamen est animadvertendum ex bulla Martini V. *ad evitanda*, excommunicatum iurisdictione non orbari, nisi fuerit denunciatus, vel publicus clerici percussor. Adhaec et illiterati: iudici enim ad legum, canonumque normam sententia proferenda est (11).

IX. Ab natura demum iudices agere nequeunt surdi, muti, furiosi, mentecapti, impuberes (12). At si de minoribus quaeras, aliud iure Civili, aliud vero Iure Canonico obtinet. Iure enim civili quicumque XVIII. annum explevit, potest iudex constitui: at Iure Canonico nonnisi vigesimo anno expleto potest quis iudicem agere (13). Tantummodo ex partium consensu poterit iudex eligi is, qui quamquam XX annum non pertigerit, XVIII tamen iam compleverit (14).

X. Iudici, uti modo innuimus, non pro lubitu, sed ad legum, canonumque normam sententia est proferenda, quippe qui legum minister est, non

(1) Cap. XXVIII. *de rescriptis*.—(2) Cap. II. *eodem in VI*. —(3) Syn. carth. an. 325. epist. ad *Coelestinum Pontificem*. S. Cyprianus epist. LV. *apud Pamelium*. —(4) L. II. D. *de reg. iuris*.—(5) Cap. IV. *de arbitris*.—(6) Cap. XII. *de maioritate*, et *obedientia*.

(7) L. CCIX. D. *de reg. iuris*.—(8) Can. I., et II. caus. 3. q. VII.—(9) L. IV., et VI. C. ad L. iul. I. un. C. de infamibus.—(10) Can. IV. caus. 24. q. I. cap. XIII. §. 5. *de haereticis*.—(11) Can. IV. caus. 3. q. VII.(12) Videsis Gonzalesium ad cap. XIII. *de rescriptis*.—(13) Cap. XLI. *de off. et potest. iudicis delegati*.
(14) Indicato cap. XLI.

arbiter, et cavere debet, ne vel ob iuris imperitiam, vel quia partium studiis addictus, vel quia dona acceperit, aliter iudicet, quam legibus, aut moribus est proditum (1). Unde iubentur iudices *ex legum praescripto suffragium dare* (2). Et Augustinus (3): *quum fuerint leges institutae, et firmatae, non licebit iudici de ipsis iudicare sed secundum ipsas.* Potest sane iudex verba legis, si duriora videantur, aequitate quadam flectere, ut legislatoris voluntatem custodiat: quin immo id facere iubetur (4). At ubi et verba legis sunt perspicua, et legislatoris meus pateat, ab ipsa lege ne latum quidem unguem indici est recedendum.

XI. At quid si iudici liquido constet falsitate aliqua vel testium, vel instrumentorum bonam caussam laedi? Erit ne excusatus in foro animae, ubi secundum adlegata, et probata eum condemnat, quem secundum privatam scientiam scit esse innocentem? ita docuerunt quamplures ex Canonistis. Verum tutius aliis videtur, quorum sententiae nostrum calculum addimus, ita ex actis, et probatis iudicem iudicare debere, ut tamen nunquam iudicet contra conscientiam. Qui enim secundum ea, quae probantur, iudicare unquam quiverit, qui iudicabit contra conscientiam? Profecto *probare* latinis tantundem est, ac *fidem facere*. Cui autem fides facienda, nisi iudici? Huic enim eorum, quae adlegantur, examen mandatum est, et quidem ea conditione, ut ex animi sententia decernat (5), et pront religio suggerit (6). Iam vero, si ea, quae adlegantur, pugnent cum scientia iudicis, fidem iudici facere non poterunt, quum falsa sint; et religione, metuque iustissimi Numinis prohibebitur secundum ea iudicare. Una enim, et simplex est veritas: ac proinde dividi conscientia, aut scientia iudicis in publicam, ac privatam non debet. Igitur divino, humanoque iuri magis consentaneum videtur, ut si iudex talis sit, a quo nulla detur provocatio, in quaestione facti ex animi sui sententia, religione, et conscientia pronuntiet, veritatemque adserat, spretis testimoniis, quamvis ipse solus falsa ea esse certo sciat. Sin vero is iudex est, a quo provocari ius sit, satius erit eum a iudicando abstinere, et testimonio suo, quantum in se est, caussam eius, cui iniuria sit, apud Iudicem Superiorem adiuvare, ne temere publica testimoniorum spernatur auctoritas, aut auditus pateflat pravis hominibus, qui aliquando studio gratificandi cui velint colore scientiae, aut conscientiae, falsum deponant.

TITULUS VIII.

DE ACTORE ET REO

I. Actor, et reus litigatores sunt, inter quos res agitur, et quorum ille est, qui litem intendit, hic qui excipit. Igitur qui adversarium in ius vocat actor dicitur (7). Non secus ac foemina, quae ius suum in foro experitur,

(1) L. XIII. C. *de sent., et interloc.*—(2) Nov. CXXVI.
(3) In lib. de vera Relig. cap. XXXI.—(4) L. XVIII. C. *de legibus.*
(5) L. III. §. 2. D. *de testibus.*—(6) L. LXXXIX. D. *de iudiciis.*—(7) L. XIII., et LXII. D. *de iurisdict. omn. iudic.*

actrix dicitur (1). Ast quamquam iure civili neque minor sine tutoris consensu, neque filius familias praeter patris voluntatem agere plerumque possit; uterqe tamen iure canonico in caussis beneficiariis, spiritualibus, iisdemque adnexis agere liberrime potest (2). Monachus sine abbatis venia agere vetatur, nisi ex peculiari eiusdem facultate extra monasterium suam vitam traducat.

II. Qui in caussis criminalibus adversus aliquem actionem intendit, proprie dicitur accusare: scilicet iudiciis criminalibus publicis, vel extraordinariis experiri, crimenque deferre. Quid quod iure canonico accusare, et denuntiare non unum idemque sunt? Accusat enim, qui reum iudici deferens ultionem exposcit, et poenam vult ei infligi; denuntiat vero, qui criminosum quidem Episcopo defert, non tamen eum publice puniri amat, sed tantum eius emendationem quaerit ope episcopalis redargutionis. Quamobrem denuntiationem praecedere semper debet privata, et amica monitio (3). Adhaec denuntiatio necessum non est, ut in scriptis fiat cum inscriptione actionis, ac nominis denuntiatoris ad subeundam talionis poenam, si a congrua criminis probatione deficiat (4), quae omnia accusationem constituunt (5), sed duntaxat per illam Superiori via sternitur ad inquisitionem, de qua mox. Hic εν παροδω *obiter* adnotandum poenam talionis obsolevisse ea de caussa, quod homines ab accusando deterreret.

III. Accusatio unius est generis; at denuntiatio in multiplices formas dividitur: ac 1. in *iudicialem*, *evangelicam*, et *canonicam*. *Iudicialis* dicitur, quae publico defertur iudici non modo, ut reus corrigatur, verum etiam ut debita poena ad publicam utilitatem mulctetur. Et haec profecto parum ab ipsa differt accusatione, quare huiusmodi denuntiatori crimen ex parte saltem probandum est, licet poenam nullam subeat, si in probatione deficiat, nisi apertum infesti calumniatoris animum prodiderit (6). *Evangelica* est, quae unius denuntiati utilitatem respicit: recte hoc donatur nomine, siquidem per Evangelium praecipitur (7). *Canonica* demum dicitur, quum quis canonicarum poenarum metu aliquid ecclesiastico Superiori detegit, e. g. alicuius matrimonii impedimenta, ad quae Episcopo, vel parocho detegenda quisque per publicas parochiales proclamationes adigitur (8).

IV. Dividunt rursus iudicialem denuntiationem in publicam, et privatam. Publica est, quum Episcopus in synodo dioecesana peculiarem constituit ministrum ad inquirendum in crimina dioeceseos, qui ea sibi in futura synodo deferat, ut criminosos corrigere, ac punire possit (9). Privata dicitur, quum quis alterius crimine lacsus, veluti periurio, violato foedere, etc prius infestum hominem monet, dein, ubi nihil privata monita proficere praesentiscat, Episcopo illum denunciat (10).

V. Quum iudicialis denuntiatio parum ab accusatione differat, quotquot ius ab accusatione non prohibet, iidem et denuntiare recte poterunt. Sed non omnium accusatio indiscriminatim recipitur; accusare enim iure vetan-

(1) L. XXXI. C. de lib.—(2) Cap. III., et fin. *de iudiciis in VI.*—(3) Cap. II. *de accusat.*—(4) Cap. XVI. *de accusat.*—(5) Can. III; et IV. caus. 2. q. VIII.
(6) Cap. II. *de calumniat.*—(7) Matth. XVIII. 15.—(8) Cap. XIII. *de despons. impub*: trid. sess. XXIV. de ref. Cap. I.—(9) Cap. XXV. *de accusat.*—(10) Cap. XIII. *de iudiciis.*

tur infames, criminosi, pupilli, milites, etc. At de his opportunius in *institutionibus civilibus*. Ius nostrum quod peculiariter, spectat, criminalem actionem intendere clerici, et monachi vetantur, nisi iniuriam sibi illatam ulcisci velint, at simul contestentur se ab sanguinis poena prorsus esse alienos (1). Vetatur ex diverso laicus clericum accusare ob reverentiam eorum dignitati debitam (2), ni et laicus iniuriam sibi, suisque illatam persequatur (3).

VI. Sunt tamen atrociora quaedam crimina, ad quae deferenda etiam alias non idonei admittuntur, uti sacrilegium (4), delicta laesae maiestatis (5), simonia (6), et alia id genus.

VII. Adhuc est et tertia in caussis criminalibus procedendi ratio, scilicet per inquisitionem. Nimirum ubi iudex nullo accusante, vel iudicialiter denuntiante, in crimen aliquod ex officio inquirit, tum per inquisitionem procedere dicitur. Porro uti accusationem inscriptio, denuntiationem benevola monitio, ita inquisitionem praecedere debet clandosa insinuatio: fama scilicet, seu publicus rumor, et is non levis, qui facinorosum iudici veluti denuntiare videatur (7). Atqui hoc de speciali duntaxat inquisitione intelligas; nempe ubi contra certam personam certo quodam de crimine inquisitio instituatur (8). Est enim et inquisitio generalis, qua scilicet Praeses inquirit, num in sua Provincia sint homines facinorosi (9). Est demum et inquisitio mixta, scilicet, quum homine quodam occiso, iudex in homicidam inquirit, vel quum de certa aliqua persona generatim inquiratur, num crimen aliquod perpetraverit, veluti ubi quis ad publicum quoddam munus, vel dignitatem est promovendus (10).

De reo

VIII. Antiquitus tam qui agebat, sive petebat, quam qui accusabatur, sive in quem agebatur, rei adpellabantur, unde Cicero (11): *reos adpello non eos modo, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur*. Et Festus lib III. *contestari est, quum uterque reus dicit: testes estote*. Vulgo tamen usu nunc obtinet, ut sicuti qui agit actor dicitur, ita is solus, cum quo agitur, reus dicatur, et quidem *κατ' ἐξοχὴν per excellentiam*, quia de re eius praecipue iudicio agitur, vel cui solum periculum imminet condemnationis.

IX. Reus, ubi legitime a iudice interrogetur, in caussa aeque civili, ac criminali, num teneatur veritatem fateri, quaestio est iamdiu in scholis agitata. Verum sanioris doctrinae theologi, et canonistae cum s. Thoma (12), docent, eiusmodi reum veritatem dicere, propriumque crimen prodere omnino teneri; sin secus, graviter peccare. *Pertinet ad debitum iustitiae*, inquit s. Thomas, *quod aliquis obediat suo superiori in his, ad quae ius*

(1) Cap. II. *de homic. in* VI.—(2) Can. I; et II. caus. 2. q. VII.—(3) Cap. XIV. *de testibus*.—(4) Can. VII. caus. 6. q. 1. L. X. C. *de Episc; et cleric*.—(5) L. VI. VII; et VIII. C. *ad L. iul. mai*.—(6) Cap. VII. *de simonia* —(7) Cap. XXI. §. 1, cap. XXIV. *de accusat*: et Cap. XXXI. *de simonia*.

(8) Indicato cap. XXIV. *de accusat*: et L. XIII. D. *de off. Praes*.—(9) Dicta L. XIII., et cap. XXIV. *de accusat*.—(10) Cap. XIX. de elect. cap. XIII. *qui filii sint legit*. Cap. XXI. *de accusat*.—(11) Lib. II. de orat.—(12) II. II. q. 69. art. 1.

praelationis se extendit, iudex autem supior ester respectu eius, qui iudicatur: et ideo ex debito tenetur accusatus iudici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam iuris exigit. Et ideo si confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat. Porro si iudex non legitime interrogat, veluti quum interrogat de crimine occulto, reus veritatem fateri non adigitur, *sed potest vel per adpellationem, vel aliter licite subterfugere:* s. Thomas *ibidem.*

TITULUS IX.

DE EPISCOPALIS CURIAE ADMINISTRIS

I. Praecipui Curiae episcopalis administri sunt officialis, adsessor, advocati, procuratores, Advocatus fiscalis, et scribae, seu graphiarii. De Officiali, h. e. Vicario in temporalibus satis (1): de reliquis hic breviter.

De Adsessore

II. Adsessor ita dictus ex eo, quod magistratui pro tribunali sedenti veluti adsideret, et in caussis discutiendis suo consilio eum dirigeret, unde etiam *consiliarius* adpellari consuevit (2). Quum enim Magistratus iurisprudentiam profiteri non necessario debuisset, indigebat sane opera iurisperiti qui sua prudentia, et consilio cum in iudiciis ferendis veluti manuduceret, atque ita recte munus suum obiret (3).

III. Magistratuum civilium exemplo permoti coeperunt et ipsi Praelati ecclesiastici, qui iure ordinario, vel delegato iudicandi potestate fruerentur, in caussarum cognitione sibi Adsessores adsciscere; tum praesertim quum forensis iudiciaria methodus in Curias ecclesiasticas invecta est (4). At quia iudices non raro, nec sine contendentium partium gravamine, Adsessores, ac etiam plures sibi adiungere consueverint; hinc Bonifacius VIII. sanxit (5): ut *iudex Adsessorem (ut quandoque faciunt aliqui fraudulenter) nisi eo indigeat, quod conscientiae relinquatur eiusdem, sibi nequaquam adiungat, alioquin de suo proprio providere teneatur eidem. Si autem indigeat.....faciat a partibus communiter provideri.*

De advocatis

IV. Advocati ita dicti ab advocando: quum enim quis in ius vocabatur, aut invitus ad illud rapiebatur, iureconsulti plerumque advocabantur, qui caussam, si ipsi litigantes nollent, aut non possent, proponerent, defenderent, aut eis succurrerent (6). Antiquo Ecclesiae iure litigantes non per Advocatos, sed per semetipsos actionem coram iudice Episcopo edebant, atque adeo etiam post novam iudiciariam methodum in Ecclesiasticum fo-

(1) Lib. I. tit. XXVII.—(2) L. V. D. *de officio adsess.*
(3) L. II. *quod quisque iuris in alter. statuer.*—(4) Syn. cantuar. can. XXVII.
(5) Cap. XI. §. *Adsessorem de rescriptis* in VI.—(6) Tullius de orat. III. cap. 35.

rum invectam hoc ab Innocentio III. praescriptum invenimus (1). Attamen usus invaluit, ut plerumque fori expertes litigantes advocatorum clientelae se commendent.

V. Quam ob rem advocati munia sunt: 1, Caussarum, quas defendendas suscipiunt, prius naturam penitus introspicere, et de ipsarum iure adprime instrui.

2. Mox clienti aperte exponere, num iusta sit, an iniusta lis, quam adgredi tentat.

3. Si iniusta, clientem ab ea suscipienda pro viribus deterrere, eoque obtinente, et quocumque lucro neglecto, ipsum deserere. Namque tum per naturale ius, tum etiam per speciale iuramenti vinculum, cui caput obligavit, prohibetur illi caussae, quam parum iustam noverit, patrocinari.

4. Atque adeo etiam caussae, quam principio, velut iustitiae speciem praeseferentem suscepit, ac dein eam pertractans iniustam noverit, patrocinium statim dimittat. Semper enim iniustitiae nomine recte accusaretur.

5. Adhaec caussam deserat, etiamsi persentiscat alios Patronos eandem in sua fide fore recepturos, vel gravia sibi, aut clienti detrimenta ex derelicta lite imminere praenoscat.

Neque 6, in hoc casu adversam partem ad transigendum cum suo cliente pertrahat.

7. Demum ex industria iurgium ne protrahat (2).

VI. Advocati igitur munus perquam periculosae plenum opus aleae est: *nos, qui in foro*, inquiebat Plinius (3), *verisque litibus terimur, multum malitiae, quamvis nolimus, addiscimus*. Quam ob rem clerici in sacris constituti, aut beneficio ecclesiastico donati advocatos agere vetantur, nisi propriis, vel suorum, vel Ecclesiae, vel demum inopum personarum caussis patrocinari velint (4). Ast hic adnotandum, hanc decretalem de advocatione coram Iudice saeculari diserte loqui, atque proinde clericis caussas agere in foro ecclesiastico stricto iure vetitum non esse. Veruntamen quia et in foro ecclesiastico, aeque ac in civili caussae non sine forensi strepitu, et contentione exagitantur, parum clericali vocationi decens videretur in quolibet foro caussas agere. Quia vero summae pietatis, charitatisque opus est oppressos pauperes levare, eorumque patrocinium suscipere, hinc in plerisque curiis ecclesiasticis Advocatus pauperum constitutus est, qui pro illis caussas agat (5).

De procuratore

VII. Procurator ille dicitur, qui alterius negotiorum curam sive ex eius mandato, sive sponte suscipit (6). Ac proinde plura sunt procuratorum genera pro variis negotiis, quae procurare possunt. Hic tantummodo de procuratore iudiciario agemus: de reliquis enim opportuniori loco in *instit. civil.*

VIII. Veteri Romanorum iure nemini licebat per procuratorem suam

(1) Cap. XIV. *de iudiciis.*
(2) L. VI. C. *de postulando.* — (3) Lib. II. epist. III. *ad nepotem.*
(4) Cap. I. *de postulando.* — (5) Syn. prov. neap. II. tit. XII. cap. 2. — (6) L. I. D. *de procur.*

caussam agere. At iure novo (1) tam actor, quam reus per procuratores in iudicio comparere possunt, criminalibus duntaxat caussis exceptis, uti inferius dicemus: quod etiam iure nostro fuit confirmatum (2). Ex quo patet procuratores a civilibus Curiis ad ecclesiasticas commeasse.

IX. Iam vero quum procuratori, non secus ac advocato, caussa administranda contra adversam partem demandetur, hinc a procuratore eadem pene, quae ab advocato erga suum clientem, praestanda sunt, hoc est litis iniustae procurationem deserere, iniustitiam suo clienti detegere, etc.

X. Procurator in iudicium non admittitur, prius quam mandatum illius, cuius caussam procurare vult, in scriptis redactum, vulgo *procuratorium* dictum, non exhibeat (3). Quod quidem mandatum si generale fuerit, potestatem habebit procurator agendi, excipiendi, litem contestandi, ceterosque iudiciarios actus exercendi, iis exceptis ad quae requiritur speciale mandatum, uti praecipue in iureiurando deferendo, vel referendo, in quo nonnisi suo nomine ageret procurator (4).

De advocato fisci, et promotore.

XI. Postquam in Curias ecclesiasticas forensis civilium tribunalium methodus invecta est, horum instar constitui etiam in illis coeperunt advocati fiscales, et procuratores officii, vulgo *promotores* dicti, qui caussas publicas, et ad communem Ecclesiae utilitatem spectantes patrocinarentur, earumque decisionem ab ecclesiastico Iudice quam citissimam expostularent.

XII. Quum vero promotores lucri caussa permoti non raro publica delicta, atque adeo gravissimas abusiones dissimularent, aut cum accusatis, vel denuntiatis clam componerent, factum est, ut plura hac super re statuta fuerint. 1, ut promotor nullam adgrediatur caussam, nisi prius in denuntiata crimina, eorumque veritatem diligenter inquisiverit.

2. Antequam ad iudicium contradictorium, ut vocant, accusatas personas evocet, caussam officiali referat, ut dispiciat, an pacatius, et sine strepitu forensi illam agere expediat.

Tum 3, cuiuscunque generis caussas adgredi vetatur, nisi prius de iisdem cum advocato fiscali conferat, earumque iustitiam, vel iniustitiam plene perspexerit.

Quamobrem 4, caussae instructionem saltem summarie in scriptis advocato eam petenti exhibere tenetur.

Adhaec 5, iureiurando se adstringit adversus neminem actionem intentaturum, nisi quem vere delinquentem crediderit.

Uti quoque 6, fidem suam obligat nulla ratione muneribus, prece, odio, aut favore sese permotum iri, vel ad excessus supprimendos, vel ad componendum cum delinquentibus in aliquo crimine.

7. Tandem quia promotoris praecipue est inquirere in crimina, et excessus ecclesiasticorum, hinc plures synodi sanxerunt, ut nonnisi ecclesiastici promotoris officio fungantur.

(1) Instit. lib. IV. tit. X.—(2) Tit. de procur. in lib. decret.
(3) Cap. I. *de procur.* — (4) L. XXXIX. D. *de procur.*

De scribis sive graphiariis

XIII. Concilium lateranense IV. (1) ecclesiasticis iudicibus praecipit, ut *tam in ordinario, quam in extraordinario iudicio, semper vel publicam personam, vel duos idoneos viros* adhiberent, qui fideli manu omnia iudicii acta exscriberent.

XIV. Persona publica, cuius haec decretalis meminit, non alia profecto est ab illa, quam Romani cancellarium (2), nos scribam, et graphiarium dicimus, cuius proprium munus est *universa iudicii acta conscribere:* videlicet citationes, dilationes, exceptiones, sententias sive definitivas, sive interlocutorias etc., et reliqua omnia, quae tam ad officii, quam partium instantiam expediuntur sub data illius diei, quo decreta, mandata, aut facta fuerint, eademque fideliter, diligenterque in tabulariis, sive archiviis adservare, ut ex iis semper veritas depromi queat (3). Quum vero in archiviis deposita erunt, custodis archiviorum partes erunt illa custodire, nec ulli tradere, qui prius facultatem in scriptis ab Vicario non impetrarit (4).

XV. Quae quum ita sint, viri fidelitatis quantae maximae graphiarii sint, oportet, non modo ut munere suo recte, fideliterque fungantur, verum etiam, ut in exigendis salariis metam rationis non excedant; qua de re graviter conqueritur Bonifacius VIII. (5). Unde in plerisque curiis, uti in nostra neapolitana, salaria constituta sunt (6). Et expressius II. provincialis ibidem *ne dextera eorum plena muneribus fiat dextera iniquitatis, mandat sancta synodus, ut non solum taxa innocentiana, quoad mercedes ministrorum adamussim abservetur, verum, etiam taxa provincialis de unanimi Patrum consensu confecta pro universa provincia perpetuo valitura tam pro caussis civilibus, et criminalibus, quam pro aliis quibuscunque, quae ibi taxata sunt, cuius taxae inviolabilem observantiam summo studio in dioecesibus suis exigant Episcopi. Utrumque autem tam innocentiana, quam haec provincialis in aula publicae audientiae adfixa retineatur, nec non in Cancellariis, ut omnibus pateat.*

TITULUS X.

DE PROCESSU CIVILI INSTRUENDO

I. Processus civilis iure novo ab ea iudicii parte auspicatur, qua iudex, oblato prius ipsi ab actore libello, de reo in ius vocando edicit, dein reo facultas datur, exceptiones, si quas habet, proferendi, quas ius est actori per replicationes, vel per mutuas petitiones eludendi, succedit litis contestatio, et iuramentum calumniae: tum pene sequuntur statim probationes, quibus processus iam plene instructus, veluti clauditur, iudicique pronun-

(1) Cap. XXXVIII. relat. in cap. XI. *de probat.* — (2) L. V; et VIII. C. *de Adsessoribus.*
(3) Indicato cap. XI. — (4) II. Syn. prov. neap. tit. XII. cap. 2. — (5) Cap. XI. *de rescriptis.* in VI. — (6) I. Syn. prov. cap. XXI.

ciandae sententiae proxima paratur via. De singulis hic sigillatim agere adgredimur.

De libello

II. Libellus ipsa est actoris petitio in scriptum redacta caussam ipsam summatim exhibens, argumentaque contra adversarium necessario concludentia. Qua de re iudicis; actoris, ac rei nomina, factum, petitionem, petitionisque ius breviter, dilucide, ac distincte exposita libellus complectatur oportet.

III. Duplex libellorum genus in utroque iure agnoscitur, nimirum ut alii sint conventionales, sive postulatorii, quibus in caussis civilibus utimur, ut quum rem nostram persequimur actione reali, vel nobis debitam actione personali: alii accusatorii, quibus crimina deferuntur, et denuntiantur.

IV. Iam vero generalis regula est, in iudicio sive civili, sive criminali neminem sine libello recipi (1). Atqui regula haec nonnisi Iure novo in Curias ecclesiasticas invecta est: antiquitus enim non libellus modo, verum et quaecunque scriptura in iudiciis ecclesiasticis ignota. Iustinianus *novell. LXVII.*, quam ex interpretatione Iuliani refert Gratianus, inquit (2): ***ubi autem Episcopus caussam dirimere vult; sine scriptura omnia procedant, et definitiva sententia sine scriptis ab eo proferatur.*** Atque adeo etiam Iure novo ex generali illa regula excipiendae caussae omnes leviores, et breviores, quas indicio summario absolvendas praescribit clementina II. (3).

De citatione

V. Citatio, et in ius vocatio promiscua vulgo notione usurpantur, quum per citationem, quam iudex recepto libello decernit, reus in iudicium vocetur. Atqui antiquitus idem prorsus non erant citatio, et in ius vocatio. Citabat enim praeco iussu magistratus (4). In ius vero vocabat actor ipse privata auctoritate. Verum actoribus haec potestas paullatim adempta est, novaque inducta in ius vocandi ratio, scilicet vel per publicum ministrum, sive adparitorem, vel per edictum, sive litteras loco publico adfixas (5). Atque adeo citandi latior est etiam nunc usus, quam in ius vocandi: quippe citationi locus est etiam post coeptum iudicium, et in quavis parte iudicii, veluti quum quis citatur ad audiendam sententiam, ad videndum iurare testes etc. At contra in ius vocatio in prima citatione, quae iudicium praecedit, duntaxat agnoscenda (6).

VI. Citationem ad iudicii *ϐσιαν essentiam* spectare natura ipsa ostendit. Ipsum enim Ius Naturae praescribere videtur, ut qui cum alio contendere velit, prius adversarium in ius vocet, eique actionem prodat, ut is secum

(1) Can. IX. caus. 2. q. I. can. I. ibid. q. VIII.
(2) Can. XLV. caus. II. q. I.—(3) *De verb. signif.*—(4) L. pen. D. *de in integr. restit.* — (5) Nov. LIII. L. ult. C. *de exhibendis reis.* — (6) Vinnius *comm. in instit.* lib. IV. tit. 16. §. 3.

interim deliberet, utrum cedere velit, an iudicio contendere, et si contendendum putet, veniat instructus (1). Unde in ius vocatio eius est necessitatis, ut ea omissa nihil omnino cognosci, nihil statui possit, et si quid statuatur, id pro infecto habendum sit (2).

VII. Reus igitur a magistratu in ius vocandus, et quidem edictis, litteris, vel denuntiationibus voce praeconis (3). In hac citationis specie, quae *verbalis* dici consuevit, scriptura etiam adhibetur, scilicet exemplar libelli, ac decreti iudicis, quod ab adparitore vel reò citando traditur, vel si hic quaesitus non adpareat, suis domesticis, aut vicinis relinquitur: quae dicitur *citatio ad domicilium*. Quod si citandus absit, litterae provisionales expediuntur, per quas reus in alieno etiam territorio in ius vocatur, et quidem impetrata prius venia iudicis loci illius, quem incolit, citandus (4).

VIII. Est quoque citatio realis, quae fit per capturam rei. Ea in iudiciis civilibus locum non habet, nisi quum simul cum libello indicia ad capturam actor exhibeat, nimirum demonstret debitorum bona in urbe non possidere, atque adeo gravem subesse suspicionem, ne debitor vel solum vertat, vel in locum confugiat, unde extrahi non possit. Iam vero plura requiruntur, ut legitima habeatur citatio. Ac 1, iudicis competentia (5). Unde in citatione iudicis nomen omnino exprimendum: atque adeo si iudex est delegatus, in prima saltem citatione delegationis ratio summatim explicanda (6).

2. Non actoris modo, et rei citati nomina exprimi oportet, verum et citationis caussam; et quidem, uti modo monuimus, et facultas citato sit cogitare secum animo, velit ne caussam in iudicium trahi, an cum adversario ad concordiam convenire malit.

3. Designandus est locus iudicii, qui citato tutus sit: neque enim quis cum vitae discrimine iudicem adire cogitur, tum etiam ut citatus noscere possit, num eius potestati ipsi parendum sit.

4. Designanda quoque est dies, qua reum in iudicio se sistere oporteat: in quo et distantiae loci, quem reus incolit, adtendendum est, et diei ipsius qualitati. Festis enim diebus iudicia exerceri omnino vetitum iure aeque civili, atque canonico (7).

De contumacia

IX. Reus cogitur invitus in iudicio se sistere: neque enim eius voluntati relinquitur iudicium subire, quum plerumque iudicii aleam effugere ipse malit. Ubi vero iudicium effugiat, ab ipso iudicis contemptu, quem reus effert, *contumacia* dicitur, ac ipse *contumax* adpellatur (8).

X. Igitur contumax dicitur, qui legitime in ius vocatus, in iudicium venire contemnit. Porro duplex distinguitur contumacia, alia scilicet vera,

(1) L. I. C. de *edend.* auth. *offeratur.* C. *de litis contestat.* — (2) L. IV. C. *de sent., et interloc.* — (3) L. *penult. D., de in integr. restit.* — (4) L. fin. C. *de iurisdict. omn. iudic.*
(5) L. I. C. ibid. — (6) Cap. XXXI. *de officio, et potest. iudic. deleg.* — (7) L. II. C. *de feriis* cap. fin. *de feriis.* — (8) Cap. I., et II. *de dolo, et contumacia*: Cuiacius lib. XVII. *observ.* cap. 30.

sive expressa, alia tacita, sive praesumpta. Illa est, quum quis citatus tribus edictis, aut uni pro tribus, respondere expresse recusat, aut superbo ore negat se iudicio staturum (1). Haec vero est, quum quis in ius vocatus dolo malo, fraudeve latitat; efficitque ne citatio ad eum perveniat (2).

XI. Quae quum ita sint, profecto videt quisquis contumaciam dolo malo non carere (3). Qui igitur legitimo, detinetur impedimento, ne citationi respondeat, ac iudici se exhibeat, contumax non est, modo, impedimento ablato, quam primum sui copiam faciat, ac interim efficiat, ut iudex impedimenti sit conscius, ne contumaciae nomine accusetur, legitimisque mulctetur poenis (4).

XII. Ius aeque Civile, ac Canonicum in contumacem variis poenis animadvertit, quibus quum actori prospicitur, tum et iudex iniuriam sibi quodammodo illatam ulciscitur (5). Poenae quibus, in contumacem animadvertere Iudici datur, plures a Lancellotto enumerantur (6), scilicet litis damnum, expensarum refectio, mulcta pecuniaria etc. At poena, qua frequentius iudices uti consuevere, est in possessionem missio, qua scilicet actor in possessionem rerum, de quibus quaestio agitur, vel quae alias sunt in patrimonio rei pro ratione debiti, ubi actio sit personalis, custodiae caussa inducitur, ut taedio adfectus veniat aliquando responsurus. Quod si adhuc per annum in sua contumacia perseveraverit, iudice decernente, verus possessor efficitur super proprietate dumtaxat, adversae parti defensione reservata. Porro actor, qui in possessionem fuerit missus, caveat, ne fructus dilapidet; quod si contingat, sequestrandi erunt, et quod distractum est, in pristinum statum revocabitur (7).

XIII. Tum pluribus in caussis, tum vel maxime in beneficiariis eiusmodi missio locum non habet; ne scilicet ad ea detur ingressus vitiosus. Beneficium namque ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri (8). Verum non est, cur in hoc capite explicando diutius immoremur. Quum enim per pragmaticam *relationem* actori optio detur, ut vel missionem in possessionem petat, vel potius terminum ad probationes faciendas, quo controversiae finis imponatur, quamque hoc posterius actores ut plurimum sceligere consueverint, hinc factum est, ut in possessionem missio poene in desuetudinem aeque in laicali, ac in ecclesiastico foro abierit.

De exceptionibus

XIV. In iudiciis forensibus quaedam exercetur pugna, ubi reus exceptione, veluti clypeo, aut scuto cludit, seu excludit actiones, quibus veluti armis adversus eum utitur actor: unde exceptio recte definitur *actionis exclusio* (9), et dilucidius: est defensio rei, quae actioni, alioqui iure constitutae, opposita, hanc ipsam aequitatis ratione excludit (10). Igitur exceptio

(1) Cap. I. *de iudiciis*. — (2) Cap. VI. *de dolo*, *et contumacia*. — (3) L. LV. §. 2. *de re iudicata*. — (4) Cap. VI. *de dolo*, *et contumacia*. — (5) L. VIII. C. *quomodo*, et *quando*: nov. LIII. cap. 3. *ut lite non contestata*, ac toto tit. *de dolo*, *et contumacia*. — (6) Instit. lib. III. tit. 6.

(7) Lancellot. ibid. — (8) Regula I. *de regulis iuris in* VI. — (9) Ulpianus L. II. D. *de exceptionibus*. — (10) Indicata L. II.

efficacem supponit actionem, quam excludere, inefficacemque reddere nititur. Atque hinc etiam patet non omnem rei defensionem esse exceptionem; unde adlegationes illae, quibus reus actionem ipso iure sublatum ostendit, defensio quidem erunt, haud vero exceptio, nisi latiori quadam notione.

XV. Plures distinguuntur exceptionum species, uti reales, et personales, temporales, sive dilatoriae, et perpetuae, sive peremptoriae, civiles, et praetoriae: verum de his sat abunde in *institutionibus civilibus*.

XVI. Illud hic tantummodo adposite ad ius nostrum advertere licet, exceptionem excommunicationis, licet dilatoriam, in quacumque parte iudicii, etiam post litem contestatam, opponi posse, ne scilicet quis cum excommunicato, communicare cogatur (1). Ubi vero ad adpellationem deventum est, excommunicationis exceptio adversus actorem opponi nequit. Quum enim excommunicationis nomine adversus reum excipere non liceat, quippe qui invitus ad iudicium trahitur, defensione haud fraudandus (2); atque in caussa adpellationis actor rei vices sustinere videatur, cui legitima defensio, uti modo monuimus, deneganda non est: hinc rescriptum impetratum ab excommunicato in caussa adpellationis validum censetur (3).

XVII. Ne tamen quis excommunicationis exceptione ad calumniam abutatur, ab Innocentio IV. in concilio lugdunensi (4) certa iam constituta forma fuit, qua illam proponi oportet, nimirum ut exprimatur excommunicationis species, et excommunicantis nomen, et apertissimis documentis intra octo dierum spatium probetur: *quod si non probaverit, iudex in caussa procedere non omittat, reum in expensis, quas actor ob hoc diebus illis se fecisse docuerit, praehabita taxatione condemnans.* Postremo hactenus dicta ex constitutione Martini V. *ad evitanda* de iis tantummodo excommunicatis intelligas, qui vel fuerint denuntiati, vel publice clericum percusserint.

De mutuis petitionibus

XVIII. Quaedam exceptionis species est *reconventio*, sive mutua petitio, nimirum quum reus coram eodem iudice aliquid mutuo ab actore petat, tanquam sibi debitum: uti e. g. si Titius Caium ex caussa stipulationis apud iudicem conveniat, poterit Caius apud eundem iudicem Titium ex caussa mutui reconvenire. Verum reconventio in ipso litis exordio instituenda est, hoc est ante litem contestatam, vel in continenti (5).

XIX. Reconventio in iudicio aeque ordinario, ac delegato locum habet (6). Verum pluribus in casibus reus reconvenire vetatur, uti 1, in caussa criminali (7), nisi prius suam probaverit innocentiam 2, in caussa Depositi, nisi prius depositum restituerit. 3, in caussa spirituali coram iudice laico. 4, in caussis, quae coram arbitris ex partium compromisso agun-

(1) Cap. I., et II. *de exceptionibus.* — (2) Cap. VII. *de iudiciis :* cap. V. *de exceptionibus.* — (3) Cap. X., et XIV. *de exceptionibus* — (4) Cap. I. *de exceptionibus* in VI.

(5) Glossa in *authent:* et consequenter verbo *alioquin* C. *de sent., et interloc.*

(6) Cap. III. §. 1. *de rescriptis* in VI.— (7) Can. I, et IV. caus 3. q. II.

tur (1). Neque demum 5, excommunicato reconvenire ius est, quum in reconveniendo reus actoris personam induat: atqui, uti nuper innuimus, actoris munere fungi excommunicatus vetatur (2).

De restitutione spoliatorum

XX. Spolium est iniqua privatio possessionis, vel quasi: unde remedium ad eiusmodi recuperandam possessionem *restitutio* dicitur *spoliatorum*. Eiusmodi restitutio species quaedam exceptionis est, qua nulla legibus ecclesiasticis celebrior, sive potius actio est per modum exceptionis obiecta (3). Iure communi spoliatus, hoc est per vim e possessione rei controversae eiectus, ab eo, qui deiecit, ante conveniri non potest, quam restitutionem in integrum receperit (4). Neque sat erit possessionis restitutio, nisi etiam de fructibus, damnis, et expensis satisfiat (5). Eaque locum habet etiam quum quis ab iniusta possessione deiicitur (6): atque adeo Iure Canonico etiam ubi de re mobili agitur (7).

XXI. Spoliator, adversus quem eiusmodi remedium est institutum, non modo is intelligitur, qui per se ἀμέσως spoliavit, verum et qui spolium mandavit, vel suo nomine factum ratum habuit (8): immo iure canonico etiam qui accipit rem ab alio vi ablatam (9).

XXII. Iam vero generalis illa regula, quae spoliatum ante omnia restituendum praecipit, plures patitur exceptiones: 1, ubi agens de spolio, itidem de spolio reconveniatur (10).

2. Ubi spoliatus libere consentiat, ut de spolio simul, et proprietate iudicium agitetur (11).

3. Ubi agenti de spolio respondeatur ipsum nunquam possedisse, neque enim iudici fas est restitutionem decernere, nisi prius haec discutiatur exceptio: DD. communiter.

4. Ubi pro spoliatore habeatur iuris praesumptio, uti quum quis sibi decimarum in aliena parochia possessionem sibi restituendam postulet: hoc enim casu restituendus non est, nisi postquam legitime probaverit eam possessionem legitime fuisse consecutum; quum iure communi decimarum perceptio intra cuiuscunque parochiae fines proprio parocho conveniat (12).

5. Ubi quis alienam possessionem invadens, inde vi a legitimo Domino repellatur: cuicui enim res suas tueri natura ipsa permittit (13).

6. Ubi spoliatus sit notorius praedo, eique exceptio dominii, de quo certo constet, opponatur (14). Haec capita indicasse satis sit, quum fusius in *institutionibus civilibus* explicentur.

De replicationibus

XXIII. Siculi reo licet adversus actorem exceptione uti ad eius actionem

(1) Cap. VI. *de arbitris*. — (2) Cap. V. *de exceptionibus*.
(3) Cap. II. *de ord. cognit.* — (4) L. I. D. *de vi, et vi armata*. — (5) Cap. XI. *de restit. spoliat.* — (6) Indic. L. I. §. 30. — (7) Indic. cap. XI. — (8) Cap. XV. ibidem. (9) Cap. XVIII. ibidem. — (10) Cap. fin. *de ordine cognition.* — (11) Cap. I. ibid. — (12) Cap. ult. *de restitut. spoliat.* in VI. — (13) cap. XII. ibid. — (14) Cap. fin. ibid. in VI.

excludendam, ita quoque actori ius est replicatione rei exceptionem infirmare, suamque firmare actionem. Unde replicatio recte definitur: *exceptionis exclusio* (1).

XXIV. Ne autem exceptionum, et replicationum numerus nimium excrescat, iudicis partes erunt certum ipsis modum imponere. Verum in foro ecclesiastico repetitis exceptionibus, et replicationibus plerumque locus non datur, sed iudex ex officio causam concludit.

De litis contestatione

XXV. Si nullae a reo exceptiones opponantur, vel oppositae iam ab actore difflatae sint, ad litis contestationem devenitur, quae proprie ipsius iudicii initium est. Contestari litem, vel iudicium olim dicebantur qui iudicium accipiebant; utraque enim contendentium pars eos, qui aderant, testes advocans, dicere solebat: *testes estote*. Iure decretalium lis contestatur per petitionem actoris in iudicio propositam, et rei contradictionem cum animo ipsam litem contestandi (2). Porro in regno neapolitano in iudiciis civilibus lis contestata dicitur, quum iudex utrique parti terminum ad probanda incumbentia adsignat (3). Quod in curiis etiam ecclesiasticis moribus receptum est.

XXVI. De multiplici contestationis litis effectu satis in institutionibus civilibus: illud hic duntaxat observandum, in iudiciis ecclesiasticis antiquitus sollemnem litis contestationem non fuisse requisitam. Episcopi enim arbitrorum potius more controversias discutiebant, ac definiebant. Atque adeo etiam iure novo (4) in caussis, quae simpliciter, et de plano, h. e sine strepitu forensi tractandae sunt, uti libellus iudici ab actore offerendus non requiritur, ita neque lis necessario ex iuris praescripto contestanda est.

De iuramento calumniae

XXVII. Huiusmodi iuramenti genus in tribunalia invectum est, ut sine calumniis expedirentur iudicia: semper enim homines, licet scelesti religione iuramenti terrentur, quo Deum ipsum invocant non modo uti veritatis testem, sed etiam, ut perfidiae ultorem (5) Calumniae autem vocabulum hic ea notione usurpatur, qua fraudes quascunque ad alium litibus vexandum adhibitas denotat (6).

XXVIII. Eiusmodi iuramentum praestare coguntur tum actor, tum reus: actor, quod credens se iustam, bonamque caussam habere, actionem intenderit: reus quod putans sibi ius favere, ad inficiandum venerit (7).

XXIX. Non modo actor, et reus ad iurandum de calumnia tenentur, verum etiam, ubi iudici libuerit, eorundem advocati, procuratores, syndici, tutores, curatores (8).

(1) L. XXII. D. ibid.—(2) Can. un. *hoc tit.*—(3) Pragm. III. *de ordine iudiciorum.*—(4) Clement. II *de verb. signif.*—(5) L. II. C. *de rebus creditis.* — (6) L. CCXXXIII. D. *de verbor. signif.*—(7) L. XLV. §. 4. D. *famil. ercis.* — (8) Cap. VI. de *iuram. calum.* cap. II. *eodem in VI.* L. II. D. de *iureiur. prop. calumn.*

XXX. Eiusmodi iuramentum in ipso litis exordio, sive post litem contestatam defertur, quod si principio omissum fuerit, in quacunque iudicii parte deferri poterit (1). Et quidem ea adiecta poena, ut actor de calumnia iurare renuens ab instituta cadat actione, reus vero pro confesso habeatur. Verum illud hic animadvertendum, iuramentum calumniae secutis temporibus in Curiis aeque ecclesiasticis, ac laicalibus fere exolevisse, et quidem ea de caussa, quod frequentissima hoc intuitu essent periuria.

TITULUS XI.

DE PROBATIONIBUS

I. Lite contestata, cognitisque a iudice iustis contendentium petionibus, proponendae sunt ab actore probationes. Probatio definiri potest: *veritatis demonstratio per idonea argumenta, et legitima media.* Igitur ut veritas, quam in iudicio actor profert, et reus inficiatur, dignosci possit, probationibus opus est. Porro videt quisquis actori probandi onus incumbere: atque adeo actore non probante, reus, etiamsi nihil praestiterit, est tamen absolvendus (2). Reo duntaxat excipienti oppositae exceptionis demonstratio proferenda est.

II. Duplex vulgo ponitur probatio scilicet ut altera sit plena, altera semiplena. Prior ea est, quae tantam fidem facit, quanta ad definiendam controversiam satis sit. Posterior est, per quam fit, ut rebus gestis aliqua a iudice fides praestari possit, non tamen tanta, ut iure eam debeat sequi in sententia dicenda, quippe quae constat ex levioribus argumentis.

III. Probationum genera plura quidem, ac varia, ad octo tamen veluti summa capita commode revocari posse videntur, scilicet I, confessio rei II, testes III, instrumenta IV, iusiurandum V, ocularis inspectio VI. notorium VII, fama VIII, praesumptio. De singulis breviter, et quidem pro instituti nostri ratione.

De probatione per confessionem

IV. Nulla magis optanda probatio, quam ea, quae a proprii oris confessione habetur: qua de re in caussis praecipue civilibus primum tentanda per positiones utrinque confessio, quam aliae producantur probationes. Positiones fiunt per brevem scripturam praecipua iudicii capita complectentem, ut iis confessione adversarii constitutis, aut negatis, pateat alteri, quid sibi deinde probandum sit, quidque in probatis habendum. Iam vero duplex potissimum distinguitur iudicialis confessio, nimirum *tacita*, et *expressa*. *Tacita* est, quum reus positionibus ab adversario sibi propositis, neque personaliter, neque per procuratorem respondere velit, vel contumaciter inde discedat. In huiusmodi reum respondere detrectantem, tanquam in contumacem, atque adeo tanquam in confitentem, vel negantem, prout actori erit utilius, poenis animadvertendum est (3).

(1) Indicato cap. II.—(2) Cap. III. *de caus. posses.*
(3) Cap. I. *de confessis in antiq. collect.*

V. Confessio *expressa* est, quum quis positioni expresse respondeat, *credo*, vel *non credo*, unde vel fateatur, vel inficictur, quod ipsi in positione quaesitum est. Profecto ubi quis fateatur, urgebitur sua confessione, tanquam re iam probata.

VI. In positionibus plura iure decretalium constituta sunt I, respondere positionibus non tenetur pars adversa, nisi iudicis urgente praecepto (1). Qua de re II, legitime citetur oportet, ut ad respondendum a iudice compelli possit. Neque III, iudici ius est per positiones interrogare, nisi parte id postulante (2). Tum IV, nemo respondere tenetur positionibus perplexis, dubiis, obscuris, captiosis, ad caussam non pertinentibus. Unde V, positiones, antequam parti responsurae offerantur, iudici exhibendae sunt, ut dignoscat, admittendae ne sint, an potius reiiciendae.

De testibus

VII. Frequentissimo iudiciorum usu ad ostendendam rei dubiae veritatem adhibentur testes, qui fidem iudici faciant, Porro ut testibus integra habeatur fides, necessum est, ut sint idonei, omnique exceptione maiores, h. e. quibus nihil possit iure opponi, ne ad testificandum admittantur. Et sane ab dicendo testimonio alii natura, alii conditione, ac demum alii vita repelluntur.

VIII. *Natura* repelluntur foemiuae, impuberes, perpetuo amentes etc. *Conditione* arcentur servi, domestici, et familiares, uti adfines, consanguinei, famuli, liberti, coloni etc. *Vita* demum prohibentur infames, tum infamia iuris, uti sunt omnes de aliquo crimine damnati, tum etiam infamia facti, uti sunt omnes criminosi, et scelesti, qui ob perditos suos mores male olent. Adhaec reprobatur quoque testimonium inimici adversus inimicum (3), neque facile admittitur testimonium laici adversus clericum (4). Laici enim solent esse clericis infesti : uti clerici, in caussis praesertim criminalibus, admittuntur adversus laicos (5).

IX. Testium adseveratio omni prorsus odii, vel adfectionis suspicione careat necessum est (6),neque ubi in hunc modum sancitur: *iurent se non privato odio, neque amicitia, neque pro aliquo commodo, quod habuerint, vel quod habent, vel quod habituri sunt ad hoc iurandum inductos.* Hoc iuramentum initio examinis testibus praestandum omnino est : sine quo uniuscuiusque testimonium nullius est roboris.

X. Duo testes, qui idonei sint, omnique exceptione maiores, adhaec et in reddendo testimonio concordes, plenam faciunt probationem, tum ex universali consuetudine a Christo Domino probata (7), tum etiam ex celebri decretali Alexandri III. (8). Coetui duntaxat episcopali propter honorem summi Sacerdotii indulsit Constantinus M., ut ad litis decisionem unius tantummodo Episcopi testimonium satis habeatur; *testimonium ab uno licet*

(1) Cap. II. *de probationibus* in VI.
(2) Rebuffus *in tract. de respons.* art. I. n. 14.
(3) Cap. XIX. de *accusationibus*.—(4) Cap. XIV. *de testibus*. — (5) Videsis Caravitam in ritu. 144. M. C. V.—(6) Cap. V. *de testibus*.
(7) Matth. XVIII. 16. — (8) Cap. XXIII. *de testibus*.

Episcopo perhibitum omnes iudices indubitanter accipiant. Illud est enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod a sacrosancto homine conscientia mentis illibatae protulerit (1).

XI. Testes legitime citati, qui vel iudicem adire renuant, vel iudicem adeuntes iuramentum praestare nolint, bene cogi poterunt, vel mulctae indictione, vel captis pignoribus, vel etiam censuris ecclesiasticis (2). At contra qui ad dicendum testimonium sponte accedit, pro suspecto habetur.

XII. Testes ita admissos, iuratosque debet iudex ipse per se, clam et seorsum ab aliis singulatim examinare. *Ipse per se*: iudicis enim adspectus haud raro falsi audaciam refraenat. *Clam*, scilicet, ut praeter iudicem non intersit, nisi graphiarius, sive notarius, qui depositiones exscribat. *Seorsum ab aliis*, ut nimirum alter alterius testimonium ignoret. De peragendi examinis methodo, tum et de exceptionibus, quae adversus testes produci possunt, opportunius in institutionibus civilibus.

De probatione per scripturas

XIII. Altera probationis species est, quae fit per scripturas, quas hic instrumenta dicimus. Porro Instrumentum aliud publicum est, aliud privatum. Publicum est, quod a persona publica, scilicet a tabellione, sive notario secundum leges, et consuetudines conscribitur. Qua de re, uti recte notat Rebuffus (3), etiamsi scriptura a iudice sit exarata, et testes habeat subsignatos, atque adeo litterae propria manu a Rege conscriptae, tanquam privata habentur chirographa, quia neque Regis, neque iudicis, sed unius duntaxat pragmatici, sive notarii munus est instrumenta conficere, et in scripturas redigere.

XIV. Ut Instrumentum publicum dici possit, plenamque fidem facere, requiritur omnino, ut cum notario duo saltem testes et intersint, et subscribant (4). Adhaec et annus, dies, mensis, indictio, ac locus exprimantur. Verum in his, aliisque peculiaribus locorum legibus, et consuetudinibus standum est.

XV. Publicis instrumentis adcensentur et illae scripturae, quae a DD. (5) speciali nomine vocantur *authenticae*, quippe quae sigillo vel Episcopi, vel Principis, aut Capituli, civitatis, universitatis, aliusve publici corporis, sive collegii signatae sunt (6). Tum quoque epigraphae insculptae lapidibus, columnis, sepulcris, ac demum quae ex publicis archiviis extrahuntur.

XVI. Instrumentum privatum dictum l' ἰδιόχειρον illud est, quod sola scribentium, aut rem contrahentium auctoritate subsistit: huiusmodi sunt chirographi debitorum, apochae, antapochae, codices rationum, epistolae etc.

XVII. Publica instrumenta legitime confecta plenam pariunt probationem, neque facile contra huiusmodi testes recipiuntur (7). At privato instrumento vis plenae probationis non adest, nisi trium saltem testium sub-

(1) L. I. C. theod. *de episc. iudic.*—(2) Toto tit. *de testibus*.
(3) De *chirogr., et schedul. recognit. n. 3, et 4* —(4) Cap. II. *de fide instrum.*
(5) In cap. II. ibid. — (6) Cap. V., et IX. ibid. cap. VII. *de probationibus*.
(7) *Paulus iurisc. V. sent. 15.*

scriptionibus sit munitum. Verum instrumenta privata testium subscriptionibus destituta plerumque nonnisi contra scribentem probant, dum de scriptura constet, et caussa debita sit adiecta (1). Excipe liberatoriam confessionem, scilicet si quis profiteatur sibi fuisse solutum, quae valet, etiamsi caussa non sit expressa, idque in favorem liberationis (2).

De iureiurando

XVIII. Ubi iudici non licuit per testes, instrumenta, aliasve similes ordinarias probationes veritatem elicere, iuramentum adhiberi solet, quo veritas ab ipsis contendentibus interposita religione, exquiratur. Unde a Romanis iusiurandum maxime expediendarum litium remedium habitum est(3). Ac merito *suppletorium* audire consuevit, quippe quod defectum probationum suppleat. Namque nonnisi ob defectum a iudice per iusiurandum litem aliquam decidi oportet.

XIX. Iusiurandum trifariam partiri solet, nempe ut aliud sit *iudiciale*, aliud *necessarium*, et aliud *voluntarium*. Dicitur *voluntarium*, quod extra iudicium pars parti defert in modum transactionis (4). *Iudiciale* dicitur, quod in iudicio, seu adprobante iudice pars parti defert, vel refert (5). Defert autem iusiurandum, qui offert alteri iurandi conditionem; refert vero, qui iurandi conditionem sibi oblatam reiicit in offerentem. *Necessarium* demum est, quod ad litem decidendam iudex imponit, eaque intentione ab utroque litigante praestatur, ut secundum illud iudex pronunciet: unde *litis decisorium* vulgo dicitur.

XX. Iam vero ex nonnullorum Canonistarum sententia bipartita dumtaxat est iurisiurandi divisio, itaut iudiciale, et necessarium unum idemque iuramenti genus sit. Neque enim illis adsentimus doctoribus; qui censent iusiurandum a parte parti deferri, vel referri posse, etiamsi aliunde probationes haberi possint. Profecto nimia haec in iureiurando deferendo, vel referendo facilitas iudici permittenda non est: quamlatissima enim periuriis muniretur via.

XXI. Igitur iuramentum iudiciale, sive necessarium, suppletorium, aut litis decisorium illud dicas, quod nonnisi plena probatione deficiente, vel paribus ex utraque parte exstantibus argumentis, adeo ut caussa nimis dubia sit, a iudice actori, vel reo defertur, ut inde veritas in apertum proferatur (6). Quamobrem merito necessarium nuncupatur, tum quia necessario a iudice propter defectum probationum defertur, tum quia necessario a parte, cui imponitur, subeundum est, ni caussa cadere velit. Excipe ubi deferatur actori plene probanti, vel reo adversus quem nihil probatum sit (7). Id quod in criminalibus praesertim locum habet, in quibus reus criminis damnandus non est, nisi ex clarissimis probationibus (8).

XXII. Quid quod etiam in caussis civilibus nonnisi parce, et summa cum prudentia iuramentum deferendum est? Admodum enim facile est, ut ho-

(1) Cap. XIV. ibid.—(2) L. XL. D. *de factis*.—(3) Leg. I. Dig. *de iureiurand.* (4) Leg. II. III. XVII. XVIII. Dig. *de iureiur.*—(5) Leg. XXXVIII. Dig. ibid. (6) L. XXXI. D. *de iureiur.* (7) L. XII. C. *de rebus credit.* cap. II. *de probationibus*.—(8) L. fin. C. *de probationibus*.

mines lucri cupiditate adlecti periurium committant. Unde in antiquis Visigothorum legibus (1), et in capitularibus regum francorum (2) saucitur, ut iudex pro virili nitatur per testes, vel per scripturas veritatem extundere: *ne ad Sacramenta facile veniatur. Ut Sacramenta cito non fiant.*

De oculari inspectione

XXIII. Non levis ponderis est probatio illa, quae dicitur *ocularis inspectio*, quaeque fit per iudicis accessum, et inspectionem. Eius praecipuus usus est in iis, quae oculis subiiciuntur, uti est in iudicio finium regundorum, vel quum agitur de novo opere aedificando, vel de veteris aedificii facie immutanda. Verum in his, aliisque id genus iudiciis satis non est ut iudex ipse accedat ad inspiciendum, sed requiritur, ut peritis utatur a iure ad id muneris constitutis: qui omnino requiruntur, licet index ipse iuspecturus accedat: adhaec litigatores legitime advocandi sunt, quorum quisque in hac caussa actor est, et reus: siquidem de utriusque praeiudicio ex aequo agitur (3). De reliquis probationum speciebus mox *titulo sequenti.*

TITULUS XII.

DE PROCESSU CRIMINALI INSTRUENDO

De iudicio criminali iure ecclesiastico antiquo

I. Criminum vindictam quod spectat, distinguendum omnino ius antiquum inter, et novum. Iure namque antiquo, uti ex veterum conciliorum actis elucet, istiusmodi poene erat Primo querela libello conscripta ab accusatore Episcopo,vel synodo pro personae accusatae conditione exhibebatur. Neque enim facile sine accusatore, et libello veteres iudicia instituebant; unde quaedam accusationis species in Ecclesia iam inde a primis saeculis videtur fuisse servata. Profecto Optatus Milevitanus, quod Macario homicidii nomine accusato communionem non denegaverit, in hunc modum se purgat: *exempla sileantur, dicamus et nos quod dicitis, reum fuisse Macarium: quod si fuit accusatore silente, a nobis non licuit abstineri. Scriptum est enim ante cognitam caussam neminem esse damnandum: dicite quis eum accusavit, et auditus non est? Dicite Macarium confessum esse culpam, et nostram siluisse sententiam? Simus enim qualescunque iudices in Ecclesia, quod et ipsi non negatis, quod nos iudices esse veros* al. indices severiores *debere fuisse contenditis. Non enim possumus facere, quod non fecit Deus, qui in iudicio suo personas separare dignatus est: nec eundem voluit esse accusatorem iudicem. Non enim potest quis in una caussa eodem momento duas portare personas, ut in eodem iudicio et accusator esse possit, et iudex. Quod Deus nec per omnipotentiam fecit, ut nobis iudicandi formam ostenderet, docuit, reum*

(1) Lib. II. cap. XXII.—(2) Lib. VII. cap. 97.
(3) L. X. ibid; et L. XLIV. §. 4. D. *com. divid.*

sine accusatore non debere damnari, aut accusatorem eum esse, qui iudex in ea caussa futurus est. Quod contractius tradit Augustinus (1): *Nos a communione prohibere quemquam non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive saeculari, sive ecclesiastico iudicio nominatum, atque convictum. Quis enim sibi utrumque audeat adsumere, ut cuique ipse sit accusator, et iudex?* In his sane productis Optati, et Augustini auctoritatibus antiquae ecclesiasticae in criminosos animadvertendi disciplinae veluti scintillae exiliunt.

II. Accusatus vero ter, quaterve in ius vocari solebat, ut defensioni locus non desset. In synodo chalcedonensi Eutyches ter ex Episcoporum sententia, ut ad synodum accederet, compellatus est. At citatus si coram adesse detrectaret, ipse ob contumaciam (quae crimen acerbissima semper poena dignum habitum est) excommunicationis, vel depositionis poena mulctabatur: quod eadem synodus in Eutychetem praestitit. Quod si coram adesset, interrogatus audiebat pro se dicturus, ipseque vicissim testes audiebat, instrumenta inspiciebat: si quid ipsi excipiendum, vel respondendum superesset, id ei licebat: denique Episcopus, vel synodus sententiam dicebat.

III. Porro in reis peragendis plura quam diligentissime observabantur. 1, ne qua temere, praesertim adversus presbyterum, et Episcopum, reciperetur accusatio, pro quibus tanta diligentia electis illa iure ponderosa habebatur praesumptio, ne facile crederetur, nisi quod duobus, vel tribus testibus probatum esset, et quidem iuxta mandatum Apostoli (2): *adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Quaeret fortasse quispiam, curnam hic Apostolus peculiare de presbyteris mandatum dederit, quum lex sit omnibus communis, ne scilicet quis uno contra se dicente testimonium condemnetur, sed ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum? (3). Sunt qui censent Apostolum eo spectasse, ut eiusmodi cautio, cum laicis etiam alioquin adhibenda, religiosius servaretur cum presbyteris, qui sanctiores habentur, magisque immunes, quorum dignitas sublimior est, nomenque odiis magis obnoxium. At verisimilior illorum videtur interpretatio, qui docent, Apostolum non de condemnatione solum loqui, verum et de accusatione; adeo ut praecipiat ut si laicus, licet ab uno accusatus, damnandus non est, nisi duorum, aut trium testimonium criminis veritatem contestetur; adversus presbyterum tamen ne accusatio quidem recipiatur, nisi duorum, aut trium testimonio firmata. Idque tum pluribus de caussis, tum vel maxime quod haud raro fideles presbyterorum, atque adeo Pastorum suorum correctionibus offensi, eorum crimina exaggerare consuescant, atque ad ipsos criminis insimulandos facile prosiliant.

IV. Tum 2, studiose inquirebant in accusatores, et potiori iure in testes, scilicet qui essent, qualesve, quibus moribus, qua fama, et quo animo ad dicendum testimonium accessisset. Unde in falsos testes ius talionis sanci-

(1) Hom. I. *de Poenit.*
(2) Epist. I. *ad Timoth.* v. 19. — (3) Deut. XVII., et XVIII.

tum reperitur (1). Tum in falsos testes perpetuae excommunicationis poena sancitur (2).

V. Adhaec rei ad exemplum terroris publice increpabantur, rei scilicet non quilibet, sed qui publico iudicio convicti essent (3). Sicuti enim haud facile accusatio recipienda, ita quum quis legitimo fuerit iudicio convictus, ei parcendum non est, sed *coram omnibus*, idest palam, et in publico Ecclesiae conventu arguendus.

VI. Summopere etiam 4, cavebant, ne in *προσωποληψιαν acceptionem personarum* divinis oraculis toties damnatam inciderent, quippe qui persuasi, fore ut quo iudicio iudicarent, ipsi aliquando iudicarentur (4).

VII. Demum 5, ut omnia rite, legitimeque confecta constarent, notarii h. e. diaconi, vel lectores per notas, sive sigla scribere parati, cuncta, quae in iudicio fiebant, dicebanturque, cum a iudice, tum a partibus distincte, suis ipsorum verbis, ne interruptionibus quidem, et exclamationibus omissis, scripto consignabant; cui, veluti processui, instrumenta praelecta inserebantur, ut de iudiciorum integritate constaret posteris. Haec iudiciorum ecclesiasticorum in criminibus vindicandis facies antiqua.

De processu criminali instruendo iure decretalium

VIII. Secutis temporibus Iuris Romani studium, uti in caussis civilibus, ita et in criminalibus solemnia formularum, plurimasque ambages, quibus hodiernus criminalium iudiciorum ordo scatet, e foro laicali in ecclesiasticum invexit, hanc iudicandi rationem, qua possumus hic brevitate, et perspicuitate, explicandam adgredimur.

IX. Ac primo receptis iam, probatisque accusationibus, de quibus supr. *tit IV.*, tum et testibus auditis, aliisque praeviis iam expletis informationibus, ut aiunt, indici inspiciendum est, num rei captura decernenda sit, an vero simpliciter citandus. Neque enim quemquam fas est in carcerem detrudi, nisi quem legitima indicia, vel gravioris admissi criminis, vel fugae suspectum fecerint. Hanc inquisitionem tum Ius Civile (5), tum et Ius Canonicum (6) Iudicis prudentiae prorsus committunt, adeo ut ex constitutione Regni *contra effraenatos*, capitali iudicio subiiciantur qui sine superiorum mandato personam aliquam, vel bona capere, retinere, vel custodire audeant.

De carcerum qualitate

X. Rei in carceres detrusi custodiae duntaxat nomine sunt detinendi, haud vero ut ibi torqueantur ad interitum, macerentur inedia, aut acerbitate ulla adfligantur (7). Unde Fridericus II. diserte sanxit (8): *squalore carceris macerari non volumus accusatum*. Et Carolus Borbonius prag-

(1) Deut. XIX. 19: const. apost. lib. XI. cap. 49: L. I. II. et III. C. *theod. de calumniat.* — (2) Conc. arelat. I. can. XIV; et II. can. XXIV. — (3) Apost. epist. I. *ad Timoth.* 5. — (4) *Deut.* I. 17: XVI. 19: *Matth.* VII. 2. *const. apost.* lib. II. cap. 57.

(5) L. III. C. *de exhib. reorum.* — (6) Cap. XV. *de sent. excomm. in VI.*

(7) L. VIII. §. 9. D. *de poenis.* — (8) Const. *humanitatem.*

matica an. 1738. tum antiquas regias pragmaticas horridos, asperioresque carceres iam vetantes innovavit, tum quosque regiarum audientiarum aulae praefectos iussit bis quotannis carceres invisere, atque, ut ad praescriptam regiis sanctionibus formam construantur, vel reducantur, curare. Et synodus provincialis neapolitana an 1699. Episcopis in hunc modum praecipit (1). *assidua carcerum visitatio non omittatur, atque eorum indigentiae, qui ibi intrusi sunt, explorentur, et cura praesertim spiritualis eorum salutis habeatur; quamobrem Confessariorum copia iisdem praebeatur, et quotannis missiones in carceribus fiant: inquiratur etiam custodum fidelitas, ne ab his, aut a cursoribus Curiae aliquid ultra taxam ipsis praescriptam exigatur.*

De citatione reorum eiusque variis speciebus

XI. Quum reus neque fugae suspectus est, neque poenae relegationem excessurae videtur obnoxius, poterit a iudice simpliciter *ad informandum* citari. At quoties in caussis etiam levioribus, vel plena habeatur probatio, vel indubia occurrant indicia, tunc iudicis ius est decernere, *ut reus citetur ad informandum, et capiatur.* Quae citatio *personalis* a forensibus vocitatur: ea enim ipsamet persona in iudicium sisti cogitur, atque ad carceris custodiam vi publica pertrahitur. Verum quum iudicia oppido levia sint, licet crimen sit capitale, iudici tamen nonnisi citatio *ad deponendum tanquam principalis* decernenda praescribitur. At si citatus ad deponendum, in iudicio se non ostendat, inque contumaciae crimen incurrat, tunc recte iudex decernet: *citetur ad informandum, ex quo contumax ad deponendum:* indiciorum enim defectum contumacia supplet. Demum ubi crimen sit prorsus ambiguum *ad deponendom* simpliciter inquisitus plerumque citatur, praesertim si bono fruatur nomine, vel saltem malo non laboret: gravia enim requiruntur indicia, ne temere alicui crimen adfigi videatur. Postremo citatio *ad dicendum caussam quare* a iudice haud raro decernitur, eaque in curiis ecclesiasticis praecipue locum habet, quum de aliqua censura infligenda agatur. Tunc enim reus citatur *ad dicendum caussam quare non debeat excommunicari, suspendi, aut interdici a divinis:* vel si latae sententiae ea fuerit *quare declarari non debeat incidisse in excommunicationem* etc.

XII. In ius vocatus citatione personali, si infirmitate, aliove legitimo detineatur impedimento, excusatur (2). Illustres duntaxat personae criminalia iudicia per procuratores subire non vetantur (3). Eandem praerogativam Fridericus II. indulsit universitatibus (4).

De poena contumaci adfixa

XIII. Citatum intra statutum lege tempus in iudicium venire detrectantem, iudex contumacem rite declarabit. Ut autem contumaciae poenis ob-

(1) Tit. XII. cap. 1. n. 5.
(2) Can. I. caus. 5. q. III. L. XV. D. *ad L. iul. de adult. coerc.* — (3) L. XI., et ult. C. *de iniuriis.*—(4) Const. *generalia iura.*

noxius fiat, necessum omnino est, ut semel, atque iterum contumaciae incusetur, legitimo inter utramque incusationem dilapso spatio. Porro poena, qua in contumaces animadvertitur, in Curiis saecularibus est mulcta pecuniaria, in ecclesiasticis vero est poena tantum spiritualis, uti in caussa Fidei excommunicatio (1), aliave similis in ceteris fori ecclesiastici caussis levitati, vel gravitati criminis, aut contumaciae adtemperanda (2).

XIV. Demum in ipso delinquendi actu, sive, ut aiunt, in *flagranti* crimine quisque non modo a publicis Curiae satellitibus, verum et a quibuscunque etiam privatis deprehendi, vinculis constringi, suoque iudici exhiberi poterit, praesertim si agatur de furibus manifestis (3), de raptoribus virginum, vel viduarum diaconissarum, iisdemque auxilium praestantibus (4), de maleficis, h. e. magicis artibus cuicui nocentibus (5).

De examine reorum

XV. Reus in iudicio iam constitutus legitimum debet examen subire, suoque iudici legitime interroganti de capitibus iam collectae informationis respondere. Verum legitimo reorum examini, ut accusatores intersint antiquae tum civiles, tum canonicae leges praescribunt. At iure recentiori Fiscalis tantummodo ministri praesentia requiritur, cui etiam aliquando conceditur postulare, ut inquisiti examinentur cum particula *monitus*, et quidem ubi graviora, sive, ut aiunt, arcta ad torturam habeantur indicia; secus illi particulae nullus erit locus. Particulae *monitus* ea vis inest, ut reo crimen deneganti singula detegantur, cum quae urgent indicia, tum quae congesta sunt testimonia, ab quibus ipse et mendacii, et periurii nomine redarguatur: ideoque monitum se habeat, divino, humanoque iuri obstringi ad veritatem suo iudici legitime interroganti pandendam.

De interrogatoriis

XVI. Examen reo deferendum est iuxta interrogatoria, quae minister fiscalis, aliusve officialis quantocius iudici post citationem exhibere cogitur. Hisce interrogatoriis reum in iudicio sistentem sine mora respondere oportet, neque datur ei dilatio ad deliberandum: atque adeo reus plerumque prius interrogatur, quam ipsi dentur defensiones, tradaturque exemplar indiciorum, sive informationum. Tum iudici, sive commissario diligentia quantamaxima inspiciendum est, num reus constans sit in deponendo, an vacillet, num aliquod timoris indicium prodat voce, colore, trepidatione: num contraria sibi, et repugnantia imprudens proferat, etc. Notarius autem non responsa modo, singulaque verba scripto consignet, verum et omnes, quos reus vultu, aliove indicio exerat animi motus.

De testium repetitione

XVII. Examine peracto, vel confestim, vel post dilutas, (si quas reus

(1) Cap. VII. *de haereticis in VI.*—(2) Cap. XLIII; *et ult. de rescriptis.*
(3) L. III. §. 1. D. *de furibus.*—(4) L. LIV. C. *de Episc., et cleric.*—(5) L. IX., et ult. C. *de malef., et mathem.*

protulerit) exceptiones, datur ei a iudice terminus dierum fere quatuor, vel plus, minusve iudicis arbitrio, tum reo ad sese defendendum, tum ministro Fiscali, ut aiunt, ad impinguandum. Quoniam vero testes, prius quam reus in ius vocatus suas proferre sinatur defensiones, ad poenam inferendam nullo pacto valent, et quidem utroque iure civili, et canonico (1): hinc primum testes, ut aiunt, recolligendi sunt, sive denuo audiendi, citato antea reo ad videndum ipsorum iuramenta, cui etiam eorundem testium nomina, et cognomina sunt patefacienda. Ita ius nostrum municipale (2), et probata utriusque fori antiqua consuetudo.

XVIII. Fori ecclesiastici peculiaris mos est, ut reus advocatus *ad videndum iurare, ac repeti eosdem testes*, possit capita suae inquisitionis petere, ut inde interrogatoria conficere possit, ad quae intra statutos dies exhibita, testes examinentur, antequam suas instaurent depositiones, alias actus nullitatem contestando denuntiat. At id iuris in foro laicali iamdiu exolevit.

XIX. Atqui testes satis non est, ut congruas adhibeant rei interrogatoriis responsiones. Etenim de integro a iudice legitime interrogandi sunt, perinde ac si nunquam interrogati fuissent (3). Neque ad priores sese referre quiverint depositiones, ni falsitatis nomine suspector se prodere veliut. Bene vero quisque testium, postquam iudici interroganti suis responsis iam satis fecerit, petere haud vetatur, ut prior sibi relegatur depositio, si quid in ea ipsi corrigendum occurrat: at integrum iudici est disquirere, quonam animo, quave caussa superiorem depositionem velit corrigere. Adhaec ubi in priori examine testes vel negligentia, vel dolo in quibusdam necessariis capitibus examinati non fuerint, vel obscura, aut ambigua interrogatoriis responsa dederint, eiusmodi vitiis posterius hoc examen medebitur.

De confrontatione

XX. Nonnunquam depositionum renovatio in ipsius rei conspectu testibus praestanda est: quaeque vocitari solet *confrontatio*, quasi facta fronte ad frontem, ac tribus praecipue in casibus, I. ubi testes aliquid deponant rei confessioni omnino contrarium. II, ubi testes nomen, et cognomen inquisiti ignorent, quem tamen deliquisse conspexerint. III, quoties duo testes ita discrepent sententiis, ut alter reum criminetur, quem alter purget (4).

XXI. Testium repetitioni aliquando inquisiti renuntiant, quos tanquam satis, ac rite examinatos libello sua manu signato declarant: quo facto testes repetere haud ultra fas est. Quod de foro duntaxat laicali intelligas. In Curiis enim ecclesiasticis renuntiationis illius libello clausula subnecti consuevit, *salvo iure repetendi*, qua sibi reus facultatem relinquit testium repetitionem pro lubito postulandi, expensis tamen suis peragendam: legitimo enim tempore Fisci, vel privati accusatoris sumptibus facienda fuisset.

(1) Nov. XC. cap. IX. L. XIX. C. *de testibus*: cap. II. eodem can. VII. caus. II. q. 1.
(2) Prag. I. *de testium refraenat.* — (3) *Indic. pragm. I.*
(4) Videsis Iulium Clarum *in prax. crim. quaest.* XLV. n. 14.

De crimine flagranti, et notorio

XXII. In flagranti, vel notorio crimine, quod in longum portrahere nefas est, ex capit. Regni (1) testium repetitioni locus non datur. Testes enim nonnisi semel post rei capturam audiuntur. Scilicet post praestitum coram ipso reo iusiurandum a iudice interrogantur, mox et reus ipse interrogatur, et quidem etiam per suggestionem, quam criminis evidentia permittit: tum simul testium, et rei, quas iudici dederint, responsiones in acta rediguntur, ex quibus probationes pro flagranti, vel notorio crimine depromuntur, adeo ut nulla ulteriori probatione opus sit (2).

XXIII. Iam vero distinguitur a notorio flagrans. *Flagrans* enim crimen significat clam licet perpetratum, de quo tamen testes, qui inibi praesentes adfuerint, deponant: *notorium* verum delictum praefert publico in loco, et coram populo palam admissum: porro procedendi forma in utroque eadem poene est.

De reo crimen confesso

XXIV. Quid si reus ultro crimen fateatur? num et defensiones etiam indulgendae? ita quidem. Poterit enim adversus suam ipsius confessionem excipere erroneam fuisse, mendacem, vel absurdam: praesertim ubi tormentis extorta fuerit. At licet criminis confessio nullo pacto impugnari quiverit, non una tamen reo patet via ad sese defendendum. Poterit enim excipere vel necessitate adactum, vel sine dolo crimen perpetrasse, vel fortuito, vel praeter voluntatem. Porro haec ἁπλῶς *simpliciter* proferre non iuvabit, sed pro virili erunt adstruenda. Profecto ubi in crimine ambiguum quid, controversumque erit, non parvi erunt roboris ad crimen, sin minus diluendum, saltem enervandum.

De tortura reorum

XXV. Processu plene instructo iudicis est inspicere, num ex probationibus in eo conclusis possit reus damnari. Profecto quum de poena corporali infligenda agitur, praecipue capitali, indicia, et praesumptiones satis non habentur, sed probatio requiritur non modo plena, verum et indubitata, ac luce meridiana clarior (3). Si autem semiplena habeatur probatio, licet reus ex ea damnari nequeat, poterit tamen torturae, vel quaestioni addici, ut vi tormentorum crimen confiteri adigatur.

XXVI. Non desunt, qui torturae praxim tanquam iniquam, et a ratione omnino abhorrentem traducant; quippe nefas videatur, ut qui nondum de crimine convictus est, tormentis adficiatur acerbioribus, et quidem morte ipsa durioribus, cuiusmodi tortura est, ut seipsum reum prodat. Adhaec

(1) *Carolus*, etc. *quod decretam tibi*. — (2) Cap. IX. *de accusationibus*: et can. XV. caus. II. Q. I.

(3) Doctores in L. fin. C. *de probationibus*: Iulius Clarus quaest. XXI., XXII., et LXVI.

neque per confessionem rei in tormentis expressam plenam consequitur Iudex probationem, quum haud raro accidat, ut in tortura crimen quis confiteatur, quod revera non admiserit: quare ex communi Criminalistarum sententia confessionis tormentis extortae nulla habenda est ratio, nisi illam reus extra torturam intra sequentem proxime diem renovaverit, sive ratam habuerit. Atqui et isti confessionis renovationi nonnisi levis videtur adhibenda fides, quum reus denuo quaestioni adplicetur, si priorem retractet confessionem; quam profecto licet falsam facile confirmabit, ut novam possit evadere torturam, praesertim quum tormentorum, et poenarum recens sit memoria, et adhuc vivax sensus.

XXVII. Porro licet res ita se habere videatur, attamen iure aeque communi, ac municipali torturae usus non probatur modo, verum et imperatur, ubi de criminibus agatur atrocioribus poenam corporis adflictivam, et quidem graviorem ferentibus. Iam vero ut reis tortura ea aequitate, qua par est, inferatur, tria requiruntur. 1, criminis atrocitas. Et sane ex Iustiniano tortura poena erat utriusque manus abscissione gravior (1). Unde ex constitutione Caroli II. andegavensis (2), nonnisi in criminibus, quibus poena ultra relegationem sit adfixa, tortura permittitur.

XXVIII. Requiruntur 2. indicia, et quidem adeo gravia, ut semiplenam saltem probationem constituant (3). Qua de re antequam a iudice tortura decernatur, reo indicia sunt patefacienda, et facultas reclamandi concedenda est ex constitutione Caroli II. andegavensis (4). Tantummodo grassatores viarum, homicidae, latrones insignes, aliique acerbiorum criminum rei iam infamiae notati, defensionibus non admissis, torqueri poterant non modo in M. Curia Vicariae ex regiis Roberti andegavensis litteris relatis in cap. ult. *Robertus* etc. *si cum de sceleratis*; verum et in inferioribus Regni Curiis, at in his requiritur, ut conformia sint totius tribunalis suffragia ex Prag. Regis Caroli Borbonii an. 738.

XXIX. In Curiis ecclesiasticis num tortura adhiberi possit non immerito quaeres. Profecto adhibendam non esse, illud praecipue insinuat, quod per torturam sanguinis iudicium exerceri videatur, a quo ecclesiastici abhorrere debent. At contra levioris saltem torturae usum probare videntur tum s. Augustinus (5): ubi Marcellinum comitem laudat, quod criminis cuiusdam confessionem virgarum verberibus eruisset: *qui modus*, subnectit, *coercitionis...... saepe etiam in indiciis solet ab Episcopis adhiberi*; tum Alexander III. Episcopo londinensi rescribit, ut iniquum furem ad rationem sub quaestionibus poneret (6) Verum tortura iam in Curiis ecclesiasticis in desuetudinem abiit.

XXX. Denique 3. personarum conditio est spectanda: nonnulli enim, praesertim nobiles, illustresque viri, legibus a torturae cruciatu, et ignominia eximuntur, nisi de delicto laesae maiestatis inquiratur, in quo solum aequa omnibus conditio est (7). Eodem privilegio fruuntur quoque mulieres praegnantes; etiamsi esset praegnans ex adulterio, aut in ipso carcere ad evitandam torturam dolose concepisset: quinimmo etiamsi de conceptu

(1) Nov. CXXXIV. cap. 13.—(2) Cap. *si iuste quis* tit. *quod recipiatur sententia*.
(3) L. III. §. 1. C. *de quaestionibus*. — (4) In Capitul. *tormenta* rubrica *de tormentis*.—(5) Can. I. C. 23. Q. V.—(6) Cap. I. *de deposito*.
(7) L. IV. C. *ad L. Iul. Maiest.*

dubitetur, et dubium per medicos, et obstetrices dilui nequiverit, nihilominus a tortura abstinendum est, non ut mulieri parcatur, sed ut foetui consulatur (1).

De purgatione canonica.

XXXI. Purgatio *canonica* ita dicta, quod canonibus recepta, ea est, qua infamati, praesertim ecclesiastici, de crimine, in cuius suspicione ponerentur, sese expurgare iubebantur (2). Haec purgatio plerumque fiebat emisso iuramento de innocentia. Tanta enim antiquitus erat de clericorum existimatione sollicitudo, ut non modo aperta crimina, sed criminum ne suspiciones quidem in ipsis Ecclesia sustineret (3).

XXXII. Obtinuit olim, teste Ivone carnotensi (4), ut in purgatione canonica solus infamatus suam innocentiam iurisiurandi interposita religione adsereret, atque hoc modo se a criminis infamia, vel suspicione purgaret. Quum vero quis in eiusmodi purgatione, veluti in sua caussa, iudex constitueretur, ac facile esset, ut ad poenas evadendas periurium admitteret, hinc mos inductus est, ut etiam testes adhiberentur, qui iurati testimonium dicerent de innocentia rei, eiusque suo testimonio exceptiones firmarent, unde quàm frequenter in antiquis legibus ocutio occurrit; *manu quinta, sexta, septima, vel duodecima se purgare*, h. e. quinque, sex, septem, vel duodecim adhibitis iuratis testibus: dicitur autem *manu*, quod in publicis iudiciis manu porrecta iuramentum praestari iamdiu in usum fuerit, vel quod tactis sacrosanctis Evangeliis testes illi iurare iuberentur. Eiusmodi testes sic dictos *compurgatores*, *coniuratores*, et *sacramentales*, eiusdem cum reo gradus, et conditionis esse oportebat, adhaec et eiusmodi, ut cum propter vicinitatem compertam habere potuerint veritatem, tum vel maxime tantae fidei, et honestatis, ut simile vero haberetur eos nolle more, odio, aut pecuniae obtentu peierare (5). Horum rituum in purgatione canonica servatorum primus meminit Gregorius turonensis (6), tum eorundem frequens occurrit mentio in capitularibus Regum francorum (7): adhaec et in libr. decretal. (8).

XXXIII. Purgatio canonica licet ob periurii periculum poene exoleverit, in quibusdam tamen ecclesiasticis Curiis adhuc in usu esse, et quidem in caussis non modo clericorum, sed et laicorum testatur Espenius (9).

De Purgatione vulgari

XXXIV. Purgatio vulgaris ea est, quae fiebat per duellum, per ferrum candens, aut ex iudicio aquae frigidae, vel ferventis, *vulgaris* nomen est

(1) Iulius Clarus *ibid. quaest.* LXIV.
(2) Cap. I. de *confessis*: cap. VIII. *de cohabitatione cler. et mulier*: cap. XIX. et XXI. *de accusationibus*. — (3) S. Greg. m. lib. II. epist. XXIII: et lib. VI. epist. XVIII. — (4) Ep. LIV., et CCVI.
(5) Ibid cap. VII. VIII., et XI. — (6) Lib. VIII. hist. franc. cap. IX., et XL.
(7) Lib. III. cap. IX., et lib. V. cap. LIX., et LXII. — (8) Cap. V. VIII., et X. *de purgat. canonica*. — (9) Part. III. tit. VIII. cap 4.

sortita, quod vulgi potius, quam canonum auctoritate fuerit inducta. Ac primo purgationis per μονομαχιαν *monomachiam* exemplum habemus in sacra historia (1). Scilicet gigantis philisthaei, et Davidis singulare certamen, et quidem ea conditione initum, ut ex eius eventu penderet Philisthiim, vel Hebraeorum victoria. Eandem in usum quoque fuisse apud Danos, Francos, Gallos, Langobardos, Hispanios, aliasque Gentes non in publicis modo dissidiis, verum et ad privatas definiendas, terminandasque controversias fusius probat Gonzalesius (2).

XXXV. Haud secus ad dignoscendum, num quis revera crimen, cuius nomine accusabatur, reus esset, iudicium aquae frigidae, aquae ferventis vel ferri candentis adhibebatur. Iudicium aquae frigidae in eo erat, ut accusatus in aquam immersus si supernataret, reus, contra vero si in imo devolveretur, innocens haberetur. Aquae ferventis iudicium examen erat, quo quis de crimine suspectus, ut se purgaret, manum in aquam ferventem nudato brachio immittebat, atque, si illaesam extraheret, innocens, si contra, reus pronunciabatur. Demum probatio per ferrum candens, vel ignitum ea ratione fiebat, scilicet, ut suspectus de crimine ad innocentiae probationem nuda manu ferrum candens tangeret, quam si illaesam corriperet, innocens, si adustam, nocens iudicabatur. Singulae haec probationes, seu iudicia adhibitis quibusdam sacris ritibus peragebatur, de quibus vide Stephanum Baluzium (3).

XXXVI. Huiusmodi iudicia, dubitari nequit, quin medio aevo maxime invaluerint, uti patet ex Hincmaro rhemensi in opusculo inscripto *de divortio Lotharii*, aliisque illius aetatis scriptoribus. At simul certum est, non defuisse iisdem temporibus, qui illorum usum haud probarint (4). Hinc in capitulari Ludovici Pii legitur (5): *ut examen aquae frigidae, quod hactenus faciebant, a Missis nostris omnibus interdicatur, ne ulterius fiat.* Verum haec tanti non fuerunt, ut iudicia illa apud christianos desueverint, quin potius ad saeculum usque XII. obtinuerunt: quod tum ex pluribus constat, tum vel maxime ex R. Pontificum decretalibus, ac praecipue Alexandri III. (6), Honorii III. (7), Innocentii III. (8), quibus probationes illae αδιαφορως *indifferenter*, omnino abrogatae, meritoque interdictae sunt, tanquam superstitiosae, et in quibus Deus tentari videtur.

TITULUS XIII.

DE SENTENTIA EIUSQUE EXEQUENDAE ORDINE

I. Factis utrinque probationibus, quantum satis videtur partibus, vel iudicii ratio postulat, a iudice finis controversiae imponendus est per sententiam, et quidem non *interlocutoriam*, quae, caussa principali adhuc

(1) Lib. I. Reg. cap. 17. — (2) Com. in tit. XII. cap. II. *de cleric. pugnant.*
(3) Tom. II. *capitular. reg. franc.* inter veteres formulas exorcismorum cap. II. Delrio *disquis. magicarum* lib. IV. cap. V. q. 4. sect. 4; Du-Cange in *glossario* verb. *aquae judicium.* — (4) Hincmarus Rhem. epist. *ad Hildegarium Meldorum episcopum.* — (5) An. 829. cap. XII. — (6) Epist. XIX. *ad Upsalensem Archiep.*
(7) Cap. III. *de purgatione vulgari.* — (8) Cap. X. *de excessibus Praelatorum*, et cap. IX. *Ne clerici, vel monachi saecul. neg.*

controversa incidentem tantummodo articulum dirimit, sed *definitivam*, quae principalem caussam ita determinet, ut secundum eam contendentibus a controversia discedendum sit (1). Praeter *definitivam*, et *interlocutoriam* datur quoque sententia *mixta*, scilicet ubi articulus incidens ita sit comparatus, ut ex eius decisione principalis etiam caussae decisio pendeat: qua de re vim definitivae habere dicitur. De hac sententia videtur locuta synodus tridentina (2).

II. Omittenda non est sententia *provisionalis*, qua quidem controversia non definitur, sed tantummodo a iudice perfertur, ut praesenti necessitati interim providcatur, tametsi nondum de caussa principali plene cognoverit. Istiusmodi sententia locum habet in caussis ad Ecclesias, divinumque cultum pertinentibus: scilicet ne Ecclesiae ob lites longius protrahendas divino careant ministerio, iudicis est providere, ut divinus cultus interim hac, vel illa ratione peragatur (3). Uti quoque parocho in caussa portionis congruae summarie, et provisionaliter consulendum est.

III. Sententia definitiva, quae proprie, et κατεξοχην *per excellentiam* sententia dicitur, ita definiri solet: *Determinatio eius, quod iustum est in casu aliquo praesenti a iudice, cognita caussa, facta* Profecto I. sententiam caussae cognitio anteiverit oportet: II. notio iniusti omittitur; determinato namque iusto patet huic oppositum esse iniustum: additur III. *in casu praesenti*; iudicis enim sententia inter litigantes tantummodo ius facit; neque quantum ad alias similes caussas legitimam aliquam vim habet.

IV. Tribunalium civilium usus fert, ut ubi ad sententiam deventum sit, de integro totius caussae examen instituatur, et quidem per relatorem, sive referendarium a Curiae Praeside, insciis contendentibus designandum. Hic prius in caussam inquirat, num sit legitime instructa, tum ex actis praecipua quaedam capita extrahat, quae caussae definitioni quaqua ratione conducere videantur: dein in Curia coram iudicibus, postquam caussae summam retulerit, principaliora illa indicabit capita, a quibus caussae decisio praecipue pendere videantur: postremo his completis sententiam iudex proferet.

V. Quoniam sententiae ille σκοπος est, scilicet ut finis liti imponatur, hinc 1, necessum est, ut sit certa (4), alias ne litem dirimeret, nec ullius esset roboris (5).

2. Iudex in proferenda sententia legitimas solemnitates servare non omittat: nimirum vocatis partibus, et in loco Curiae consueto illam proferat (6), nisi iudex sit delegatus, qui certam non habet sedem.

Tum 3, sententia scripto mandata est, et ex scripto proferenda (7). Levioribus tantummodo litibus exceptis, et maxime vilium personarum: *ibid.* Hanc iuris civilis dispositionem antiquitus Episcopi servare non cogebantur ex eadem *novella XVII*. At secutis temporibus cum reliquo ordine iudiciario in forum Ecclesiasticum fuisse invectam, aperto liquet (8).

(1) L. XIX. §. 1. D. *de recept. arbitr.* — (2) Sess. XXIV. de ref. cap. XX.
(3) Cap. XXVIII. *de adpellationibus*.
(4) L. IX. C. *de sent., et interloc.* — (5) L. penult., et ult. *de sent., quae sine quant.*—(6) L. VI. D. *de sent; et interloc.*—(7) L. III. C. de sent. ex peric. recit. nov. XVII. cap. 3.—(8) Cap. fin. *de sent., et re iudic.*

4. Sententia nonnisi a iudice, ipsismet adstantibus, vel saltem citatis partibus, praelegenda est (1): Episcopo vero duntaxat propter dignitatis praerogativam facultas datur sententiam per alium recitandi: uti quoque iure civili (2) iudicibus illustribus *licentia conceditur etiam per officium suum, vel eos, qui ministerium suum eis adcommodant, sententias definitivas recitare*. Ubi plures sunt iudices, satis erit omnibus adstantibus, iisdemque mandantibus ab uno ipsorum eam evulgari, qui tamen numero plurali utatur, veluti *pronunciamus* etc.

VI. Illud autem iudici summopere cavendum est, ne aliquo humano moveatur adfectu: quin immo id iudici omnino praestandum, ut suum illi tribuat, pro quo iustitia loquitur. Ad rem s. Ambrosius (3): *bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, et domesticae proposito voluntatis: sed iuxta leges, et iura pronunciat, statutis iuris obtemperat, non indulget propriae voluntati... discite iudices saeculi, quem in iudicando tenere debeatis adfectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem.* Unde olim iudices nullam caussam suscipere poterant, nisi prius sacramentum praestitissent, *omnimodo sese cum veritate, et legum observatione iudicium esse dispositiuros* (4). Hodie indices non quidem ad singulas caussas, sed semel quum ad iudiciarium munus provehuntur, simile iuramentum praestare iubentur.

VII. Iudici num publicis actis, sive, ut aiunt, adlegatis, et probatis conformis sententia pronuncianda sit, an aliquando privatae conscientiae ipsi sit deferendum, satis explicavimus supra *tit. XIII*. Illud hic omnino adiiciendum, nimirum ludicem prorsus vetari in sententia pronuncianda, uti sententia probabili: sane ab Innocentio XI. thesis proscripta est n. II., quae sic habebat: *probabiliter existimo iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.* At quid quum duo iudices in eadem caussa simul diversi habeant? Sane si fuerint ordinarii, standum erit pro reo, ni caussa fuerit favorabilis, ut puta libertatis, dotis, matrimonii, etc.: si vero fuerint delegati, utraque pendet sententia ex arbitrio delegantis: si demum fuerint arbitri, neutrius sententia valebit (5).

VIII. Illud hic iure quaeritur, num sententia, quam iudex contra ius proferat, ipso iure sit irrita. Qua in re sic habeto. Profecto nulla erit, ubi manifestum iuris errorem contineat, ut puta si pronunciet valere Testamentum pupilli (6). Quo sensu caput 1. *ibidem* intelligas, ubi absolute decernitur: *sententia contra leges, canonesve prolata, licet non sit adpellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso iure.* Ceterum ubi non iuri communi, sed tantummodo iuri litigatoris opponatur, licet iniqua, valida tamen erit, a qua proinde adpellari oportet, alioquin in rem iudicatam transibit (7).

De re iudicata

IX. Sententia rite perlata, nisi ab ea fuerit intra decem dies adpellatum,

(1) L. II. C. *eodem*, et modo *indic. cap. fin.*
(2) Indic. L. II.—(3) Can. III. caus. 3. q. VII.—(4) L. XIV. C *de iudiciis*.
(5) Cap. fin. hoc tit. L. XXVIII. D. *de re iud* L. XXXII. D. *de receptis*.
(6) L. I. D. *quae sent. sine adpell.* cap. XIII. *de sent., et re iudic.*
(7) Indic. cap. XIII., et cap. I. hoc tit. in VI.

transit in rem iudicatam, hoc est consentur partes ei adquievisse, unde executioni demandanda est, nec ab ea licet amplius provocare (1). Recte igitur res iudicata haberi dicitur pro veritate (2).

X. Nonnullae tamen sententiae nunquam transeunt in rem iudicatam. Et quidem 1, sententia ipso iure nulla, quae, uti modo diximus, nunquam in rem iudicatam transit, licet ab ea non provocetur.

2. Sententiae illae, ex quibus animae salus in discrimen adducitur, unde si contra matrimonium sententia proferatur ob aliquod dirimens impedimentum, et dein, licet post plures annos, constiterit impedimentum revera non adfuisse, sententia mutabitur (3).

Tum 3, sententiae venales, scilicet quae mercedis caussa a corruptis iudicibus perferuntur (4).

Adhaec 4, sententiae perlatae ex falsis instrumentis, quae iudex in iis proferendis secutus sit, et quidem *non obstante praescriptione rei iudicatae, quia nondum de falso quaesitum est* (5).

Idem 5, de sententiis intelligas, quas constet iudices ad dicta falsorum testium pronunciasse (6).

Demum 6, ubi iudex ex errore, aut falsa sive caussa, sive praesumptione ius dicat, et errorem, caussam, praesumptionemque in sententia exprimat (7).

De executione rei iudicatae

XI. Sententia legitime a iudice perlata, quae in rem iudicatam abierit, intra tempora a iure statuta executioni est demandanda. Et quidem statim in actione reali, in actione vero personali quatuor mensium induciae conceduntur, utroque iubente iure (8); nisi forte ex iusta caussa iudex tempus illud coarctandum, vel prorogandum censuerit (9). Verum ex recepta iam ubique consuetudine id iuris hac in re servari solet, scilicet ut vel statim post perlatam sententiam, vel aliquot post dies, vel etiam post longum tempus ex iudicis arbitrio litterae expediantur executoriales, quarum vi adparitores, aliive inferiores ministri sententiam in iis conscriptam exequantur.

XII. Generalis ille, utroque etiam iure probatus, hac in re canon servandus est, nimirum ut sententiae executio ab eo iudice fiat, qui eam pronunciavit. At excipiendus iudex delegatus, qui sententiam exequi vetatur (10). Verum delegatus a Principe, vel a Papa ea utitur praerogativa, ut ipse per se, vel etiam per alium suam possit exequi sententiam (11).

XIII. Quod si eiusmodi delegatus ordinario iniustae sententiae demandet executionem, tunc sane non licet ordinario ei violenter resistere, sed differenda ipsi executio, donec Principi, vel Papae veritas innotescat: Licet enim executori caussa cognoscenda non sit, ius tamen ipsi est sententiae iniquitatem superiori deleganti aperire (12).

(1) Cap. XV., et XXI. *hoc tit.*
(2) L. XXVIII. D. *de reg. Iuris.*—(3) Cap. VII. *hoc tit.*—(4) L. VII. C. *quando prov. non est necess.*—(5) L. I. C. *si ex falsis instrum.*—(6) Cap. IX. *de testibus.*
(7) L. I. D. *quae sent. sine adpel.*—(8) L. LXVIII. D. de rei vindic. II., et III. C. *de usuris*: Cap. XXVI. de offic. iud. deleg.—(9) Cap. XV. *de sent., et re iudic.*
(10) L. XV. D. *de re iudicat.*—(11) Cap. VII., et XI. *de offic. delegat.*
(12) Cap. V. *de sent., et re iudic.*

XIV. Iam vero in ipso executionis actu ex iuris praescripto ille ordo servandus est, ut a rebus mobilibus initium fiat, et quidem ea quantitate, quae debetur, dein ubi mobilia satis non sint, immobilia, sive stabilia; ac tandem si neque ista satis erunt, vel nulla fuerint, ipsa debitorum nomina, sive iura a iudice creditori addicenda sunt (1).

XV. Denique si neque bona, neque nomina, sive iura sufficientia reperiantur, quibus iudicato satis fiat, extremum illud erit remedium, scilicet debitoris in carcerem detrusio: quae licet iure antiquo aeque civili, ac canonico vetita fuerit (2), posteriori tamen aevo in usu esse coepit, hodieque obtinet: at vero nonnisi ad custodiam, donec iudicato satis factum fuerit. Ast nec deest debitoribus carcerem effugiendi praetextus, nimirum *bonorum cessio*, per quam omnia sua bona creditoribus cedunt, iisdemque facultatem dant ea vendendi, ut ex eorum pretio, qua fieri potest, singulis satisfiat (3). Simili poene beneficio clerici debitores fruuntur, qui sua debita in totum, vel pro parte solvere non possunt et quidem ex beneficio (4). Verum tam clerici, quam laici, qui istiusmodi iure uti volunt, idoneam praestare tenentur cautionem, scilicet ut si abundare incoeperint, contractum aes alienum, quod solvendum superest, persolvant.

TITULUS XIV.

DE ADPELLATIONIBUS

I. Adpellatio recte definitur: *ad superiorem iudicem provocatio iniquitatis sententiae querelam continens* (5). Igitur adpellationis veluti fundamentum simul, ac indoles in eo constitui posse videtur, ut sit *querela de iudicio lato*, cuius tamen exterior forma non una semper eademque, sed triplex.

1. Quum sententia non a legitima, et competenti potestate, non servato substantiali iuris ordine, non ad normam recepti ecclesiastici canonis lata sit: sed vel ab exauctoratis Episcopis, vel reo non citato, non audito, vel per vim, per fraudem, auro subornatis, corruptis, male instructis ad criminandum testibus, ad damnandum iudicibus, vel demum quum ad normam illegitimi concilii sententia pronunciata fuerit, tunc ad Primatem, ad Patriarcham, vel extremo ad Summum Pontificem querela deferebatur, qua id propositum, postulatumque, non ut caussa de integro agitaretur, aut iudicium discuteretur, sed ut inspecta iudicii forma, nimirum incompetenti iudicum potestate, inverso iuris ordine, vi, fraude, malis artibus intermixtis etc. iudicium irritum declararetur, poena remitteretur, communio restitueretur, gradus honoris, et potestatis agnosceretur. Haec usitata, ac frequens apud veteres adpellationis species est, quam etiam proprie *confugium* vocitabant.

2. Quum ab Episcopi sententia non tanquam incompetente, non tanquam violenta non tanquam inverso iuris ordine, vel ad normam illegitimi cano-

(1) L. XV. D. *de re iudic.* — (2) L. XII. C. *de oblig., et action:* cap. II. *de pignoribus.*—(3) L. IV. C. *qui bonis cedere poss.*
(4) Cap. *Odoardus* III. *de solutionibus.*
(5) L. XVII. D. *de minor.*

nis lata, sed tanquam iniusta, inspecto caussae merito, querela deferebatur; tunc a minori ad maiorem auctoritatem caussa ipsa devolvebatur ab Episcopo ad synodum, a synodo breviori ad pleniorem, prout caussae conditio postulabat. Profecto ab Ecclesiae incunabulis ubi non plene exerta, et explicata hierarchiae munia, officia, et gradus omnes, ubi omnia in synodo negotia, iudicia, caussae peragebantur, extra synodum nihil, tunc sane si quis in aliqua caussa iudicatus se laesum putaret, ab Episcopi sententia ad synodum, vel a synodo breviori ad pleniorem ipsi adpellare licebat, et iudicium quidem renovabatur, ab quo tamen priores iudices non exclusi, sed cum aliis vicinioribus provinciae Episcopis et primi adsidebant, ut in communi potius caussae revisio fieret, quam iudicii retractatio. Frequens et haec adpellationis species apud veteres, quam usitatiori vocabulo *provocationem* nuncupabant.

3. Demum ubi constituta, explicataque omnis hierarchiae amplitudo est, et munia, gradusque distincti, tunc adpellationum forma ad normam civilium legum, et tribunalium constituta est, qua nempe et agnoscitur legitima iudicis inferioris potestas, et superioris auctoritas imploratur, nec de incompetenti, aut de violenta, vel intolerabili sententia, sed de sententiae tantum errore defertur querela: quae quidem et extra synodum constitutis iudicibus, erectisque in Episcopiis Curiis, veluti ordinariis tribunalibus, recepta, discussa, definita esse solebat. Haec adpellationis species strictiori notione, etiam usu decretalium, a nostris hodiedum *adpellatio* dicitur.

II. Prioris adpellationis, sive confugii, quo non caussa de integro agitatur, sed in iudicii duntaxat formam inquiritur, plura in antiquis ecclesiasticis monumentis occurrunt exempla.

Sic 1. Fortunatus, et Felicissimus in Africa damnati ad Cornelium Papam adpellarunt: de quibus s. Cyprianus (1): *navigare audent ad Petri cathedram, et ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis, et profanis litteras ferre:* in quo non confugium reprobat Cyprianus, sed caussae tantummodo retractationem: statim enim subnectit: *sed agere illic caussam suam, ubi et accusatores habere, et testes sui criminis possunt.*

2. Basilides, et Martialis hispani Episcopi in provinciali synodo depositi Romam perrexerunt ad Stephanum Papam, a quo et in communionem recepti sunt: at neque in hoc confugium damnat Cyprianus, sed tantummodo quod sanctissimum Pontificem dolo, ac fraudibus circumvenerit: de Basilide enim haec habet Cyprianus ipse (2): *Basilidis non tam abolita, quam cumulata delicta, ut ad superiora eius peccata etiam fallaciae, et circumventionis crimen accesserit.*

3. Dionysius alexandrinus a pentapolitanis apud Dionysium Romanum accusatus, apud eundem, edita apologia, se ab obiectis purgavit, ut sic male conceptum de sua orthodoxia pentapolitanorum iudicium difflaret (3).

4. S. Athanasius in synodo Tyri, dein et in synodo antiochena depositus Romam confugit, ubi a Iulio Pontifice in communionem receptus est, et alexandrinae sedi restitutus, rescissis earundem synodorum actis.

(1) Epist. LV. *ad Cornelium.* — (2) Epist. LXVIII. — (3) S. Athanasius lib. *de sent. Dionys*, et lib. *de syn.*

5. Tum quoque Marcellus ab orientalibus in constantinopolitana synodo irrationabili iudicio damnatus ad Iulium Papam adpellavit, cui fidei professionem exhibuit, unde et tanquam orthodoxus agnitus est, et in communionem receptus (1).

6. Eustathius quoque Sebastenus in pseudo synodo constantinopolitana depositus, et ab Arianorum factione vexatus Romam confugit ad Liberium, *a quo litteras obtinuit, per quas restitueretur* (2).

III. Sunt quidem et alia non pauca, quae hic adferri possent ex antiquis monumentis exempla pro adstruenda Romanae Cathedrae, sive Romani Pontificis praerogativa, scilicet ut Episcopi in provinciis illegitimo iudicio damnati ad ipsum confugerent. At instituti nostri ratio non sinit, ut omnia adferamus. Verum qui sine piaculo omiserim Ioannis Chrysostomi, viri doctrina, et sanctitate clarissimi quam qui maxime, celeberrimum ad Innocentium I. perfugium? Ipse in synodo, quae ad Quercum celebrata est, iniqua sententia damnatus, nihil sibi reliquum esse duxit, quam ut ad Romanum Pontificem confugeret. Igitur ad Innocentium I. litteras dedit, in quibus rogavit, ut sibi inimicorum factionis oppresso, et contra canonicas leges iudicato opem ferat, pseudo synodi acta rescindat, ac sibi communionem impartiatur: *obsecro, ut scribatis quod haec tam inique facta, et absentibus nobis, et non declinantibus iudicium, non habeant robur; sicut neque sua natura habent. Illi autem qui inique egerunt poenae Ecclesiasticarum legum subiaceant, nobis vero qui nec convicti, nec redarguti, nec habiti ut rei, litteris vestris, et charitate vestra, aliorumque, quorum scilicet et antea societate fruebamur, frui concedite.* Iam vero Innocentius Chrysostomi litteras benigne accepit, ab lata contra ipsum ab Theophilo sententia absolvit, atque adeo eiusdem synodi acta omnino rescidit (3). Profecto caecutiat oportet, qui hic non videt clarissimum huiusce adpellationis exemplum, ac singulare Sedis Apostolicae privilegium; scilicet ut Episcopi in provinciis inique vexati, in ipsa tutum suae innocentiae inveniant perfugium. Nihil sane magis probat, illustrat, commendat Romanae Sedis supremam auctoritatem, quam usque usitata, frequentia, obvia adpellationum acta, nullo reclamante, reluctante nullo quoad ius: adeo inconcussus Apostolicae Sedis divino iure constitutus primatus: et quidem non honoris duntaxat, et dignitatis, sed et potestatis, auctoritatisque.

IV. Porro non desunt in veteri ecclesiastica historia illustria exempla adpellationis secundi generis, scilicet qua et querela defertur, et caussae revisio postulatur. Ex pluribus, quae adferri possent satis sunto:

1. In caussa Paschatis quum certatim aeque in Orientis, ac in Occidentis Provinciis breviores Episcoporum coetus haberentur, res ad pleniora concilia delata est. Scilicet ad ephesinum in Asia, ad caesareense in Palaestina, ad romanum in Italia, ad lugdunense in Gallia: in qua controversia praecipuae Victoris R. Pontificis partes fuerunt, cuius sententia in plerisque christianis conciliis, ac demum in nicaeno firmata est.

2. In caussa Donatistarum Caecilianus in Conciliabulo LXX. Africae

(1) Epiphanius haeres. LXXII. n. 2 epist. *Iulii apud Athanasium*. — (2) Basilius epist. LXXIV.
(3) Palladius *vit. Chrysost*: *Sozom*. VIII. 26.

Episcoporum damnatus, eiusmodi iudicium Romae, iubente Constantino, in pleniore synodo italica renovatum est, ubi et Caeciliani innocentia declarata, et Donatistarum iudicium reiectum (1).

V. Iam vero eiusdem secundae speciei adpellatio bifariam inspici posse videtur, nimirum vel 1, quum ex Episcopi sententia ad synodum, aut a synodo breviori, ad pleniorem, vel 2, quum ab synodico iudicio ad Romanam Sedem provocabatur. Prioris illustre monumentum habemus canonem V. nicaenum, quo decretum est, ut in unaquaque provincia bis in singulos annos Episcoporum coetus cogerentur ad clericorum, laicorumque adversus episcopales sententias delatas querelas discutiendas: *de his, qui communione privantur, seu ex Clero, seu ex laico ordine ab Episcopis, per unamquamque provinciam sententia regularis obtineat*, ut hi, qui abiiciuntur ab aliis, ab aliis non recipiantur. *Requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio videatur a congregatione seclusus. Ut hoc ergo decentius inquiratur, bene placuit annis singulis per unamquamque Provinciam congregatis, discutiantur huiusmodi quaestiones. Et sic qui suo peccaverunt evidenter Episcopo excommunicati rationabiliter ab omnibus aestimentur, usquequo vel in communi, vel eidem Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam.* Hic profecto patet clericorum, laicorumque adversus suos Episcopos delatas quaestiones humiles potius fuisse querimonias, ac simplices provocationes, quam sic proprie dictas adpellationes: neque enim suspensivum, ut aiunt, sed devolutivum duntaxat producebant effectum: *excommunicati rationabiliter ab omnibus aestimentur, usquequo* etc., et ut habet prisca canonum versio apud Iustellum: *excommunicationem durare pronunciat simpliciter*, *quandiu* etc. et quidem iuxta regularem initio canonis prolatam sententiam: *qui abiiciuntur ab aliis, ab aliis non recipiantur.*

VI. Quod vero spectat ad adpellationes, provocationesque ab Episcoporum, Metropolitarum, ac etiam synodorum iudiciis ad Romanam Sedem, clarissimam habemus auctoritatem synodi sardicensis, in qua Patres praeeunte Osio *can. III.* sanxeruut: *quod si aliquis Episcopus iudicatus fuerit in aliqua caussa, et putat se bonam caussam habere, ut iterum concilium renovetur, si vobis placet s. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui caussam examinarunt, Iulio Romano Episcopo, et si iudicaverit renovandum esse iudicium, renovetur, et det iudices: si autem probaverit talem caussam esse, ut non refricentur ea, quae acta sunt, quae decreverit confirmata erunt.* Ipsissima adtulimus Patrum sardicensium verba, ut inde cuicui adpareat amplissima Romanae Sedis praerogativa, nimirum suscipiendi patrocinium Episcoporum, qui in Provinciis iniuste damnati ad Papam confugerent.

VII. Iam vero productum sardicensem canonem de strictiori veri nominis adpellatione intelligendum non esse contendit Petrus de Marca (2), qui demonstrare satagit illam antiquitus viguisse regulam, a qua sardicensis ipse canon alienus non fuerit, ut nonnisi in provinciis iudicia et discute-

(1) Bibliothec. Iur. Can. vet.
(2) Concor. Sac., et Imp. lib. VI. cap. V.

rentur, et finirentur. De qua s. Cyprianus (1): *quum statutum sit omnibus nobis, et aequum sit pariter, ac iustum, ut uniuscuiusque caussa illic audiatur, ubi est crimen admissum*. Et Patres africani in epistola ad Coelestinum R. Pontificem post expositam antiquissimam Ecclesiae regulam de quibuscunque negotiis in provinciis, ubi exorta sunt, finiendis, probatumque canonem nicaenum de episcopalis sententiae cognitione in synodo provinciae renovanda, statim subnectunt, *prudentissime, iustissimeque viderunt, quaecunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda, nec unicuique provinciae gratiam s. Spiritus defuturam ... Deprecamur, ut deinceps ad aures vestras hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis recipere, quia hoc nicaeno concilio definitum facile advertet Venerabilitas tua. Nam et si de inferioribus clericis, vel laicis videtur ibi praecaveri, quanto magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua provincia communione suspensi a tua Sanctitate praepropere, vel indebite videantur communioni restitui.* At sardicensem canonem ignorabant adhuc africani, et nicaenum aliter, quam Romani, interpretabantur. Contendebant enim publicas quidem fidei, universalisque disciplinae caussas ad R. Sedem deferendas, privata vero Episcoporum clericorumque iudicia ex canonis nicaeni sententia in synodis omnino terminanda: at contra Romani in caussis depositionis, vel restitutionis Episcoporum adpellationi ad Romanam Sedem locum patere censebant.

VIII. Ut tamen id, de quo agimus, manifestus adpareat, ac distinctius constituatur, res est altius repetenda. Presbyter quidam Ecclesiae siccensis in Africa nomine Apiarius variis criminibus legitime convictus a suo Episcopo synodali sententia depositus iam fuerat. Hic vero ad Petri Cathedram navigans, a Zosimo, qui tunc temporis eam tenebat, benigne exceptus, ac etiam ex praescripto, et caussa discussa in communionem receptus est. Quum vero res ista regulis ecclesiasticis prima fronte repugnare videretur, quae praescribunt, ut excommunicati a suo Episcopo ab aliis non recipiantur, atque adeo excommunicati ab omnibus rationabiliter aestimentur, hinc Zosimi consilium, agendique ratio circa Apiarium non parum africanos commovit. Quo cognito Zosimus legatos misit ad africanos Faustinum Episcopum, presbyterosque Asellum, et Philippum, qui et Pontificis circa Apiarium rationem, modumque agendi legitimum tuerentur, et alia quaedam ecclesiastica negotia cum africanis tractarent.

IX. Apiarii iudicium quod spectat Zosimus Papa ita Patres africanos in suo commonitorio (quod legati in synodo legendum secum detulerunt) est adlocutus: *verba canonum, quae in pleniore firmitatem huic commonitorio inseruimus. Ita enim dixerunt dilectissimi fratres in concilio nicaeno, quum de Episcoporum adpellatione decernerent. Placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit* etc: atque hic Zosimus canonem sardicensem producit, quem tamen nicaenae synodo tribuit. Hic autem mirari quisquam desinat: namque codex canonum Ecclesiae Romanae sardicenses illos canones post nicaenos perpetua serie sub solo nicaeni concilii nomine

(1) Lib. I. epist. V.

digestos complectebantur. Unde facile fuit, lapsu temporis utriusque synodi canones uni concilio nicaeno ex aequo tribuerentur.

X. Tum productum a Zosimo canonem, tanquam concilii nicaeni, Patres africanos in suis eiusdem synodi exemplaribus non invenisse, neque mirum videri debet. Qua de re Alypius Episcopus tagastensis ceterorum Episcoporum nomine ita aurelium Concilii Praesidem est adlocutus: *Id nos servare profitemur, quod in concilio nicaeno constitutum est. Adhuc tamen me movet, quod quum inspiceremus Graeca exemplaria huius synodi nicaenae, ista ibi, nescio qua ratione, minime invenimus. Unde petimus venerationem tuam, Sancte Papa Aureli, quod quia hoc authenticum concilium nicaenum in urbe dicitur esse constantinopolitana, aliquos cum scriptis tuae Sanctitatis mittere digneris, et non solum ad ipsum sanctum fratrem nostrum constantinopolitanum Episcopum, sed etiam ad alexandrinum, et antiochenum venerabiles Sacerdotes, qui hoc nobis concilium cum substipulationibus litterarum suarum dirigant, ut omnis postea ambiguitas auferatur.*

XI. Igitur ex decreto concilii legati missi sunt ad Patriarchas alexandrinum, antiochenum, et constantinopolitanum, ut imperatis ab ipsis genuinis, authenticisque synodi nicaenae canonibus gravis iam exorta facilius controversia, ac tutius definiri posset. At interim eiusdem concilii Patribus opportunum visum est litteras etiam dare Bonifacio Papae (qui proxime Zosimo successerat) eundemque de iis, quae in synodo agitata essent certiorem reddere, ac simul rogare, ut ipse quoque ad orientales Ecclesias scriberet, quo canonum ex apostolico commonitorio a suis legatis recitatorum authentia magis magisque constare posset. Quin immo promittunt se eosdem canones, scilicet sardicenses, donec inquisitio facta sit, servaturos: *ut tuae venerationi*, inquiunt, *humilitas nostra rescriberet: ea breviter insinuare debemus, quae utrorumque concordia terminata sunt, non ea quae prolixis gestorum voluminibus continentur: in quibus (salva quidem charitate, non tamen sine parvo altercationis labore) demorati sumus.... Apiarius presbyter (de cuius et ordinatione, et excommunicatione fuerat exortum non solum siccensi, verum etiam toti africanae Ecclesiae non leve scandalum) de omnibus errotis suis veniam petens, communioni est restitutus ... Sane priusquam haec caussa isto termino clauderetur, inter alia, quae diuturnis disceptationibus versabamus, quia rogatio ipsa poscebat, ut apud acta ecclesiastica a fratribus nostris Faustino Coepiscopo, et Philippo, atque Asello compresbyteris, quaereremus, ut promereut, quidquid eis nobiscum fuisset iniunctum agendum, nonnulla quidem sine ullo scripto prosecuti sunt verbis: sed quum id potius flagitaremus, quid in litteris ferrent, commonitorium protulerunt. Quod recitatum nobis, etiam gestis, quae secum ad vos deferunt, est adlegatum. In eis quotuor nobiscum agenda mandata sunt. Unum de adpellationibus Episcoporum ad R. Ecclesiae sacerdotem: alterum ne ad comitatum Episcopi importune navigent. Tertium de tractandis presbyterorum, et diaconorum caussis apud finitimos Episcopos, si a suis excommunicati perperam fuerint. Quartum de Urbano Episcopo excommunicando.... de primo, et tertio iam priore anno litteris nostris ad Zosimum datis insinuari curavimus, ut ea servare sine ulla eius iniuria*

paulisper sineremus usque ad inquisitionem statutorum concilii nicaeni. Et nunc de tua poscimus Sanctitate, ut quemadmodum ea apud nicaenum a patribus acta, vel constituta sunt, sic ea nobis facias custodiri, et ibi apud vos ista, quae in commonitorio adtulerunt, facias exerceri, id est: si Episcopus: hic canones exscribunt sardicenses, quos ceu nicaenos legati protulerant, dein pergit epistola: *haec utique usque adventum verissimorum exemplarium nicaeni concilii inserta gestis sunt: quae si ibi (quemadmodum ipso, quod apud nos fratres ex Apostolica Sede directi commonitorio adlegaverunt) continerentur, eoque ordine et apud vos in Italia custodirentur, nullo modo nos talia (qualia commemorare iam nolumus) vel tolerare cogeremur, vel intollerabilia pateremur. Sed credimus adiuvante misericordia Domini Dei nostri, quod tua Sanctitate R. Ecclesiae praesidente, non sumus iam istum typhum passuri, et servabuntur erga nos ea quae nobis etiam non disserentibus custodiri debeant cum fraterna charitate, quae secundum sapientiam, atque iustitiam, quam tibi donavit Altissimus, etiam ipse prospicis esse servanda, si forte aliter se habent canones concilii nicaeni. Quamvis enim plurimos codices legerimus, sed nunquam in nicaeno concilio in latinis codicibus leginus, quemadmodum in superdicto commonitorio inde directa sunt: tamen quia hic in ullo codice graeco eam potuimus invenire, ex orientalibus Ecclesiis, ubi perhibentur eadem decreta posse etiam authentica reperiri, magis nobis desideromus adferri. Pro qua re tuam quoque venerationem obsecramus, ut scribere etiam ipse digneris ad illarum partium Sacerdotes, hoc est Ecclesiae alexandrinae, antiochenae, et constantinopolitanae, et aliis si etiam tuae placuerit Sanctitati.... Quod, donec fiant hoec, quae in commonitorio praedicto nobis adlegata sunt de adpellationibus Episcoporum ad R. Ecclesiae Sacerdotem, et de clericorum caussis apud suarum provinciarum Episcopos terminandis, nos usque ad probationem servaturos esse profitemur, et beatitudinem tuam ad hoc nos adiuturam in Dei voluntate confidimus.*

XII. Porro eodem anno a Patriarchis alexandrino, et constantinopolitano ad Patres africanos rescripta transmissa sunt pacis, et amoris plena, ac simul verissima exemplaria concilii nicaeni: *unde, domini venerabiles fratres, salute praeeunte, necesse habui per harum latorem filium nostrum Innocentium presbyterum fidelissima exemplaria ex authentica synodo in Nicaea Bithyniae habita vestrae charitati dirigere*: ita Cyrillus Alexandrinus in suo rescripto. *Quis est, qui communem fidem, vel statuta a Patribus firmata suis fratribus deneget? Qua de re per eundem filium meum Marcellum subdiaconum vestrum, nimium festinantem, sicut statuti sunt, in Nicaea civitate a Patribus, canones in integro, ut iussistis, direxi:* Ita Atticus constantinopolitanus in sua epistola.

XIII. Iam vero utraque haec Cyrilli, et Attici responsa quae nonnisi symbolum nicaenum cum viginti iam notis canonibus exhibebant, a Patribus Africanis per eosdem Innocentium presbyterum, et Marcellum subdiaconum, qui ea ab Oriente detulerant, ad Bonifacium R. Pontificem transmissa sunt. Post haec toto pontificatus Bonifacii tempore adquictum est, nec Apiarii negotium ultra promotum.

XIV. Atqui sub Coelestino Bonifacii successore controversia recruduit.

Apiarius enim, qui, uti modo vidimus, Faustino R. Pontificis legato agente, a Patribus africanis in communionem restitutus fuerat, tot tantaque nova admisit scelera, eoque sua temeritate devenit, ut iidem africani Patres ipsum denuo in ius vocare, ac de gravioribus delictis legitime convictum damnare contra votum coacti fuerint. Porro nimis audax, ac factiosus presbyter Apiarius denuo sibi apud R. Sedem perfugium quaesivit: atque tam callide negotium gessit suum, ut et in communionem recipi, et litteras ad africanos Episcopos in sui favorem expediri, et Faustinum Episcopum in Africam mitti, quo romanum iudicium exequeretur, impetrarit.

XV. Ubi Faustinus Africam devenit, Episcopi africani, eius adventus caussa cognita, simul cum ipso in synodum conveniunt Apiarii caussam iterum discussuri. Quid vero in altero hoc concilio actum sit, discimus ex eiusdem synodica epistola ad Coelestinum Papam data, ubi primo in haec erumpunt verba: *adveniente sane ad nos sancto Fratre, et coepiscopo nostro Faustino, concilium congregavimus, et credimus ideo cum illo Apiario missum, quoniam sicut per eius operam presbyterio antea redditus fuerat, ita nunc posset de tantis criminibus a Tabracenis obiectis, eo laborante, purgari, cuius tanta, ac tam immania flagitia decursus nostri Concilii examen invenit, ut et memorati patrocinium potius, quam iudicium, ac defensoris magis operam, quam disceptationis iustitiam superarent.* Tum de Faustino satis quidem, at modeste conqueruntur, quod nimis anxie Apiarii restitutionem sollicitasset: *non primum*, inquiunt, *quantum obstiterit omni congregationi diversas iniurias ingerendo, quasi Ecclesiae Romanae adserens privilegia, et volens eum a nobis in communionem suscipi, quem tua Sanctitas (credens adpellasse, quod probare non potuit) communioni reddiderat, quod minime tamen licuit, quod etiam gestorum ex lectione melius cognosces.*

XVI. Attamen Episcopi africani iam institutum Apiarii examen, iudiciumque prosequi non destiterunt: quo ad triduum usque continenter protracto Apiarius ultro, ac palam in concilio sua delicta confessus fuit. Qua de re de eadem caussa in concilio agitatum est: *triduano tamen laboriosissimo agitato iudicio, quum diversa eidem obiecta adflictissimi quaereremus, vel moras Coepiscopi nostri Faustini, vel tergiversationes ipsius Apiarii, quibus nefandas turpitudines occulere conabatur, Deus iudex iustus, fortis, et longanimis magno impendio resecavit... repente in confessionem cunctorum obiectorum flagitiorum dolosus necator erupit. Et tandem de omnibus incredibilibus opprobriis ultroneus se ipse convicit... et nos labore diuturnioris quaestionis absolvit.* Ita Patres africani de iis, quae in concilio acta sunt, Coelestinum certiorem faciunt.

XVII. Ut autem iis, quae in posterum contingere possent, opportune consuleretur, in eadem epistola in hunc modum Pontificem modeste precantur: *praefato itaque debitae salutationis officio, impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere: quia hoc etiam nicaeno concilio definitum facile advertet Venerabilitas tua. Nam si de inferioribus clericis, et laicis videtur ibi praecaveri, quanto magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua provincia communione suspensi, a tua Sanctitate, vel festinato, vel praepropere,*

vel indebite videantur communioni restitui. Presbyterorum quoque, et sequentium clericorum improba refugia (sicuti te dignum est) repellat Sanctitas tua: quia et nulla Patrum definitione hoc Ecclesiae derogatum est africanae, et decreta nicoena, sive inferioris gradus clericos, sive ipsos Episcopos suis metropolitonis apertissime commiserunt. Prudentissime enim, iustissimeque providerunt, quaecunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda: nec unicuique provinciae gratiam S. Spiritus defuturam, qua equitos a Christi sacerdotibus, et prudenter videatur, et constantissime teneatur: maxime quia unicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad concilia suae provinciae, vel etiam universale provocare. Nisi forte quisquam est, qui credat, unicuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare iustitiam, et innumerabilibus congregatis in concilium sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipsum transmarinum iudicium ratum erit, ad quod testium necessariae personae, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, multis aliis intercurrentibus impedimentis, adduci non poterunt? Nam ut aliqui, tanquam a tuae Sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum synodo constitutum. Quia illud quod pridem per eundem Coepiscopum nostrum Faustinum, tanquam ex parte nicaeni concilii, exinde transmisisti, in conciliis verioribus, quae accepimus nicaeni concilii, a S. Cyrillo Coepiscopo nostro alexondrinoe Ecclesiae, et a venerabili Attico constantinopolitano Antistite ex authentico missis, quae etiam ante hoc per Innocentium presbyterum, et Marcellum subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriae Bonifacio Episcopo praedecessori vestro a nobis transmissa sunt, in quibus tole aliquid non potuimus reperire. Executores etiam clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typhum saeculi in Ecclesiam Christi, quae lucem simplicitatis, et humilitatis diem Deum videre cupientibus praefert, videamur inducere. Nam de fratre nostro Faustino (amoto iam pro suis nefandis nequitiis de Christi Ecclesia dolendo Apiario) securi sumus, quod eum probitate, ac moderatione tuae Sanctitatis, salva fraterna charitate, ulterius Africa minime patiatur. Et alia manu: *Dominus noster Sanctitatem vestram aevo longiore orantem pro nobis custodiat, domine frater.*

XVIII. Africanorum Praesulum de Apiario iudicium, et utriusque carthaginiensis synodi gesta prolixiori oratione protulimus, at ea mente, ut inde adpareat 1, sardicensem canonem eo tempore Africanis adhuc fuisse ignotum, eosdemque nicaenum canonem aliter, quam romanos, fuisse interpretatos, tum 2, eiusmodi controversia pacem, fraternamque charitatem inter Ecclesias africanas, et R. Sedem ne minimum quidem fuisse violatam: quod quidem non defuere, qui comminiscerentur, quique merito a Baronio vapulant ad an 530.

XIX. Quid vero, si Patres africani praerogativam illam R. Sedis, scilicet eorum patrocinium suscipiendi, qui iniquis metropolitanorum, synodorumve sententiis offensi ad R. Sedem confugerent, num, inquam, aliqua ex parte imminuere, aut contrahere connisi fuerint? Apage id suspiceris. Nam 1, non ius Sedis Apostolicae ulla ratione coarctare, sed tantummodo confugientium nimis fidenti licentiae fraena iniici cupiebant.

2. Non quo iuris praerogativae quid officerent, sed ut inde exorientibu abusionibus medicinam adhiberent, R. Pontificem precabantur.

3. Neque de iure iam condito, sed de iure condendo solliciti, Ecclesiae africanae, salva Sedis Apostolicae dignitate, consulere meditabantur.

XX. Tria haec capita ex iisdem africanorum Praesulum epistolis manifesto elucent, nempe 1, quum adpellationes in levamen, et subsidium innocentium invectae sint, oeconomiae locum esse putabant, ut qui levamen, et subsidium minime mererentur, minime impetrarent salva primae Sedis praerogativa.

2. Quum rem ad disciplinam, non ad dogma pertinere arbitrarentur, precibus potius, ac momentis commodioris in provincia iudicii, quam aliquo ex Scriptura, vel traditione argumento, id a S. Sede obtinere nitebantur.

3. Hinc ne quid in posterum facinorosorum potius, quam innocentium praesidio accideret, cavendum R. Pontifici suadebant.

XXI. Et sane 1, iudicium in provincia ubi controversia exoritur, facile legitimum futurum, difficile vero extra provinciam ex eo probant, quod in provincia accusatus, accusator, et testes praesentes sint; ad iudicium extra provinciam quam frequenter *testium necessariae personae, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, multis aliis intercurrentibus impedimentis, adduci non poterunt*. Id ecclesiasticam oeconomiam, non divinum Apostolicae Sedis ius attingere censebant.

2. R. Pontifici modeste exponunt, quam facile fuerit, ut scelesti homines R. Sedis patrocinio abuterentur ad nova admittenda scelera, quod ipsius Apiarii caussa manifesto prodebat, qui R. Sedis patrocinio nimis fidens, praeteritis nova, eaque atrociora flagitia adgesserat. Id prudentiae magis, quam doctrinae negotium arbitrabantur.

3. R. Pontificem comprecantur, non ut iura Sedis Apostolicae aliqua ex parte imminuantur, aut vel leviter adtententur, sed tantummodo, ut in posterum ipsos in veteri africanae Ecclesiae consuetudine permanere patiatur, *quia et nulla Patrum definitione hoc Ecclesiae derogatum est africanae*. Quod quidem pacis potius, quam iuris caussa ab Apostolica Sede se impetrare posse africani Praesules existimabant.

4. Ceterum et inter haec Primae Sedis praerogativa resplenduit, namque, uti nupere ostendimus, Athanasius, Marcellus, Eustbatius, Chrysostomus, Celidonius, sexcentique alii ab iniquis sive synodorum, sive Episcoporum iudiciis ad R. Ecclesiam confugerunt, nec confugium illa denegavit unquam, sed caussa expensa, quid agendum esset, suo iure decrevit: et quo ordine iuxta canones in eiusmodi caussis procedendum esset, suo iure et indicavit, et suggessit, et praescripsit, tum et acta contra canones rescidit, tamquam supremus canonum et custos, et vindex, et exactor, nimirum supremum ordinarium in iudiciis ecclesiasticis tribunal R. Ecclesia semper est agnita. At de huiusmodi exemplis satis etiam *lib. I. tit. IX.*

XXII. Ceterum ne caussae extra provinciam, ubi testes, actores, et rei, ubi scripta, aliaque id genus indicia haberi possent, egrederentur, videtur canon sardicensis sanxisse honorandam memoriam b. Petri, et adseruisse facultatem Episcopis provocandi ab episcopali sententia ad Sedem Apostolicam: *quae si iudicaverit renovandum esse iudicium, renovetur, et det iudices*, equidem in provincia, ibique *agere caussam suam, ubi et accu-*

satores habere, et testes sui criminis possint quum statutum sit omnibus nobis, et aequum sit pariter, ac iustum, ut uniuscuiusque caussa illic audiatur, ubi est crimen admissum, ut loquitur Cyprianus (1). Hinc forte intulit Petrus de Marca ibid. num 7. *Episcopo Romano iudicium integrum remittendum fuisse ad Episcopos provinciae, et ad finitimos, ut illi caussae cognitionem suscipiant, praesente legato Summi Pontificis, si is existimaverit mittendum esse. Praeterea adpellationis ea vis est, ut priore interim sententia supersedendum sit. Quod aliter obtinet in revisione. Nam confugium illud ad Apostolicam Sedem non impediebat, quia interim sententia depositionis executioni mandaretur.*

XXIII. Sardicensem canonem ad saeculum usque VIII. in adpellationibus ad R. Sedem deferendis servatum videmus, uti constat ex caussa Hincmari laudunensis an. circiter 865., in qua Episcopi provinciae Rhemensis Hadriano II. Papae, ad quem Hincmarus adpellaverat, sic scribunt: *si forte quod non putamus, visum vobis necessarium fuerit, ut secundum sardicenses canones renovetis iudicium, et detis iudices, scribendo Episcopis, qui in finitimis, et vicinis provinciis sunt, ut et ipsi diligenter omnia requirant, et iuxta fidem veritatis definiant: vel si decreveritis mittere a latere vestro habentes auctoritatem vestram, qui cum Episcopis iudicent, eo in gradu adhuc non restituto, sicut sacri sardicenses canones praecipiunt, non abnuimus* (2).

XXIV. Nonnihil inde descitum est, ubi Isidori Decretales receptae sunt. His enim non modo diversi iurisdictionis gradus statuuntur Archiepiscoporum, Primatum, et Patriarcharum, ad quos gradatim adpellari posset, et ab his demum ad R. Pontificem, verum et ius R. Sedis constituitur, tanquam ex Apostolica Traditione descendens, et Primatui R. Pontificis divinitus adnexum, recipiendi nimirum, etiam omisso medio, adpellationes ab omnibus universi orbis partibus, nullo Sedium intermediarum servato iure (3). Tum iisdem poene temporibus nova iudiciaria methodus ex iure civili in ecclesiastica fora invecta varios illos adpellationis gradus magis magisque videtur firmasse: demum secutis temporibus res eo usque devenit, ut ab extraiudicialibus etiam, ac provisionalibus iudicum decretis ad Sedem Apostolicam adpellationes interponerentur.

XXV. Quum vero ex indefinita hac, et illimitata adpellandi licentia plura orirentur mala, hinc synodus tridentina, ut his saltem ex parte mederetur, plura salubriter constituit: ac praesertim (4), *ne adpellationes ab eisdem ordinariis interpositae per Superiores quoscunque recipiantur, earumque commissio, aut inhibitio fiat, nisi a definitiva, vel a definitivae vim habente, et cuius gravamen per adpellationem a definitiva reparari nequeat.* Tum *ibidem* sanxit (5) ut Episcopi in caussis visitationis, aut correctionis morum *adpellationi tanquam frivolae non deferant, sed quovis stylo, et consuetudine etiam immemorabili contraria non obstante, ad ulteriora procedant: nisi gravamen huiusmodi per definitivam senten-*

(1) Lib. I. epist. V.
(2) Labbeius conc. tom. VIII. col. 1656. — (3) Can. I. dist. 80. can. I., et II. dist. 99. can. IV. caus. 3. q. III. can. II. caus. 3. q. VI.
(4) Sess. XXIV. ref. cap. XX.—(5) Cap. X., et sess. XIII. ref. cap. I.

tiam reparari, vel ab ipsa definitiva adpellari non possit. Quod de suspensivo duntaxat adpellationis effectu intelligas, haud vero de devolutivo. Demum ubi Episcopus canonicae correctionis, pastoralisque visitationis, metas excessisse videatur, ius est Superiori et adpellationem recipere, et decreti episcopalis executionem suspendere (1).

XXVI. Adpellatio vel ab sententia definitiva interponitur, et dicitur *principalis*, vel ab interlocutoria, et dicitur *incidens*. Porro inter utramque nonnulla intercedunt discrimina; at potissimum illud est, quod principalis effectum parit suspensivum, et devolutivum, nimirum suspendit iurisdictionem iudicis a quo, et devolvit caussam in iudicem ad quem; ita ut interposita eiusmodi adpellatione nihil amplius adtentari possit a iudice inferiori, alioquin adtentatum a iudice superiore illico in pristinum reducetur (2). Secus vero se res habet in incidente, quae plerumque iurisdictionem iudicis inferioris non suspendit, nisi aut hic interpositae adpellationi detulerit, eam recipiendo, aut superior iudex litteras emiserit inhibitoriales, aut demum interlocutoria sententia damnum contineat irreparabile (3). Adhaec Iudex inferior non vetatur suam interlocutoriam sententiam, etiam post interpositam adpellationem, revocare: secus vero definitivam (4). Denique adpellatio incidens ut in scriptis fiat omnino necessum est, et quidem exposita caussa gravaminis (5) quum tamen adpellatio principalis, si in continenti fiat, simplici verbo *adpello* fieri possit (6).

De temporibus adpellationum

XXVII. Ex constitutione Iustiniani intra decem dierum spatium adpellandi datur facultas (7), quod ius etiam Canonicum recepit (8). Porro, uti modo observavimus, quum, ubi sententia lata est, statim adpellatur, satis erit sine scripto, sed voce, iudice adhuc pro tribunali sedente, adpellare. Quod si non fuerit statim adpellatum, tunc adpellatio per libellum omnino est interponenda, qui complectatur a quo adpellatur, adversus quem, et ad quem (9). Huiusmodi decem dierum adpellationi incboandae praescriptum spatium dicitur ***tempus fatale adpellationis inchoandae***, sequitur ***tempus fatale adpellationis interponendae.***

XXVIII. Adpellatione interposita intra triginta dierum spatium adpellans *Apostolos* petat (10). Apostoli, ita dicti a greca voce *αποϛελλω mitto*, libelli sunt dimissorii, sive litterae, quae a iudice inferiore, a quo adpellatum est, ad Superiorem, qui de adpellatione cogniturus est, dantur testandae adpellationis caussa: qui scriptum babeant, a quo dati sint, tum quis adpellaverit, adversus quem, et a qua sententia Verum in utroque foro eiusmodi Apostoli iamdiu exoleverunt (11). Igitur adpellatio instituitur coram iudice Superiore, exbibito libello ipsius adpellantis, quo iudicis infe-

(1) Bened. XIV. tom. I. *bullar.* const. XLVIII.

(2) Cap. VII. hoc tit. l. III. C. eodem, et in D. *toto tit. nihil novari adpellat. pend.*—(3) Cap. V., et VI. hoc tit. in VI.—(4) L. XIV. D. *de re iudicata.*

(5) Cap. LIX. *hoc tit., et cap. eodem in VI.*—(6) L. II. D. *eodem.* — (7) Nov. XXIII. cap. I.—(8) Cap. VIII. hoc tit. in VI.—(9) Leg I., et II. D. eodem.

(10) Cap. VI. eodem in VI. – (11) Gudelinus lib. IV cap. 14.

rioris sententia se gravatum dicat, simulque litteras postulet inhibitoriales, quibus iudex inferior iubeatur in caussa amplius non procedere,acta transmittere, et omnia innovata ad pristinum reducere, quibus si dicto audiens non sit iudex inferior, ad ipsius adpellantis postulationem litterae expediuntur *compulsoriales* dictae, quibus ipse iudicis superioris mandata exequi compellitur.

XXIX. Ultimum denique fatale tempus est *adpellationis prosequendae*, nimirum adpellanti integer conceditur annus ad suam coram iudice Superiore adpellationem prosequendam, tum ex necessaria, et evidenti caussa biennium, quod aeque canonico, ac civili iure obtinet (1). Verum aliquando tempus illud legitima ex caussa restringitur (2). Demum tempus ad finiendam adpellationem statuere vetatur iudex a quo, sed reservatum est iudici ad quem (3). Porro uti apostolos, ita et haec fatalia in desuetudinem abiisse observat Gudelinus *ibidem*. Igitur singulae Curiae certas habent introducendae,et prosequendae adpellationis constitutas regulas, quas si adpellans negligat, deserta censetur adpellatio (4).

De gradibus adpellationum

XXX. Adpellationes gradatim interponendae, nimirum a iudice inferiore ad eum, qui proximo in gradu est superior, ut puta ab Archidiacono ad Episcopum, ab Episcopo ad Metropolitanum, a Metropolitano ad Primatem, ubi Primas hac praerogativa perfruatur, a Primate ad tribunalia urbis, in quibus etiam gradatim adpellandum, ac demum ad Papam. Verum a sententia delegati nonnisi ad delegantem legitime adpellatur (5). Ceterum ubi tres sententiae conformes habeantur, adpellationi locus amplius non erit, tum iure civili, tum iure canonico (6).

XXXI. Quaeret hic fortasse quispiam, num liceat omisso medio ad iudicem supremum adpellare? porro hoc in capite non convenit ius canonicum cum civili. Iure enim civili non licere patet (7), quamvis eiusmodi interposita adpellatio inutilis prorsus non erit, quum ad proximum superiorem remittenda *ibid.* decernatur. At Iure Canonico licet omissis mediis αμεσως *immediate* ad Summum Pontificem adpellare (8) Quod de Iure Canonico novissimo intelligas: aliud enim obtinebat Iure Canonico antiquo, uti nuper explicavimus.

Quibusnam, et quibus in caussis ius adpellandi denegetur

XXXII. Ac 1, adpellatio non recipitur, quum vel generalis sit, qua scilicet quis provocet ab omni caussa, quae contra ipsam moveri possit (9), vel incerta, qua scilicet quis absolute dicat *adpello*, nec explicet, num e.

(1) Auth. *ei qui*, Cod. *de tempor., et reparat. adpellat.* cap. IV., et V. hoc tit.
(2) Indic. cap V.
(3) Cap. L. eodem.—(4) Videsis *Gagliardum* Instit. Can. lib. III. tit. XVII.
(5) L. un. cod. *ne liceat tertio provocare.*—(6) Cap. XXXIX., et LXV. hoc tit.: et clement. un. *de sent. et re iudicata.*—(7) L. XXI. Dig. hoc tit.—(8) Cap.VII., et LIV. hoc tit. cap. fin. *de foro competenti.*—(9) Cap. II., et XVIII. hoc tit.

g. ad Metropolitanum, an vero *αμεσως omisso medio* ad Papam adpellet (1).

Neque 2, auditur, qui pro alio adpellat, nisi forte id praestet pro reo, qui ultimo supplicio adficiendus sit: hoc enim casu licet cuicui etiam clerico, ac monacho adpellationem interponere (2).

Adpellare 3, vetantur qui ob contumacem absentiam damnati sunt (3).

Idem 4, *de notoriis* constituas, in quibus plerumque ad poenae illationem differendam adpellatur (4).

Reiicitur 5, adpellatio Regularium, quos Abbas correxit, levibusque legitimis poenis mulctaverit (5).

Tum 6, officialium, quos ob male gestum suum munus proprius iudex damnaverit (6).

Postremo a sententia Principis adpellari nequit, quippe qui Superiorem, ad quem provocetur, non agnoscat (7). Unde iure ordinario a sententiis summorum Pontificum, aut supremorum tribunalium denegatur adpellatio, sed duntaxat ad eosdem conceditur reclamatio.

XXXIII. Illud denique hic non abs re observandum, a sententia ipso iure nulla necessum non esse adpellationem interponi, sed satis esse ad impediendum eiusmodi sententiae executionem promptam nullitatis probationem (8).

TITULUS XV.

DE DELICTIS ECCLESIASTICIS GENERATIM

I. Gravissima inter viros doctos iamdiu agitata quaestio, nec adhuc definita ea est, nimirum quaenam antiquitus ecclesiastica crimina fuerint, eo scilicet intuitu, quo censuris, aliisve ecclesiasticis poenis puniri consueverint. Alii quidem existimant, eiusmodi crimina nonnisi tria fuisse, nimirum idololatriam, homicidium, et moechiam, atque his, aliisque praecipuis, quae ad haec tria reduci possunt, veterem omnem de censuris, publicaque poenitentia disciplinam adstringunt (9), eo praesertim innixi fundamento, quod veteres Patres, et Episcopi tum in synodis sancitis canonibus, tum in suis operibus crimina iudiciariae Ecclesiae potestati subiecta recensentes, nonnisi horum meminisse videantur.

II. At contra alii antiquam Ecclesiae disciplinam hoc in capite ad omnia grandia crimina extendunt, quae contra universum decalogum, sive divinam moralem legem committuntur, quam sententiam tum pluribus argumentis firmatam contendunt, tum vel maxime Augustini auctoritate (10), ubi tum eorum reiicit opinionem, qui censebant *tria* tantummodo crimina *mortifera esse excommunicatione punienda, donec poenitentia humiliore*

(1) Cap. I. ibid. — (2) L. VI., et XXIX. D. hoc tit. et Leg. VII. cod. *de episc. audientia*. — (3) L. I. Cod. *quorum adpellat*. L. XIII. Cod. *de iudiciis*, et L. XXIII. D. hoc tit. — (4) Cap. V., et XIII. hoc tit.
(5) Cap. III. hoc tit. — (6) L. III. Cod. *quorum adpellationes*.
(7) L. I. §. 1. D. *a quibus adpellare non licet*. — (8) L. I., et passim Cod. *quando provoc. non est necess.* — (9) Nat. Alex. hist. eccles. III. saec. diss. VI. q. 1.
(10) Hom. ult. ex L. cap. 3.

sanentur, *impudicitiam*, *idololatriam*, *homicidium*, tum paucis intericctis haec habet: *tertia actio est poenitentiae*, *quae pro illis peccatis subeunda est*, *quae legis decalogum continet*, *et de quibus Apostolus ait*: *qui talia agunt*, *regnum Dei non possidebunt*. In nostris *christianis antiquitatibus* fusius hac de re agemus, nostramque dabimus sententiam, qua distinguentes inter sollemnem, sive canonicam, et publicam poenitentiam, quaenam utrique obnoxia fuerint crimina, separatim explicabimus.

III. Hic tantummodo animadvertere iuvat, quod alibi iam indicavimus, scilicet ad saeculum usque XII. nullam in Ecclesia distinctionem agnitam fori interni ab externo, unde per ea tempora tametsi Episcopi in omnia sive publica, sive occulta, non clericorum modo, verum et laicorum crimina inquirerent, atque in delinquentes veluti processus conficerent, testes audiendo, sententiam pronunciando, ac legitimam poenam imponendo, haec tamen omnia non peragebant, nisi respectu habito ad forum spirituale, sive Sacramentum Poenitentiae, uti late ostendit Morinus de administratione Sacramenti Poenitentiae (1).

IV. Et sane 1, omnes ecclesiasticae poenae per ea tempora non ad vindictam imponebantur, sed unice ad ipsius peccatoris cum Deo reconciliationem. 2. Non aliud erat tribunal, in quo censura ligatus exolvebatur, et poenitens a peccato absolvebatur, sed unus, idemque Episcopus, vel Presbyter utramque simul praestabat. Et licet 3, circa saeculum VII. disciplina invaluerit, ut publica crimina Episcopis, eorumve specialibus delegatis reservata essent, occulta vero quibuslibet presbyteris: unde veluti forum externum ab interno distinctum inductum tunc temporis videretur; adhuc tamen omnia ad Sacramenti Poenitentiae administrationem, peccatorumque reconciliationem unice pertinebant. Neque 4, per eadem tempora distinctio occurrit inter delicta mere ecclesiastica, et civilia, ita ut de illis in foro interno, de istis vero in externo Episcopus cognosceret, sed in utraque aeque inquirebat, in delinquentes legitimis poenis animadvertendo ad eorundem emendationem, et publici scandali averruncationem. Unde 5, quod quis in foro saeculari de aliquo crimine convictus civili poena mulctatus esset, id impedimenti non erat, cur ab Episcopo ecclesiasticis poenis non puniretur: quum non unus, idemque fori ecclesiastici, et civilis finis esset. Vetus enim Ecclesiae disciplina poenitentiam ut medicinam considerabat, peccatorem ut aegrotum: quem Episcopi punitum quidem propter crimen poena civili censebant, non autem sanatum. Christiana tantum poenitentia eum vere sanare, ac vulnera per peccatum inflicta obducere credebatur (2).

V. Iam vero circa saeculum XII. inducto fori interni ab externo, et contentioso discrimine, strepituque forensi in episcopale tribunal invecto, ob generalem illam modo explicatam Episcoporum in omnia crimina iurisdictionem, omnes etiam civiles laicorum caussas, in quibus de peccato aliqua videretur esse quaestio, ad suum contentiosum forum Episcopi pertrahere adgressi sunt (3), et quidem ea ratione, quam in *idem caput* indicat Glossa, scilicet *tantum ratione peccati*, *et inducendo ad poenitentiam*.

(1) Lib. I. cap. IX, et X.—(2) Videsis *Morinum* ibidem, et lib. VII. cap. V.
(3) Cap. XIII. *de Iudiciis*.

VI. Quum vero temporis progressu in tribunali ecclesiastico de criminibus, non amplius ratione sacramentali ab Episcopis, vel eorum officialibus cognosceretur, neque poenae canonicae per modum medicinae spiritualis infligerentur, sed methodo omnino forensi, et ad vindictam pecuniariam, vel corporalem; hinc pedetentim a Principibus saecularibus eiusmodi recens inducta episcopalis iurisdictio decurtata est, scilicet ut, reservata foro ecclesiastico sacramentali peccati confessione, et absolutione a Sacerdote virtute clavium obtinenda, tum et clericorum caussis, merisque etiam laicorum ecclesiasticis delictis foro episcopali adtributis, reliquae civiles, ac criminales laicorum caussae, atque etiam peculiaria quaedam clericorum delicta foro saeculari adscripta sint, id quod late explicavimus (1).

VII. Igitur ex nova Ecclesiae disciplina crimina trifariam dispescuntur, scilicet ut alia sint mere *ecclesiastica*, alia *civilia*, et alia *mixta*. Primi generis sunt, quae admittuntur contra Fidem, Religionem, Sacramenta, easque morum regulas, quas ius civile non curat, uti haeresis, apostasia, schisma, profanatio Sacramentorum etc. Civilia sunt, quae adficiunt Rempublicam uti homicidium, furtum, rapina etc. Mixta vero, quae tam Religionem, quam Rempublicam offendunt, uti sacrilegium, adulterium, blasphemia non haereticalis, etc. Porro ecclesiasticorum criminum solus ecclesiasticus Iudex cognitionem habet, civilium iudex civilis, mixtorum vero uterque per praeventionem (2). Nos praecipuas tantum hic criminum ecclesiasticurum species recensebimus, ac pro instituti nostri modulo enarrabimus, tum quoque poenas eadem comitantes indicabimus.

TITULUS XVI.

DE DELICTIS ECCLESIASTICIS SPECIATIM

De haeresi

I. Αιρεσις *haeresis* est a graeco verbo αιρεω, quod forte primaria sua notione denotat *eligo*. Unde αιρεσις *haeresis* idem est, ac *electio*, et speciatim *electio dogmatis*, atque ipsum *dogma*. Unde Cicero de Catone stoico: *est in ea haeresi*, inquit, *quae nullum sequitur orationis florem*. Christianis *haeresis* est *dogma adversans principiis Religionis christianae*. Nam horum tantummodo habitus efficit christianum, at conclusionum habitus non απλως *simpliciter* christianum, sed theologum efficit (3).

II. Haeresis definiri potest: *voluntarius error intellectus in Fide cum pertinacia voluntatis*. Ut igitur quis haereticus dici possit, satis non est, ut errorem aliquem evomat, sed necessum est, ut falsae alicui sententiae, sive ψευδογματι *falso dogmati*, quod christianae fidei contraire noverit, sciens, prudensque adhaereat. Illustre huius rei exemplum habemus in controversia de validitate Baptismi ab haereticis collati, quae medio saeculo III. in Ecclesia exarsit inter s. Cyprianum, ac Firmilianum, et s. Stephanum R. Pontificem. Cyprianus enim, et Firmilianus cum suis Episcopis, etiam

(1) Tit. V., et VI.
(2) Cap. VIII. *de foro competenti*.—(3) Vossius *in voce haereo*.

in synodis coactis, mordicus defendebant baptisma ab haereticis collatum esse invalidum, ac proinde eos, qui foris tincti, hoc est baptizati essent, et apud haereticos schismaticos profanae aquae labe, ut inquiebant, maculati essent, quando ad catholicos, atque ad Ecclesiam, quae una est, venerint, baptizandos esse. Atqui Cyprianus, Firmilianus, aliique ita sentientes nunquam, ut haeretici, in Ecclesia audierunt. Licet enim sententiam tuerentur divinae, ac apostolicae traditioni contrariam, attamen, quia catholica Ecclesia nondum in ea controversia definierat, quid apostolica haberet traditio, quidque ex traditione illa tenendum, et credendum esset, ab omni haereseos, ac schismatis labe immunes eos fuisse nullus unquam vel subdubitavit. Ad rem s. Augustinus de Cypriano (1): *quod ergo ille vir sanctus de Baptismo aliter sentiens, quam se res habebat, quae postea pertractata, et diligentissima consideratione firmata est, in catholica unitate permansit, et charitatis ubertate compensatum est, et passionis falce purgatum.*

III. Nemo ut haereticus damnandus, nisi qui manifesto aliquo externo signo semet haereticum prodat: ex lege Arcadii (2) ii inflictis contra haereticos poenis obnoxii declarantur, qui *vel levi argumento a iudicio catholicae Religionis, et tramite detecti fuerint deviare.* Haud raro enim usuvenit, ut quis, licet alioquin maxime catholicus, tanquam haereticus habeatur ex falso duntaxat rumore, ac vagis, incertisque accusationibus. Qua in re antiquitus viri etiam sanctitate, ac doctrina clarissimi decepti sunt, uti s. Epiphanius, qui in s. Ioannem Chrysostomum non modo male animatus vehementer fuit; verum et cum ipso communicare noluit, quod ut haereticos non exhorruit, quos ipse errore praeventus haeresi damnaverat; *quum Chrysostomus ante caussae cognitionem haec facere haudquaquam iustum esse duceret* (3).

IV. Quod vero in modo indicata lege Arcadius dicit, *vel levi argumento*, nemo inde inferat vel levem haereseos suspicionem poenis sive ecclesiasticis, sive imperialibus aliquem obnoxium reddere. Namque, ut erudite demonstrat Gothofredus in eandem legem, *argumentum* ibi non levem suspicionem, non *εικασον coniecturam*, non indicium nudum significat, neque *αποδειξην certam probationem*, rationemque rei dubiae fidem facientem, sed quamcumque propositionem, titulum, fideique articulum denotat. Ac proinde illa *vel levi argumento* iungenda sunt non cum voce *detecti*, verum cum voce *deviare*. Unde iam manifestum levi argumento deviare a iudicio catholicae Religionis, et tramite, idem valere, atque deviare vel in levissimo articulo, et propositione fidei, et haereticam propositionem tueri, quantumcunque ea levis videatur. Igitur verba illa *vel levi* pertinent non ad levitatem probationis, sed ad adparentem rei, et propositionis levitatem. Nempe quaelibet levis exerratio sit, in rebus fidei haeresis est. Tum ex eadem lege requiritur, ut quis detectus fuerit de catholicae Religionis tramite deviare. Namque, ut docet s. Thomas (4) licet haeretici *mereantur non solum ab Ecclesia per excommunicationem separari... Ex par-*

(1) Lib. I. *de unico baptismo* cap. XVIII.—(2) Cod. theod. *de haereticis* L. XXX. et leg. XXVIII. Cod. theod. eodem tit.
(3) *Sozomenus* lib. VIII. cap. 14.—(4) II. II. q. II. art. 3.

te autem Ecclesiae est misericordia ad errantium conversionem: et ideo non statim condemnat, sed post primam, et secundam correptionem, ut Apostolus docet: postmodum autem si adhuc pertinax inveniatur, Ecclesia de eius conversione non sperans aliorum saluti providet eum ab Ecclesia separando per excommunicationis sententiam.

V. Igitur levis de haeresi suspicio scilicet ex pertenuibus indiciis, levibusque coniecturis exorta, haereticum non constituit. At vero ubi suspicio fuerit vehemens, scilicet quam plura, ac graviora efferant argumenta, satis caussae est, cur in aliquem, tanquam in haereseos suspectum, agatur (1). Unde synodus tridentina sanxit, ut *infidelem excommunicatum, qui post legitimas monitiones non resipuerit... et obdurato animo censuris innexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tanquam de haeresi suspectum, procedi possit*. Sic quoque in sepelientes de industria haereticos in loco sacro, tum et in haereticorum fautores, receptatores, defensores ac demum in eos, qui ob haereseos suspicionem in iudicium vocati contumaciter absint, excommunicatione animadvertendum decernitur (2).

De poenis in haereticos sancitis Iure Canonico

VI. Praecipua est excommunicatio, et quidem latae sententiae (3): unde canones aeque in antiquis, ac in recentioribus conciliis adversus haereticos constituti, anathemate clauduntur in eos inflicto, qui doctrinae in iis contentae sese opposuerint. Et sane, uti loquitur s. Hieronymus (4). *Secandae putridae carnes, et scabiosum animal a caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, et pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arius in Alexandria una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est.* Eamdem poenam, uti modo innuimus, subeunt etiam, qui haereticos scientes in loco sacro tumulaverint, haereticorum fautores, hospites defensores etc. tum et qui cum haereticis oraverint, sive in sacris communicaverint (5).

VII. Altera poena est depositio, si clerici fuerint, ab omni officio, et beneficio ecclesiastico (6). S. Cyprianus iam idem docuerat (7): *dicimus omnes omnino haereticos, et schismaticos nihil habere potestatis, ac iuris.*

VIII. Tertia poena est irregularitas cum infamia, qua haereticus ipso iure adficitur (8). Eaque irregularitas perdurat etiam postquam haeresim detestati in Ecclesiae communionem redierint (9). Eidem poenae obnoxii quoque sunt haereticorum fautores, defensores, receptatores, tum et eorundem filii, et quidem ad secundum gradum per paternam lineam; per maternam vero ad primum duntaxat.

IX. His addesis 1, haereticis vetitum adversum aliquem fidelem in caus-

(1) Sess. XXV. ref. cap. 3. — (2) Cap. III., et VII. *de haereticis* in VI.
(3) Can. XIII. causs. 24. q. III. cap. VIII. IX., et XV. *de haereticis*.
(4) Comment. in epist. ad Galat. cap. V. vers. 8. — (5) Can. apost. XLV., et LXV. *concilium laodicenum* can. IX. — (6) Cap. 9. *de haereticis* — (7) Epist. *ad magnum*. — (8) Can. XVII. causs. 6. q. I. et cap. 2. §. 2. *de haereticis* in VI. — (9) Can. XX. causs. 1. q. VII.

sa ecclesiastica testimonium dicere (1). 2, haeretici in loco sacro haud sepeliendi (2). 3, denique haereticis haud permissum in paternam haereditatem succedere (3). Quod Iure etiam Civili constitutum est (4).

De poenis in haereticos sancitis Iure Civili.

X. Plures quoque poenas piissimi imperatores, ac principes in haereticos sanxere, ex quibus potiores hic dabimus. 1. infamia notati, sive ut infames habendi, unde quocunque publico honorifico munere defungi vetantur, sive militare illud fuerit, sive civile (5).

. 2. Ipsis interdicta tum facultas condendi testamentum, donationes constituendi, aliosque quosvis contractus ineundi, tum etiam ius ex testamento aliquid accipiendi, donationesque capiendi: *ibidem*.

Unde 3, omnia haereticorum bona fisco addicta : *ibidem*.

4. Poena mortis, idque ad exemplum eorum, qui crimen laesae maiestatis humanae admiserunt.,*ibidem*. Insignis est hoc de capite constitutio Friderici II. imperatoris cuius fragmenta habentur in codice iustiniani (6). In ea imperator omnes ab imperatoribus retro iam sancitas in haereticos poenas cum firmat, tum etiam innovat, atque ad eorundem receptatores, fautores, et defensores exporrigit, ubi ecclesiastica censura notati intra annum non resipuerint, demum aeque hos, atque illos *bannitos* declarat : qua de re, ut iidem mortis supplicio, quae ordinaria bannitorum poena est, adficerentur, decernere videtur. Quod idem Fridericus imperator in constitutione Regni I. *de haereticis, et patarenis* expressius edicit: *praesentis nostrae legis edicto damnatos mortem pati Patarenos decernimus,quam adfectant, ut vivi in conspectu populi comburantur . . . . . credentes , et complices, et quocunque modo fautores. . . . . publicatis bonis omnibus relegandos in perpetuum esse censemus.*

XI. Haeretici, qui suum errorem detestantur, et abiurant, tum Ecclesiae reconciliantur, tum mortis poenam evadunt, at plerumque perpetuo carceris squalori mancipantur (7). Excipe tamen in haeresim relapsos, quorum poenitentia ceu ficta habetur, unde *saeculari iudicio sine ulla penitus audientia relinquendi decernuntur* (8). Verum deneganda iisdem non sunt Poenitentiae,et Eucharistiae Sacramenta, *si postmodum poeniteant, et poenitentiae signa in eis adparuerint manifesta.*

De schismate

XII. Schisma haud quidem a verbo latino *Scindo* , at vero a graeco *σχιζειν σχισμα scindere scissura* suam habet originem. Unde quodcunque peccatum, quo a Dei amicitia, omnisque excommunicatio, qua a fidelium communione separamur, latius dici quodammodo Schisma posset.

(1) Can. apost. LXXV. codex afric. can. CXXIX.— (2) Cap. II. ibid. in VI.— (3) Codex afric. can. XXII. — (4) Leg. VII. IX., et XL. cod. theod. *de haereticis*. — (5) Tit. *de haereticis in utroque codice.*— (6) *Auth. si vero, et auth. credentes de haereticis.*

(7) Cap. XV. *de haereticis*. — (8) Cap. 4. eodem in VI. Cap. IX. eodem, et Cap. 8. ibid.

Verum hic strictius schismatis vocabulum usurpamus, quo indicatur *divisio, qua quis seipsum ab Ecclesiae Catholicae communione separat* (1).

XIII. Duplex schismatis species distingui potest, *particularis* una, *universalis* altera. Illa est, quum intestinum inter quosdam Episcopos exoriatur dissidium, ac voluntatum alienatio, salva tamen unione tum fidei, tum etiam cum universalis Ecclesiae Capite R. Pontifice, cuiusmodi fuisse videtur schisma IV saeculo inter orientales Episcopos excitatum ob controversiam, num una in Deo, num vero tres hypostases agnoscendae essent.

XIV. Universalis est, quum subiectio, et obedientia R. Pontifici denegatur, et sic quoque vinculum ecclesiasticum cum Episcopis ei adhaerentibus solvitur. Quum vero hi cum R. Pontifice universalem constituant Ecclesiam, hinc eiusmodi schisma dicitur discessus ab universali Ecclesia.

XV. Schisma non videtur posse haeresi carere: Papam enim supremum Caput esse Ecclesiae, articulus fidei est, quem illi negant, qui schisma universale committunt. Adhaec ex Hieronymo (2): *nullum schisma non aliquam sibi confingit haeresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur*: uti exemplis novatianorum, donatistarum, graecorum, aliorumque fuse demonstrat Gonzalesius (3). Non ergo mirum, si schismatici iisdem fere, ac haeretici poenis adfligantur (4).

De apostasia

XVI. Apostasia idem est, ac *christianae Religionis desertio*, quae plerumque comitem habet transitum ad falsam aliquam sectam, uti iudaismum, paganismum, atheismum. Delictum sane atrocissimum, atque haeresi longe gravius: haeresis enim aliquod duntaxat negat fidei dogma, at apostasia omnem prorsus fidem deserit: non omnis haereticus est apostata, omnis tamen apostata est haereticus: qua de re apostatae iisdem plectuntur poenis, ac haeretici.

XVII. Quum vero alii vel vi tormentorum deficerent, vel ab Ecclesiae quidem communione avocarentur, at idololatriam non amplecterentur, alii vero ex adverso, et sponte christianae Religioni nuntium remitterent, et idololatria sese polluerent; hinc semper Ecclesia severius in hos, quam in illos animadvertere consuevit (5). Quinimmo his posterioris speciei apostatis quidam antiqui canones ad finem usque vitae communionem denegandam praecipiunt (6). Tum iisdem nonnisi in hora mortis reconciliationem impartiendam decrevit Siricius P. (7).

XVIII. Sunt quoque duae aliae species apostasiae laxiori sensu sic dictae: scilicet *apostasia ab Ordine*, vel *a Religione*, quia nimirum clerici, vel monachi, professive regulares habitum, vitamque clericalem, vel religiosam deserunt, et ad vota saecularia, vitamque laicalem transeunt. Eiusmodi clericos, monachosque apostatas anathemate plectendos synodus

(1) S. Thomas II. II. q. 39. art. 1.
(2) In cap. II. *epist. ad Titum*.—(3) In cap. I. *de schismaticis*.—(4) Cap. XXXII. causs. 24. q. I.
(5) Can. illiberit. I., et XLVI. cap. pen., et ult. *de apostatis*. —(6) Indic. can. I. illiber.—(7) Epist. I. *ad Himerium* cap. III.—

chalcedonensis sanxit can. VII: *qui semel in Clero deputati sunt, aut monachorum vitam expetiverunt, statuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam, sed hoc tentantes, et non agentes poenitentiam, quo minus redeant ad hoc, quod propter Deum primitus elegerunt, anathematizari.*

XIX. Clerici apostatae sunt ipso iure infames (1), et si moniti non resipuerint, deponendi sunt (2). Interea vero temporis incurrunt in poenam suspensionis a beneficio, et inhabilitatis ad beneficia (3). Quod tamen de clericis in sacris constitutis solummodo intelligas.

XX. In monachos quoque apostatas variae poenae sancitae sunt, at non tam ex iure communi, quam ex monachorum, ac regularium privilegiis, inter quas potior est excommunicatio latae sententiae, cui subiacent non modo ipsi monachi apostatae, verum et qui eosdem recipiunt, occultant, vel defendunt.

De divinationibus

XXI. Divinationis vocabulum omnes complectitur illicitas vias, et artes manifestandi secreta, aut praenuntiandi futura, quae ex nullis naturae legibus sciri possunt Ex variis illis illicitis viis, et artibus variae exoriuntur divinationum species, uti 1, *astrologia*. sive ars pandendi occulta ex situ, et motu stellarum. Qui hanc artem profitebantur, vulgo dicebantur, mathematici: quo nomine aeque apud gentiles, ac apud christianos Imperatores quam frequenter damnati sunt, gravissimisque poenis coerciti (4).

2. *Augurium*, cuius itidem variae species ex diversis modis, quo peragebatur, uti 1, *haruspicium*,et *haruspicina*, quum observabantur signa, et indicia in extis victimarum. 2, sic strictori notione dictum *augurium*, quum ex motu, volatu, vel cantu avium argumenta desumebantur. 3, *omen*, quum ex voce, vel etiam sternutatione hominum indicia captabantur. 4. *Χειρομαντεια chiromantia*, *μετοπωσκοπια metoposcopia*, et *notomantia*, quum scilicet ex manibus, ex vultu, ac fronte, vel ex dorso occultarum rerum manifestationem quis aucuparetur. Quantum Romani hisce augurii speciebus dediti fuissent, ipsimet profani scriptores luculentissime testantur.

3. *Sortilegium*, sive divinatio per sortes, qua nimirum per sortes inquiritur quid agendum sit, quidve vitandum. Gentiles sortibus virgilianis utebantur, scilicet oraculi loco accipiebant versus quoscunque, qui, adrepto temere Virgilii poetae libro, oculis primo se obiicerent. Qua ratione Hadrianum imperium sibi praenuntiasse, narrat Spartianus *in vita Hadriani*. Non defuere antiquitus fideles, qui eodem prorsus pacto sacris Bibliis abutebantur, quod *sacras sortes* vocabant, quodque veteribus synodis peculiaribus canonibus damnatum est (5).

Verum pluribus in casibus vetitum non est sortes adhibere, uti in agrorum divisione, in exercitu ad definiendum, quisnam primus hostem adoriri

(1) Can. II. caus. 3. q. IV.— (2) Can. V. caus. 21. q. IV.
(3) Clement. II. *de vit., et honest. cleric.* —(4) Tit. *de mathemat; et malef. in utroque codice.*
(5) Conc. agath. can. XLII, venetic. can. XVI; aurelian. I. can. XXX.

debeat, tempore persecutionis ad seligendos ex pluribus ministros, quibus ad gerendam curam plebis in civitate manendum sit, quod probat Augustinus (1). Porro sortibus uti legibus Ecclesiae interdictum est in distribuendis officiis ecclesiasticis, electionibusque canonicis (2). nisi peculiare habeatur Dei mandatum, uti in electione Matthiae factum est, de qua Hieronymus in Ioannem I. sic habet: *non statim debemus sub hoc exemplo sortibus credere, vel illud de actibus Apostolorum huic testimonio copulare, ubi sorte in apostolatum Matthias eligitur: quum privilegia singulorum non possint facere legem communem.*

4. *Divinatio per explicitum pactum cum satana;* nimirum quum Satanas ipsum consulenti responsa det, vel 1, per imagines, sive idola, propterea *oracula* adpellata, vel 2, per suos vates, sic dictos *pythones*, et *pythonissas*, quasi spiritu fatidico agitatos, vel 3, per somnia, quod *ονειρομαντεια vaticinatio per somnia* vocitabatur, vel 4, per spectra, sive visiones mortuorum, quod proprie dictum *νεκρομανξεια vaticinatio per mortuos*, vel 5, per cranium hominis, quod *κρανιομαντεια vaticinatio per cranium* veteres dixere, vel denique 6, per signa, vel figuras factas in terra, in aqua, in aere, in vitro, in igne, aliisque sexcentis fallaciarum modis, de quibus vide Martinum Delrio, aliosque de hoc capite fuse pertractantes. Illud hic duntaxat observandum, eiusmodi delictum semper in Ecclesia adeo nefandum, quam quod maxime fuisse habitum; quippe quod idololatriam, haeresim, incredulitatem, apostasiam, sacrilegium, curiositatem, aliaque crimina, singula per se gravia, aliqua saltem ex parte in se complecti videretur, unde et canonibus ecclesiasticis gravissimis censuris, et legibus civilibus poena capitali punitum (3).

De magia

XXII. Magia superstitiosa, quae proprie a Canonistis *magia* dicitur, ea est, per quam mira quaedam fiunt ope daemonis, sicque a magia naturali distinguitur, per quam saepe Philosophi mira efficiunt virtute caussarum naturalium. Superstitiosum illud magiae genus sortilegio oppido adfine est. Unde Iure canonico aeque sortilegi, ac magi iisdem plectuntur poenis, nimirum excommunicatione, et si clerici fuerint, depositione, uti patet ex pluribus Canonibus, et decretalibus (4).

XXIII. Duo hic tantummodo observare iuvat. 1, consulentes quoque magos, vel sortilegos in excommunicationem incurrunt, et si clerici fuerint, ab honore dignitatis suae depositi monasterii poenam subeunt, ibique perpetuae poenitentiae dediti scelus admissum sacrilegii luunt (5).

2. Astrologi peculiaribus poenis plectendi ex duabus pontificiis bullis, altera quidem Xysti V., qua in astrologos ecclesiasticis poenis animadvertendum deceruitur, etiamsi futuros eventus, quos ex sideribus, et planeta-

(1) Epist. CLXXX. *ad honorat.*—(2) Cap. fin. tit. *de sortileg.*
(3) Auctor constit. lib. VIII. cap. 32: conc. ancyr. can. XXIV. can. VII. caus. 26. q. V L. IV. C. theod. *de malef., et mathem.*
(4) Caus. 26. q. V., et in tit. *de sortilegis in lib. decretal.* — (5) Syn. toletan. IV. can. XXIX.

rum adspectibus venantur, non certo adfirmare dicant: altera vero Urbani VIII., quae astrologos, qui de statu Reipublicae christianae, vel Sedis Apostolicae, aut de vita R. Pontificis, aut consanguineorum eius iudicia ferunt, vel facta apud se habeant, praeter sententiam excommunicationis ipso facto incurrendae, tanquam reos laesae maiestatis, ultimo supplicio, publicatione bonorum, et si clerici fuerint, privatione beneficii, et officii puniri iubet.

XXIV. Iure quoque ecclesiastico neapolitano variae poenae in sortilegos, et magos sancitae sunt. 1. In constitutionibus Ioannis Ursini excommunicatio ipso facto incurrenda statuitur in veneficos, sortilegos, divinatores, tum et in eos, qui ad ipsos accedant, aut auxilium, consilium, et favorem praestant,, *const.* 4. Eidem poenae declarantur obnoxii omnes dantes, et recipientes chrisma, vel oleum sanctum ad divinationes, veneficia, aut sortilegia (1). Tum I. synodus provincialis neapolitana *cap. VII.* sortilegos, ipsorumque opera utentes eadem censura, aliisque a sacris canonibus statutis poenis, vel etiam arbitrio Episcopi statuendis puniri decrevit. II. quoque synodus provincialis neapolitana (2) excommunicationis sententiae ordinario reservatae ipso facto subiacere sanxit non modo sortilegos omnes, et magos cuiuscunque generis, iisdemque in suis divinationibus, ac maleficiis quibuscunque cooperantes, aut quovis modo consentientes, verum et eos, qui aliqua re sacra ad alium usum, quam fuerit ordinata, quomodolibet abutantur. Eadem quoque habet I. synodus provincialis mediolanensis (3), aliaeque synodi identidem in Italia celebratae.

De maledicto, sive blasphemia

XXV. Blasphemia, sive maledictum a βλασφημω *maledico*, scilicet qua Deo ore iniuria irrogatur, duplex potissimum distingui potest, scilicet ut alia sit *enunciativa, imprecativa* alia. Illa est, quum Deo negatur, quod ipsi convenit, uti esse omnipotentem, immensum, iustum etc, vel quum ei tribuitur, quod ab ipso alienum est, uti esse crudelem, insipientem non providum etc: vel demum quum creaturae, quod proprium Dei est, adscribatur. Huiusmodi blasphemiae, quum manifestum errorem arguant, haereticales adpellantur, et hoc nomine blasphemi haereticorum ritu habentur, licet revera haeretici non sint, si dictis suis non adsentiantur. Olim gentilibus nihil erat antiquius, quam christianos ad eiusmodi blasphemias ore promendas adigere (4). Ex eodem Eusebio (5) habemus, quod tyranno Polycarpum in Christum convicia profundere iubenti λοιδορεσου τον Χριςον *conviciare Christo*, haec ille digna se verba dederit: *sex, et octoginta continuos annos ei ministravi, nec ulla me unquam adfecit iniuria, et quomodo possum impie loqui adversus Regem meum, Auctoremque salutis meae?*

XXVI. Blasphemia imprecativa est, vel quum quis malum aliquod Deo imprecatur, uti *pereat Deus*, *lateat Deum* etc., vel quum aliquid, licet, verum, ira tamen exaestuans, vel conviciantis instar, quis de Deo proferat, quae *dehonestativa* blasphemia etiam dici consuevit, uti est illud apud

(1) Const. V.—(2) Tit. I. cap. IV.—(3) Part. I. const. X.
(4) Eusebius lib. VI. cap. 41: Plinius lib. X. epist. 97. —(5) Lib. IV. cap. XV.

Matthaeum (1): *vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud reaedificas*. Est quoque blasphemia in Deiparam Virginem, vel in Sanctos, quaeque et ipsa indirecte, ac mediate in Deum redundat, quo intuitu blasphemia dicitur.

XXVII. Utrumque blasphemiae sive enuntiativae, sive imprecativae genus atrocissimum apud veteres iudicatum esse delictum, tum ex pluribus patet, tum vel maxime ex Syncsio, qui quum Andronicum tyrannicum Ptolemaidis praesidem de aliis suis criminibus admonuisset, ubi tamen audivit ipsum dictitantem neminem unquam de manibus suis ereptum iri, si vel ipsum Christi pedem manibus corriperet, ipsum amplius non admonendum, sed de Ecclesia sollemni ritu eiiciendum duxit (2).

XXVIII. Poena Iure Canonico antiquo in blasphemos sancita erat depositio in clericum, et excommunicatio in laicum, quae tamen temporis progressu obsolevit, unde iure hodierno arbitraria est, scilicet a iudice, quae ipsi opportunior videatur, imponenda. I. synodus provincialis neapolitana in hunc modum decernit (3): *qui palam maledicta, convicia, aut obscoena verba in Deum, ac Dominum nostrum Iesum Christum, vel in eius beatissimam Genitricem, vel in aliquem Sanctorum plena veneno mortifero lingua protulerit, is si clericus fuerit, ad Ordinarii arbitrium fructuum ecclesiasticorum privatione, et beneficii depositione usque plectatur, iuxta constitutionem concilii lateranensis sub Leone X. Quod autem ad laicos attinet, sciant se non impune habituros, sed poenis a sacris canonibus, et apostolicis constitutionibus statutis mulctatum iri.* Iure quoque civili antiquitus poena in blasphemos constituta, erat ultimum supplicium (4). *Qui ipsum Deum blasphemant, digni sunt supplicia sustinere . . . permanentes in hisce illicitis, et impiis actibus post hanc admonitionem nostram comprehendere, et ultimis tradere suppliciis* etc. Idem quoque iuris praescribunt capitularia regum francorum (5). In veteri etiam Lege blasphemi lapidibus a multitudine obruebantur (6).

XXIX. Iure Neapolitano ex constitutione Friderici *de blasphemantibus*, et ex Pragmatica Ferdinandi *I. eodem tit.* blasphemantes Deum, B. M. V., vel Sanctos linguae abscissione, tertiae partis bonorum amissione, ac publici muneris privatione puniendi, qua poena sub Carolo II. austriaco etiam in blasphemantes s. Fidem D. N. I. Christi animadvertendum constitutum est. At sub Carolo VI. austriaco an. 1726. mitius cum blasphemis actum est, ut scilicet hi si nobiles, ad quatuor annos relegentur, si plebei, ad triremes per annos totidem damnentur.

De sacrilegio

XXX. Sacrilegium in eo a blasphemia differt, quod haec verbis, illud autem facto iniuriam Deo irrogat, unde passim definitur: *rei sacrae violatio*. Res sacra dicitur, quae cultui divino addicta est, unde ex s. Thoma (7) triplex exsurgit sacrilegii genus, nimirum *personale*, quum iniuria

(1) Cap. XXVII. 40.—(2) Synesius epist. LVIII.
(3) Cap. IX. *de blasphemia*.—(4) Nov. LXXVII. — (5) *Additione III. cap. 85.*
(6) Levit. XXIV. — (7) II. II. q. 99. art. 1.

personae sacrae, clerico, religioso, sanctimoniali inferatur: *locale*, quum loco sacro, Ecclesiae, vel coemeterio debitus honor denegetur, *reale* demum, scilicet quod perpetratur contra res sacras, sive cultui divino peculiariter dicatas, uti sunt Sacramenta, calices, imagines Sanctorum, reliquiae.

XXXI. Personale sacrilegium triplici potissimum ratione committitur. 1, ubi ecclesiasticam clericorum quis violans immunitatem, clericum ad laicum tribunal trahat: de qua clericorum praerogativa satis *lib. I. tit. VIII.*, 2, ubi quis violentas iu clericum, vel monachum manus adtulerit parvi habens clericorum privilegium (1). 3, demum, quum quis cum virginibus sacris, aliisve personis Deo dicatis se sociare non erubescat (2).

XXXII. Triplici quoque ratione locale admittitur sacrilegium. 1, per locorum sacrorum pollutionem. 2, per localis ecclesiasticae immunitatis violationem ac 3, per omnes, et quoscunque actus, quos ibi exercere legibus vetantur christiani: at de his *lib. II. tit. XIII.* Illud hic tantummodo non abs re observandum, sepulcrorum violationem antiquis tum ecclesiasticis, tum imperialibus sanctionibus, tanquam immanissimum delictum, audiisse (3), ubi inter ea delicta recensetur, quibus generalis in Paschatis sollemnitate reliquis indulta venia denegabatur (4). Epistolae canonicae Gregorii Nysseni (5), et concilii toletani *IV. can. XLV.* excommunicationis poena in laicos, depositionis in clericos sepulcrorum violatores sancitur.

XXXIII. Sacrilegium reale quod spectat, quemadmodum non uno intuitu res aliqua sacra dicitur, uti *lib. II. tit. I.* indicavimus, ita diversis quoque modis illud perpetratur. Graviora eiusmodi sacrilegia sunt, quum profanis usibus adplicentur Ecclesiae, altaria, vasa sacra, vestes altaris ministerio addictae, sacri codices etc. De his extat peculiare Tridentinum decretum *sess. III.*, quo interdicitur cuicui *convertere, et torquere sententias Sacrae Scripturae ad scurrilia, scilicet fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias, et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos.*

XXXIV. Poenae in sacrilegos partim legibus sunt sancitae, partim iudicis arbitrio sanciendae relinquuntur. Poena legibus constituta est excommunicatio ipso facto, ut aiunt, incurrenda quadruplici in casu: 1, in clerici, vel monachi percussione (6). 2, in violatione immunitatis ecclesiasticae: qua de re alibi satis. 3, quum quis Ecclesiam violenter confringere, eamque spoliare audeat (7). 4, demum, quum quis Ecclesiam incendat (8). Iure civili neapolitano sacrilegorum poenae iudicis arbitrio iufligendae relinquuntur; quum vero vel templa destruxerint, aut perruperint, vel inde vasa sacra abstulerint, vel virgines Deo sacratas rapuerint capitali poena plectendi sunt ex constitutione Rogerii (9).

De simonia.

XXXV. Simonia ita dicta a Simone Mago, qui potestatem impartiendi

(1) Can. XXIX. caus. 17. q. IV. — (2) Can. VIII. causs. 27. q. I.
(3) L. V. *de sepulcr. violat.*, et L. III. *de indulgentiis.* — (4) L. III. *C. theod. de indulgentiis.* — (5) Cap. VI. et VII. — (6) Indic. Can. XXIX.
(7) Cap. XXII. *de sent. excom.* — (8) Cap. XIX. ibid. — (9) Constit. Rogerii *tit. de Reg.*, et constit. Friderici *tit. de rapt., et viol. monial. illat.*

dona Spiritus s. pecunia emere tentavit (1), recte definiri posse videtur, scilicet, ut sit *pactio rei temporalis pro spirituali*. Haec sane pactio simoniae, quae ecclesiastici fori delictum est, θεῖαν *essentiam* constituit. Simonia enim, quae vulgo mentalis vocitatur, ab Ecclesia, quae non indicat de internis, Deo punienda relinquitur (2). Simonia igitur vel *conventionalis* est, scilicet quum nonnisi pactio inita sit, at vel nulla, vel ex una tantum parte rei traditio accesserit, vel *realis*, scilicet quum utrinque per rei temporalis traditionem completa sit. Accedit et altera simoniae species, nimirum *confidentialis*, ita dicta, quod, alterius fidei maxime innitatur, eaque multiplici ratione admittitur, ac praecipue quum quis beneficium aliquod recipiat, aut retineat, ut illud postea alteri resignet, vel ut illius fructus, pensionemve in eo impositam privatim sine auctoritate apostolica alteri exsolvat, tum vicissim quum quis beneficium aliquod conferat cum pactione, sive onere illud postea alteri resignandi, aut eius fructus, vel ex fructibus pensionem alteri designatae personae in fraudem iuris conferendi (3).

XXXVI. Praeterea simonia alia est iuris divini, sive naturalis, alia vero iuris humani, sive ecclesiastici. Prior est pactio, sive commutatio rei temporalis pro re iure divino, naturalique spirituali. Posterior vero est, quae committitur circa res iure duntaxat positivo, sive ecclesiastico in spiritualium censum relatas ob rationes publico Ecclesiae bono congruentes. Porro priorem vere, proprieque simoniam dixeris, posteriorem vero potius *quasi simoniam*, hoc est simoniae specie quadam proximam, et ob id, ratione iuris ecclesiastici suadente, ceu simoniam prohibitam. Quamvis in hac re diligentia quanta maxima adhibenda sit, adcurateque inter simoniam iuris ecclesiastici, et simoniam iuris divini, naturalisque distinguendum, utpote prior tantummodo, haud vero posterior consuetudino, lege, dispensatione mutationi sit obnoxia.

XXXVII. Res temporalis, sive pretium simoniacum *muneris* nomine indigitari, ac trifariam partiri iamdiu consuevit, nimirum ut sit munus *a manu*, *a lingua*, *ab obsequio*. *Munus a manu* est pecunia, et quidquid nomine pecuniae venit, sive tradita, sive promissa: *munus a lingua* est favor, laus, adsentatio etc. demum *munus ab obsequio* est subiectio oblata, quae multimode praestari potest illi, a quo res spiritualis speratur, uti eidem inservire, ipsum comitari, docere etc. Licet munus quid gratuitum, ac liberale efferat, hic tamen locum pretii debiti tenet.

XXXVIII. Nomine rei spiritualis, pro qua rem temporalem quis paciscitur, significatur quidquid a Deo auctore supernaturali proficiscitur, vel ad Deum, tanquam aeternae salutis auctorem, dirigitur. Hoc vero, uti ad rem s. Thomas (4), triplex est. Aliud enim est spirituale in se, uti gratia, virtutes infusae, iurisdictio etc. Aliud est spirituale efficiens, nimirum illud, quod licet in se sit quid corporeum, efficit tamen supernaturale, sive spirituale, uti sunt omnia Sacramenta. Tertium denique spirituale illud est,

(1) Actor. cap. VIII. — (2) Cap. XXXIII. et XXXIV. *de simonia*.
(3) Videsis *bullas Pii III.*, *et Pii V*, quarum altera incipit *R. Pontificem*, altera vero *intolerabilis*.
(4) II. II. q. 100. art. 2., et 3.

quod a caussa spirituali efficitur, uti dispensationes in votis, absolutio a censuris etc.

XXXIX. Simoniaca quoque ea pactio censetur, qua rem temporalem quis paciscitur cum re, licet non prorsus spirituali, at vero spirituali adnexa. Multipliciter vero quid spirituali adnectitur, et quidem vel antecedenter, cuiusmodi est iuspatronatus, quod nominationem, sive praesentationem ad beneficia anteit; vel concomitanter, uti est labor corporis spirituale ministerium necessario concomitans, vel consequenter, uti beneficia ecclesiastica, quae nonnisi iam ordinibus initiatis conferri possunt, vel demum ac praecipue quum ad spirituale refertur, uti sunt altaria, vasa sacra, sacrae vestes, aliaque huiuscemodi, quae ex sacro usu, cui destinantur, veluti spiritualem induunt formam.

XL. Nomine pactionis, unde simoniae crimen exsurgit, omnis contractus onerosus intelligendus est, sive non gratuitus, quo res spiritualis aliquo pretio temporali emitur, aut venditur, locatur, permutatur, transigitur. Et sane vocabulum pactio omne prorsus contractuum genus sua notione complectitur.

XLI. Simoniam, tanquam delictum haeresi proximum, detestabile quam quod maxime ab antiquis Patribus habitum fuisse meno vel subdubitaverit. Quod sane tum de simonia in Sacramentorum administratione, ac praecipue in ordinatione, tum et de simonia in reliquis quibuscunque ecclesiasticis muniis, ac dignitatibus distribuendis, quibus postea beneficia successere, ex aequo intelligas. Et sane ex canonibus sic dictis apostolicis *can. XXVIII.* in hanc rem sic habet: *si quis Episcopus, presbyter, aut diaconus pecuniae interventu hanc dignitatem nactus fuerit, deponitor tam ipse, quam qui eum ordinavit, et omnino a communione abscinditor, ut Simon magus a Petro:* et concilium chalcedonense can. V: *si quis Episcopus propter pecunias ordinationem fecerit, et non venalem gratiam in venditionem deduxerit, et propter pecunias ordinaverit Episcopum, vel presbyterum, vel diaconum, vel aliquem eorum, qui in clerum adnumerantur: vel propter pecunias promoverit aeconomum, vel defensorem, vel paramonarium, vel omnino aliquem ex canone, turpis quaestus gratia: qui hoc tentasse convictus fuerit, de proprio gradu in periculum veniat, et qui est ordinatus, ex ordinatione, vel promotione, quae instar mercatorum venundatur, nihil iuvetur; sed sit a dignitate, vel curatione alienus; quam pecuniis adeptus est.*

XLII. Igitur poena antiquo canonico iure in simoniacos statuta erat depositio in clericos, et excommunicatio in laicos. Id cum ex adlatis supra canonibus elucescit, tum praecipue ex sic dicto apostolico, ubi advertas bis in idipsum hac in re vindictam exerceri, dum clericum simoniacum simul et depositione, et excommunicatione mulctandum constituit, tum quoque ex innumeris conciliorum aeque orientalium, ac occidentalium canonibus, quibus severissimae in eiusmodi fideles sive clericos, sive laicos poenae decernuntur: etiamsi pactionis simoniacae interventores tantummodo sint, sive mediatores (1).

XLIII. Poenae igitur Iure Canonico novo in simoniacos constitutae sunt.

(1) Videsis Thomass. p. III. lib. I. cap. 49., et seq.

1, excommunicatio latae sententiae, ac R. Pontifici reservata, quam incurrunt 1, in ordinatione tam ordinantes, quam ordinati (1), quod plerique aeque theologi, ac canonistae ad primam etiam clericalem tonsuram extendunt (2) 2, in ingressu, et professione religiosa omnes singulares personae dantes, et accipientes (3) 3, in beneficiis, et officiis spiritualibus omnes simoniace eligentes, praesentantes, vel instituentes, tum qui sic eligi, praesentari, institui patiuntur, ac etiam omnes mediatores, et procuratores simoniacae pactionis; quod postremum in ordinatione quoque locum habet (4).

2. Poena est suspensio ab ordine, in quam in ordinatione incidunt simoniace ordinati (5). Ordinantes vero tantummodo per triennium ab quorumcunque ordinum collatione suspensi sunt (6), at ex bulla Xysti V. *sanctum* suspenduntur perpetuo ab quoruncunque ordinum, etiam primae tonsurae, collatione, et ab exercitio omnium munerum pontificalium, atque etiam ab ingressu Ecclesiae sunt interdicti. Eandem poenam in ingressu religionis incurrit conventus monachorum aliquem simoniace recipiens, suspensionem scilicet ab omnibus actis capitularibus, quae ecclesiasticam requirant iurisdictionem.

3. Poena est infamia, qua quisquis peraeque simoniacus adficitur: Innocentius II. in concilio lateranensi II: *et emptor, atque venditor, et interventor notae infamiae percellantur.*

4. Poena in beneficiis ecclesiasticis in eo est, quod omnis simoniaca electio, praeseutatio, resignatio, vel collatio irrita est, nullumque ius tribuit: unde beneficium sic adquisitum redhibendum est cum omnibus fructibus inde perceptis, et quidem ante iudicis sententiam (7). Atque adeo sic electus, vel provisus redditur inhabilis non modo ad idem beneficium recipiendum (8), sed etiam ad quodcunque aliud consequendum ex bulla Xysti V.

XLIV. Postremo in simonia coufidentiali praeter hactenus explicatas nonnullae aliae constitutae sunt poenae, et quidem ex bullis Pii IV., et Pii V. Hae sunt 1. privatio beneficiorum, quae legitime quis ante admissam simoniam confidentialem consecutus sit. Porro hanc privationem iudicis sententia decernendam esse consentiunt fere Doctores. 2, beneficiorum per confidentiam receptorum collatio R. Pontifici reservatur. 3, Episcopi, aliive superiores illam admittentes interdicuntur ab Ecclesia. 4, demum ad eiusmodi poenas promerendas satis est, ut contractus simoniacus ex una tantum parte sit completus.

XLV. Simoniaci tenentur restituere fructus, quos ex sic adquisitis beneficiis perceperunt, et quidem Ecclesiae laesae, vel pauperibus. At de hoc capite opportunius theologi morales.

De usura

XLVI. Usurae vocabulum, quo latini cuiuscunque rei usum significant,

(1) Extrav. *quum detestabile.* — (2) Cap. II. de *aetate, et qualit. praefic.*
(3) Extravag. *sane de simonia.*—(4) Extravag *quum detestabile.*—(5) *Indicat.* cap. II.—(6) Cap. XLV. *de simonia.*
(7) Indic. extrav. *quum detestabile.*— (8) Cap. XXVII. *de simonia*, et cap. pen. de elect.

ad denotandum lucrum, quod in mutuo supra sortem exigitur, coarctatum est. Usura igitur sic proprie dicta definiri potest: *lucrum quod ex mero mutuo capitur*, quum scilicet post statutum tempus plus exigitur, quam mutuo datum est. Plura antiquitus distinguebantur usurarum genera, uti *centesimae, semisses, trientes* etc. at de his fusius in nostris *antiquitatibus christianis*, ubi etiam de gravissimis antiquis canonibus in usurarios constitutis poenis, quum longius per haec vagari nostri instituti ratio non sinat. Illud hic paucis duntaxat observandum, usurarios poena eiectionis de Ecclesia nunquam non fuisse mulctatos, cui addesis 1, privationem ecclesiasticae sepulturae. 2, usurariorum oblationes ab Ecclesia reiectas, constituta poena suspensionis ab officio, et restitutionis acceptorum in ecclesiasticos eiusmodi oblationes recipientes (1). 3, usurariis hospitia praebenda non esse, nec aedes locandae (2). 4, non modo ipsos, verum et eorundem haeredes ad usuras restituendas obstringi, cui poenae etiam usurarii mentales sunt obnoxii, quum ex naturali iure obligatio restituendi res alienas exoriatur (3). Porro non est cur in hoc capite explicando diutius immoremur, quum plenior eius tractatio reservatum sit theologis moralibus peculium.

ADDITAMENTA

DE REATIBUS IN SACROSANCTAE RELIGIONIS OBSEQUIUM PERPETRATIS EORUMQUE POENIS IURE CIVILI NOVISSIMO SANCITIS.

I. Quum catholica Religio sit fidelissimi utriusque Siciliae Regni sola Religio, quae profecto divina miseratione ab Apostolorum Principe ad nostram usque aetatem libero efflorescit imperio cum omnibus iuribus, ac praerogativis, quae tum ex divina ordinatione, tum ex canonicis sanctionibus ipsi competunt, hinc Ferdinandus I. Rex noster pientissimus, Maiorum suorum vestigia premens, latis legibus in quaevis delicta, quae contra eiusdem sacrosanctae Religionis obsequium patrantur, animadvertendum sanxit. Quamobrem e re nostra duximus huiusce speciei crimina recensere, atque praecipuas poenas Cod. noviss. statutas pro instituti modulo indicare.

II. Et sane iisdem legibus cautum (4) quod qui templum Deo sacrum in sanctissimae Religionis nostrae catholicae apostolicae romanae contemptum, et contumeliam impie destruat, vel incendat capite plectatur cum primo gradu publici exempli (5).

(1) Cap. III., et VII. *de usuris*.—(2) Cap. I. *de usuris* in VI.—(3) Cap. XVI. ibid.
(4) Leg. crim. cod. novis. lib. II. tit. I. art. 92.— (5) Illud heic animadvertendum, primum publici exempli gradum esse reum loco patrati facinoris, aut propinquiori extremum supplicium subire. *Cod. noviss. leg. crim. lib. I. tit. I. art. 6.*

III. Tum laqueo suspendi, necnon in quartum publici exempli gradum incurrere sancitum (1), qui delictum sane atrocissimum committat, sanctissimum nempe Iesu Christi Corpus accidentium velamine absconditum impie disperdat, vel destruat (2).

IV. Adhacc quicumque, dum in Ecclesia sacra peraguntur mysteria, vim faciat, ut dolo malo ecclesiasticas functiones perturbet, easque profanari audeat, is in vincula a primo ad secundum usque gradum coniieiatur decretum (3). Quod si huiusce criminis auctor, vulnus quoque criminali poena expiandum Dei Ministro iufligat, is profecto maiori poena, ad maximum temporis spatium duratura, coereendus (4).

V. Praeterea maleferiati homines, qui in templo Dei, vel in eiusdem vestibulo sanctas imagines, vel vasa sacra percutiant, infringant, aut destruant, vinculorum poena a secundo, ad tertium gradum sunt mulctandi (5).

VI. Item quisquis lucri faciendi caussa vasa sacra, vel suppellectiles divino cultui destinatas fraudulenter contrectet, in vinculorum poensm ad secundum usque gradum, minimo tamen temporis intervallo excepto, incurrit (6). Si vero istud sacrilegum furtum sit qualificatum, tunc tertio vinculorum gradu, ac etiam maioribus, secundum circumstantias, poenis expiandum (7). Quin immo regio diplomate id. maii an. 1821. expresse statutum ergastuli poenae esse obnoxium, qui lucri faciendi caussa sacram pixidem, vel ostensorium, in quibus sacratissimum Christi Corpus reconditur, mystica accidentia secum deferens, aut disperdens contrectet.

VII. Iam vero omnes, qui sine dolo malo docendo, praedicando, aut quovis modo publicam concionem habendo aliquid evomant in catholicam Religionem publica reprehensione, necnon proprii muneris per anni vel biennii spatium interdictione plectuntur. Si vero huiusce furfuris homines divinae Religionis dogmata suis deliriis petere audeant, perpetui exilii poena scelus admissum luunt (8).

VIII. His addesis: blasphemantes in Deum, vel Sanctos in Ecclesiis, aliisque locis, dum sacra celebrantur, carceris poenae ad tertium gradum sunt obnoxii (9). Si tamen ista blasphemia publice proferatur, sed desint circumstantiae, quas superius diximus, huiusce criminis reum in primum eiusdem poenae gradum incurrere provisum (10).

(1) Ibidem. art. 93.

(2) *Cod. noviss. L. crim. indic. art. 6.* constitutum quartum publici exempli gradum esse ut reus nudis pedibus, atra veste indutus, vultu nigro velo obducto, ac tabula parvis rotis imposita evectus, ferens etiam sacrilego pectori adfixam epigraphen *homo impius* ad extremum supplicium trahatur. — (3) *Ibidem art. 94.* Insuper *Cod. noviss. L. crim. lib. I. tit. I. art. 9.* statutum vinculorum poenam esse quadruplicis gradus. Et sane primus gradus a VII. ad XII. annum extendi sancitur: secundus a XIII. ad XVIII: tertius a XIX. ad XXIV: quartus denique a XXV. ad XXX. — (4) Ibidem. art. 95. — (5) Ibidem art. 96. — (6) Ibidem art. 97. — (7) Ibidem art. 98.

(8) Ibidem art. 100. — (9) Ibidem art. 101. Illud etiam hic observandum, triplicem esse gradum poenae, in quam incurrunt delinquentes carceri mancipandi. Revera indic. *lib. I. tit. I. LL. poen. art. 26.* provisum quod primus gradus ab uno ad VI. menses decurrit: secundus a VI. mens. ad biennium: tertius denique a biennio ad quinquennium. — (10) Ibidem. art. 102.

IX. Illud quoque observatu dignum quod indicato Regio Diplomate sub die VII. mai an. 1821. sancitur quamlibet inhonestam actionem, quae liberum cultus divini exercitium in Ecclesiis, aliisque publicis locis perturbet, aut impediat, vinculorum poena a primo ad secundum usque gradum pendendam.

X. Denique quilibet reatus in Ecclesiae Ministros sacra peragentes si illos excipias, quos superius recensuimus, poena maioris gradus, quam ordinaria puniendi (1). Item quilibet reatus supra non designati, si in Ecclesia, dum sacrum ministerium exercetur, perpetrantur, minimo temporis intervallo iisdem delictis praescripto, nunquam punientur (2).

TITULUS XVII.

DE POENIS ECCLESIASTICIS

I. Disciplina veteris Ecclesiae in puniendis graviorum criminum reis in eo potissimum erat, ut a societate, et communione Ecclesiae abiicerentur, nec ipsis liceret in posterum cum ceteris fidelibus publicae Ecclesiae liturgiae adesse, atque adeo aliquando prohibebantur etiam lectioni Scripturarum, aut Episcopi sermoni interesse, quod alioquin ipsis gentilibus, ac haereticis permissum erat. Hanc disciplinam Christus ipse, Apostolique Ecclesiam edocuerunt (3): *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus* (4), et Apostolus ipse: *si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus....cum eiusmodi nec cibum sumere*. Iudas quoque idipsum diserte confirmat (5).

II. Haec potestas, qua Christus Dominus suam Ecclesiam munitam voluit, spiritualis fuisse videtur, nimirum spiritualibus poenis in facinorosos homines animadvertendi. Verum modicam quandam, ac salutarem corporis castigationem ipsummet Christum Dominum insinuasse Evangelium non obscure prodit, dum describitur facto de funiculis flagello sua ipsius manu omnes ementes, et vendentes e templo eiecisse (6).

III. Et sane iam inde a primis saeculis certis poenis usa est Ecclesia, quae licet eo intuitu, quo peccatorum resipiscentiam, et conversionem spectabant, spiritales dici possent, revera tamen corporales erant, vel potius, aliquid corporale admixtum habebant. Eiusmodi erant antiquitus ieiunia, eleemosynae, detrusio in monasterium, aliaque huiusmodi. At potissimum notanda videtur poena fustigationis, sive flagellationis, qua dominorum, magistrorum, ac potius parentum instar Episcopi suos clericos, abbates suos monachos, quos delinquentes invenissent, coercebant. Meminit huiusce poenae s. Augustinus (7): *confessionem virgarum verberibus eruisti: qui modus coercitionis, et a magistris artium liberalium, et ab ipsis parentibus, et saepe etiam in iudiciis solet ab Episcopis adhiberi*.

IV. Profecto constat poenarum, quibus hodie ecclesiastica tribunalia utuntur, non levia vel ipsis prioribus saeculis vestigia praecessisse. Ac 1.

(1) Ibidem art. 103.—(2) Ibidem. art. 104.—(3) Matth. XXIII. 17.—(4) Apost. epist. I. ad Cor. V. 11: epist. ad Galat. I. 8.—(5) Epist. canon. v. 19.
(6) Matth. XXI. 12: et Ioan. II. 15. — (7) Epist. *ad Marcellum Comit.*

eleemosynarum largitionem quod spectat, certe nihil antiquis Patribus adeo familiare fuit, quam eam poenitentibus iniungere. Unde s. Ambrosius (1): *peccatis tuis venundatus es? redime te pecunia tua. vilis pecunia, sed pretiosa est misericordia.* Huic eleemosynarum largitioni successisse videtur poena pecuniaria, cuius frequens iniicitur mentio in decretalibus, praesertim Alexandri III., et Innocentii III. Qua de re iure decretalium iudices ecclesiastici non vetantur poenas pecuniarias imponere. Porro uti confessariis in tribunali poenitentiae summopere cavendum est, *ne exigant a poenitentibus pecuniam, aliudve temporale lucrum, sive ob poenitentiam pro peccatis perferendam, sive quod res sit restitutioni obligata.... nec omnino quidquam quovis quaesito colore*: I synodus provincialis neapolitana cap. XVI; ita quoque Episcopus, ac iudices ecclesiastici in poenis pecuniariis imponendis, omnem avaritiae, turpisque lucri suspicionem a se avertant oportet, ne salubre remedium ad quaestum pecuniae convertere videantur (2). Quam suspicionem profecto non vitabunt, nbi nimis facile, ac crebro eiusmodi poenas infligant. Certe ubi crimen spiritualem poenam requirit, poena pecuniaria abstinendum est (3). Merito igitur concilium tridentinum decernit (4), ut Episcopi possint quidem etiam in caussis civilibus *per multas pecuniarias procedere*, at statim subnectit: *quae locis piis ibi existentibus, eo ipso, quod exacte fuerint, adsignentur.*

V. Haud raro quoque in antiquis canonibus mentio occurrit detrusionis in monasterium poenitentibus; ac praesertim clericis, nonnunquam impositae, ut ubi hominum oculis subducti facilius, et salutares poenitentiae exercitationes subire, et peccatorum occasiones vitare possent. Synodus agathense *can. VII.* sic decernit: *si Episcopus, presbyter, aut diaconus capitale crimen commiserit, ab officii honore depositus in monasterium detrudatur, et ibi quamdiu vixerit, laicam tantummodo communianem accipiat.* Eiusdem poenae meminit haud semel s. Gregorius P. in suis epistolis, ac etiam posterioribus saeculis Alexander III., et Innocentius III. in suis decretalibus (5). Quum vero quibusdam facinorosis custodiendis clericis monasterium locus satis tutus non videretur, hinc *ibidem* Innocentius III. Praelatis permisit, ut huiusmodi clericos, *postquam fuerint de crimine cananice condemnati, sub arcta custodia detineant.* Atque hinc paullatim poena carceris in Curiis ecclesiasticis recepta est.

VI. In usu etiam antiquitus videtur fuisse poena exilii, sive recessus a propria patria: quae sane verae relegationis species non erat, sed potius salutaris medicina, nimirum ut poenitens procul a patria tum populo offensioni non esset, tum vel maxime ab peccandi occasionibus remotus facilius in poenitentia perduraret. S. Gregorius de Hilario quodam Ioannis diaconi criminatore debita poena mulctando sic praecipit (6): *iubemus eundem prius subdiaconatus (quo indignus fungitur) privari officio, et verberibus publice castigatum in exilium deportari.* Profecto hic s. Gregorium

(1) Serm. *de Elia.*
(2) Cap. XIII. *de offic. ordinar:* et cap. III. *de poenis.*—(3) Glossa ad indic. cap. III.
(4) Sess. XXIII. de ref. cap. I: et sess. XXV. de ref. cap. III.
(5) Cap. VI. §. fin. *de homicid:* et cap. XXXV. *de sent. excomm.*—(6) Lib. IX. epist. LXVI.

vel de exilio sic improprie dicto loqui, vel de veri nominis relegatione intelligendum quidem, at quae, post depositionis sententiam legitime ab Episcopo perlatam, a Potestate saeculari infligatur, observant eruditi operum s. Gregorii commentatores. Profecto exilii sic proprie dicti poenam infligere, nonnisi regiae Potestati convenire, satis innuere videtur Clemens III. (1): *quum Ecclesia non habeat, ultra quid faciat. . . . per saecularem comprimendus est potestatem, ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima poena inferatur.* Idem quoque indicari videtur his verbis (2): *quod si aliquis ista omnia contempserit, et Episcopus minime emendare potuerit, Regis iudicio ad requisitionem Ecclesiae exilio damnetur.*

VII. Fustigatio, sive flagellatio, quam antiquitus in episcopalibus iudiciis etiam adhibitam fuisse modo vidimus, iure quoque decretalium probata videtur (3), ubi tamen Alexander III. monet eiusmodi poenam *ea moderatione adhibendam, quod flagella in vindictam sanguinis transire non videantur.* Et sane nonnisi quandam veluti paternam correptionem in ea veteres agnoscebant. Unde canones sic dicti apostolici *can. XXVI.* decernunt: *Episcopum, aut presbyterum, aut diaconum, qui vel fideles delinquentes, vel infideles iniuriam inferentes percutit, et terrorem ipsis per huiusmodi vult incutere, deponi praecipimus.* Eadem habent s. Gregorius (4), et concilium bracarense *can. VI.*

VIII. Verum eiusmodi fustigationis poena in desuetudinem abiisse videtur, sed quum Ecclesia abhorreat a sanguine, si ita grave fuerit clerici alicuius crimen, quod mortem, vel mutilationem membrorum debeat sustinere, transmittenda huiusmodi poena est in potestatem regiam, uti in modo *indic. cap. IV.* praescribit Alexander III.

IX. Antequam hinc ulterius progrediamur, de hactenus explicatis ecclesiasticis poenis paucis hic adnotare iuvat, nimirum antiquitus in Ecclesia, nonnisi tanquam salutaria medicamina ad peccatorum correptionem fuisse adhibita, et ut clerici delinquentes ad bonam frugem redirent, praesertim ubi et delinquentis indoles, et criminis conditio, aliaeque περιστασεις *circumstantiae* id postularent: scilicet quum satius videretur, ac salubrius poenis pecuniariis, aliisve mitibus corporis adflictivis castigationibus delectis malis mederi, quam censuris, aliisve poenis spiritualibus: ab quibus infligendis aliquando veteres Episcopi abstinebant, ne ipsae sua frequentia contemptui exponerentur. At secutis temporibus, nova iudiciaria methodo a foro laicali in ecclesiasticum invecta, eaedem illae poenae ad publicam quoque criminum vindictam imponi coeperunt.

X. Igitur iure etiam decretalium, si gravissimum fuerit clerici alicuius delictum poena sanguinis, aut capitali supplicio mulctandum, brachio saeculari tradendus est, quod non modo Alexander III. in nuper indicata decretali praescribit, verum et Clemens III. (5).

XI. Iam vero in veteri etiam Ecclesia catholicos Episcopos ad facinorosos quosdam, ac censuras ecclesiasticas contemnentes clericos comprimendos brachium saeculare, sive magistratus saecularis auxilium advocare con-

(1) In cap. X. *de iudiciis.*

(2) In cap. II. *de cler. excom. ministr.*—(3) Cap. IV. *de raptoribus.*—(4) Lib. II. epist. LII.—(5) In cap. X. *de iudiciis.*

suevisse, res est tum exemplis, tum etiam sancitis canonibus testatissima. Sic Paulus samosatensis, quum ex concilii antiocheni sententia de episcopatu depositus, inde eiici non posset, negotium ad Aurelianum imperatorem delatum est, qui, licet ethnicus, rectissimam tamen dedit sententiam, nimirum, ut is samosatensis agnoscatur Episcopus, ad quem italici christianae Religionis Antistites, et R. Episcopus scriberent. *Hoc modo*, inquit Eusebius, *Paulus cum summo dedecore per saecularem potestatem ab Ecclesia exturbatus est* (1). Tum deinceps Arius, Nestorius, aliique haeretici imperiali edicto, id Episcopis petentibus, in exilium missi sunt; et quidem ne fidelibus nocerent.

XII. Plures etiam in eandem rem canones sanciti sunt: Concilium Antiochenum *can. V. decernit, ut clericus legitime a suo Episcopo depositus, si perseverat perturbare, et Ecclesiam evertere, is per Externam potentiam, ut seditiosus, castigetur.* Idem prorsus praescribunt alia Concilia (2). Africanae synodi decreto certi quidam Episcopi Imperatores Arcadium, et Honorium adire iubentur, eorundem auxilium adversus Donatistarum furorem, ac violentias imploraturi: quod *non insolitum, neque a sacris Scripturis alienum* adserunt (3).

XIII. Antiquitus depositionis tantummodo poena in clericum brachio saeculari tradendum ab Episcopo erat proferenda: at postea ad aliorum terrorem ritus quidam, ac caeremoniae adiunctae, unde inductum discrimen inter depositionem verbalem, et realem.

De depositione

XIV. Depositio verbalis sic proprie dicta *depositio* ea est, per quam canonica sententia clerico omnes publicae Ecclesiasticae functiones perpetuo interdicuntur, quas ordinis praerogativa exercere posset; tum et omni Ecclesiastica iurisdictione, beneficiis, honoribus prorsus exuitur, ac laicorum censui adcensetur.

XV. Haec eadem depositio, si ritus quidam, ac caeremoniae, quibus clericus depositus publice ornatu clericali exspoliatur, comitentur, proprio vocabulo *degradatio* dicitur, cuius origo recte adscribi posse videtur concilio toletano IV., ubi *can. XVII.* sic decernitur: *Episcopus, presbyter, aut diaconus, si a gradu suo iniuste deiectus, in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu Episcoporum. Si Episcopus est, orarium, baculum, et annulum si presbyter, orarium, et planetam; si Diaconus, orarium, et albam,* etc.

XVI. Antiquitus vocabula depositionis, et degradationis videntur promiscua notione fuisse usurpata; ac ritus, qui postea alicubi adhiberi coeperunt fortasse poenae *κατ' essentiam* non spectabant. At iure Decretalium haud parum discriminis inter utramque interiectum est. Clericus enim

(1) Lib. VII. cap. XXX.
(2) Conc. chartag. III. can. XXXVIII. Cod. africanus can. XXXVIII. LIII., et LXVII.—(3) Cod. afric. can. XCIII.

ἁπλῶς simpliciter depositus privilegia canonis, et fori non amittit, quibus tamen omnino privatur clericus degradatus (1).

XVII. Caeremonia, qua degradatio peragitur, descripta habetur in Pontificali R. Nimirum clericus degradandus omnibus ordinis sui ornamentis indutus, ac manu Missale, si Episcopus, vel presbyter, aut breviarium, si diaconus, vel subdiaconus, tenens ad Episcopum adducitur, qui singula ornamenta ipsi sigillatim eripit, incipiens ab eo, quod in ordinatione postremum est, et desinens in eo, quod est primum: tum iubet, caput omne abradi ad delendam coronam clericalem, ne ullum supersit clericatus vestigium: inter haec ad publicum incutiendum terrorem verba ab Episcopo pronunciantur eis contraria, quae in ordinatione adhibentur (2), ubi quoque Bonifacius VIII. scribit eiusmodi degradationem inductam fuisse *ad exemplum exauctorizationis eius, qui militiae deservit armatae, cui militaria detrahuntur insignia, sicque a militia remotus castris eiicitur, privatus consortio, et privilegio militari* (3).

XVIII Sollemnis haec degredatio peragitur quum reus iudici saeculari tradendus est, qui semper adesse solet, ut degradatum privilegiis clericalibus iam exutum in suum recipiat forum. Quia vero Ecclesia abhorret a sanguine, hinc Episcopus statim pro eo intercedit, seu deprecatur, ut citra sanguinis poenam Iudex sententiam dicat (4). Non vetatur quidem iudex capitali sententia illum damnare, at si poenam remittere malit, hominem claustro ad agendam poenitentiam trahere debet, *ibidem*.

XIX. Antiquitus quoque ubi clericus quis brachio saeculari tradendus esset, prius ab Episcopo erat deponendus, quod non canones modo, verum et imperiales leges praescribebant. Et sane Iustinianus imperator (5) de clerico, quem praeses provinciae poena iudicaverit dignum, sic decernit: *prius hunc spoliari a Deo amabili Episcopo sacerdotali dignitate, et ita sub legum fieri manu.*

XX. Tot iure decretalium nunc ad degradationem requiruntur Episcopi, quot olim ad depositionem requisiti: nimirum XII. ad deponendum Episcopum, sex ad deponendum presbyterum: si vero diaconus deponendus esset, sat habebantur tres Episcopi, clericos inferiores solus proprius Episcopus degradat (6).

XXI. Quum vero hic Episcoporum numerus nonnunquam difficile haberi posset, praesertim in iis regionibus, ubi non adeo frequentes sunt episcopatus; hinc in synodo trideutina (7) statutum est, ut Episcopus ad presbyteri, alteriusve clerici degradationem loco Episcoporum totidem abbates usum mitrae, et baculi habentes advocare possit, aliasve personas in ecclesiastica dignitate constitutas, quae aetate graves, ac iuris scientia commendabiles existant.

XXII. Quod hic synodus tridentina iuris scientiam requirat, antiqui Ecclesiastici iuris umbra quaedam est. Antiquitus enim Episcopi non tantum

(1) Glossa in *cap. II. de poenis in VI.*—(2) Cap. II. *de poenis*. in VI.
(3) Nov. LXXXIII. in praef. cap. II. L. II; §. 2. D. *de his, qui notantur infamia.*—(4) Cap. XXVII. *de verb. signif.* — (5) Indic. nov. LXXXIII. — (6) Conc. chartag. II. can. X. relat. a Gratiano in can. IV. caus. 15. q. VII. indic. cap. II. *de poenis*. in VI.—(7) Sess. XIII. de ref. cap. IV.

ad solemnitatem, meramque exequendam caeremoniam advocabantur, sed etiam, ac precipue ad caussae discussionem (1): *si quis Episcopus (quod non optamus) in reatum aliquem incurrerit, et fuerit nimia necessitas non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, a XII. Episcopis audiatur, et presbyter a VI. Episcopis cum proprio suo Episcopo audiatur, et diaconus a tribus.*

TITULUS XVIII.

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS GENERATIM (*).

I. Quaesitus Innocentius III. quid sibi velit censura ecclesiastica, quae in rescriptis apostolicis adponi solet, respondet, *quod per eam, non solum interdicti, sed suspensionis, et excommunicationis sententia valeat intelligi* (2). Profecto videtur hic Innocentius III. omne censurarum genus ad

(1) Can. X. conc. chartag. II. — (2) Cap. XX. *de verb. signif.*

(*) Quum Apostoli, eorumque Successores a Christo Domino nostro ligandi, atque solvendi potestatem acceperint, hinc ad bonum Ecclesiae regimen ius ferendi censuras, quibus maleferiati homines coerceantur, eorumque plectatur contumacia, ipsis Pastoribus inhaerere exploratissima in Iure res est. *Iurisdictio* enim (habetur in cap. *pastoralis* extra *de officio delegati*) *nullius videretur esse momenti, si coercitionem aliquam non haberet.* Et Iure Civili cautum· *cui iurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus iurisdictio expleri non potuit* (*L.* 2. *D. tit. de iurisd. omn. iudic.*).

Sunt vero ecclesiasticae censurae poenae medicinales, quas Ecclesia infligit non solum, ut peccatores puniat, sed ut eos ad poenitentiam adducat, qui profecto illarum finis est.

Profecto hanc potestatem exercuit Apostolus cum incestuosum Corinthium excommunicavit (I. ad Corinth: v.). *Et non magis luctum habuistis,* inquit, *ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu iam iudicavi, ut praesens, eum, qui sic operatus est in nomine Domini nostri Iesu-Christi, congregatis vobis, et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu tradere huiusmodi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi.* Et paulo infra: *si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum eiusmodi nec cibum sumere.* Tum II. ad thessalonicenses III. *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam hunc notate et ne commisceamini cum illo, ut confundatur.* His accedit Ecclesiae Patrum testimonium, quorum brevitatis ergo unum, aut alterum heic subiiciendum duximus. Insignis est *Tertulliani locus in apologetico* cap. XXXIX, ubi sacros christianorum adscribit. *Ibidem etiam, inquit, exhortationes, castigationes, et censura divina. Nam et iudicatur magno cum pondere ut apud certos de Dei conspectu; summumque futuri iudicii praeiudicium est, si quis ita deliquerit, ut a comunicatione orationis et conventus, et omnis sancti commercii relegetur*, cui proprio, aptisque verbis illud respondet Hieronymi (epist. I. ad *Heliodorum*): *in veteri quidem Lege quicumque sacerdotibus non abtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur a populo, aut gladio cervice subiecta, contemptum expiabat cruore. Nunc vero impediens spirituali mucrone truncatur, aut eiectus de Ecclesia rabido daemonum ore discerpitur.* Tum Augustinus (libro *de Fide et operibus*, cap. II.) malos in Ecclesia non ita tollerari, docet, ut disciplinae severitas, sive diligentia solvatur omnino, atque omittatur. *Neque enim qu a illam primi populi permixtionem Moyses Dei famulus patientissime perferebat, ideo non in multos, etiam gladio vindicavit. Et Phinees, sacerdos adulteros simul*

excommunicationem, suspensionem, et interdictum deduxisse: quod alias veteres adeo distincte non praestitisse inde probat Morinus (1), quod Burchardus Wormatiensis, Ivo carnotensis, Hugo Victorinus, Lombardus, Gratianus, aliique veteres canonistarum, ac theologorum coryphaei, qui ad duodecimum usque saeculum floruere, nihil efferant eiusmodi in suis scriptis: *unde enim*, pergit Morinus, *apud eos colligitur esse tres tantum censuras....... immo ubi apud eos ipsum censurae nomen sic acceptum, et a ceteris poenis, et impedimentis ecclesiasticis distinctum.* Morino nempe videtur nonnisi iure decretalium primum inductum discrimen inter censuras, poenas, et impedimenta canonica, ita ut irregularitas sit tantummodo impedimentum canonicum, non censura: depositio, et degradatio non sint, nisi poenae canonicae, ac demum excommunicatio, suspensio, et Interdictum sint censurae sic proprie dictae.

II. Ne quid implexum sit in re adeo vulgari, ea censurae definitio constituenda hic est, quae nonnisi his tribus censurarum speciebus conveniat reliquas canonicas poenas excludat. Hac notione ita vulgo a Canonistis definiri solet, scilicet, ut sit *poena ecclesiastica spiritualis, et medicinalis, privans usu quorundam spiritualium bonorum, ab ecclesiastica potestate ita imposita, ut ab eadem semper auferri, absolvique possit.* In hac sane definitione elucet, quidnam discriminis inter censuram, et poenam canonicam intercedat: haec enim perpetua est, et in atrocioris cuiusdam criminis vindictam absque ulla spe remissionis imponitur: at contra censura, tanquam medicina ad salutem adhibetur, ut ea implicitus resipiscat, ac satis pro delicto faciens ab ea absolvatur.

III. Ius ferendi censuras potestati clavium adnexum esse, semper in Ecclesia creditum est. Quum autem antiquitus, ut alibi iam observavimus, raro discrimen agnitum fuerit inter forum internum, sive poenitentiale, et externum, sive contentiosum; hinc ius ferendi censuras ita potestati clavium addictum habebatur, ut ordinarie intuitu fori poenitentialis illae infligerentur. Quamobrem *ibidem* Morinus: *unde apud veteres*, inquit, *colligitur, censuras ad forum externum pertinere non ad internum, sive Sacramentum Poenitentiae?* At postea latius inducto discrimine inter forum externum, et internum, distingui etiam coepit inter potestatem Ordinis, et iurisdictionis. Praeterea quum receptum esset, censuras esse veluti media quaedam coactiva ecclesiasticae Potestatis, quae propter contumaciam, et ad coercendos fideles rebelles infligantur, hinc potestas ferendi censuras ad eos tantummodo restricta est, qui iurisdictione ordinaria in foro exteriore sunt praediti.

inventos ferro ultore confixit. Quod utique degradationibus et excommunicationibus significatum est esse faciendum hoc tempore cum in Ecclesiae disciplina visibilis fuerat gladius cessaturus.

Denique Ecclesia, tum per summos Pontifices, tum in oecumenicis synodis, uti ex historica re edocemur, haereticos, et schismaticos anathemate confixit, et graviorum criminum reos censuris latis damnavit.

Quamobrem ex praemissis liquido potet satis ineptire protestantes, Boehmerum praesertim, qui *systema collegiale*, ex quo asserunt *iura collegialia, et maiestatica* profluere sibi confingunt, atque hanc potestatem Ecclesiae Christi impie denegarunt.

(1) De Sacram. Poenit. lib. VI. cap. XXV.

IV. Ad ferendas igitur censuras satis non est potestas remittendi et retinendi peccata in tribunali Poenitentiae, sed requiritur, atque adeo satis est potestas iurisdictionis, etiam a potestate ordinis seiuncta, quam indices ecclesiastici exercent, licet non sint sacerdotes, modo tamen sint prima clericali tonsura saltem initiati, atque iudicis munere legitime fungantur.

V. Censuris obstringi tantummodo possunt homines baptizati, viatores, rationis compotes, ac potestati eas infligentis subditi. Unde censuris plecti nequeunt 1, pagani, iudaei, ac etiam catechumeni, quum nondum per baptismum in Ecclesiam ingressi sint. *Quid enim*, inquit Apostolus (1), *mihi de iis, qui foris sunt, iudicare?* In haereticos vero, schismaticos, et apostatas recte Ecclesia censuris animadvertit, ut ad fidem, ac obedientiam, a qua turpissime defecerunt, redire inde incitentur.

VI. Neque 2, censuris directe adfici possunt mortui, quippe qui non sunt viatores. Unde Christus Dominus dixit: *quaecunque adligaveritis super terram, et non sub terra, ostendens, quod nos de mortuis sententiam ferre non possumus* (2). Potest tamen Ecclesia mortuum anathematizare, sive execrari, atque adeo etiam indirecte excommunicare, dum fidelibus interdicit illum ecclesiastica donare sepultura, aut pro ipso praeces, suffragia, aut sacrificia offerre, cuius disciplinae frequentia occurrunt exempla in veteri ecclesiastica historia. Sic in codice africano *can. LXXXI.* adversus Episcopum, qui haereticos, vel paganos haeredes suos constituere ausus fuerit, in hunc modum decernitur: *post mortem anathema ei dicatur, atque eius nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur.*

VII. Neque 3, mentecapti, furiosi, infantes censuris illigari possunt, quum enim usu rationis careant, ipsis peccata non imputantur, unde nihil ipsis caussae est, cur censuris plectantur.

VIII. Nemo 4, censura mulctari potest, qui subditus ei non sit, a quo illa infertur. Iurisdictionem enim requirit, quae in subditos duntaxt legitime exercetur (3).

De absolutione a censuris

IX. Censura per absolutionem aufertur, quae nonnisi illam demisse petenti impartienda est, ne ecclesiastica potestas in contemptum abeat. Eiusmodi autem absolutio potest non modo *pure*, ut aiunt, impendi, sed etiam *conditianate*, veluti, *absolvo te, quum primum satisfeceris*; haud secus ac censura ipsa conditionate infligi potest (4). Est etiam absolutio, quam vocant *ad cautelam*, qua scilicet a Confessariis absolutioni sacramentali praemitti solet, quaeque in bullis, ac litteris pontificiis de stylo inseritur. At de hoc capite ex professo theologi morales.

X. A censura ab homine per sententiam particularem lata ille absolvit, qui eam inflixit: *Dominus par ius et solvendi esse voluit, et ligandi, qui utrumque pari conditione permisit* (5), vel eius successor (6), aut eius

(1) Epist. I. ad Cor. V. 12.
(2) Leo M. epist. XC. cap. VII.— (3) Cap. XVI. *de maior*; et *obed*: cap. XXI. *de sent. excom.* — (4) Cap. XL. *de adpellationibus*—(5) Cap. LI. *de Poenit. dist.* 1. — (6) Cap. III. V. XLI. caus. II. q. III.

delegatus (1), aut denique superior, uti Metropolita, cui tamen servanda sunt, quae Innocentius III. praescribit (2), scilicet, ut neminem, qui apud ipsum de iniuste ab Episcopo lata excommunicatione conqueratur, absolvat, nisi legitime, ac plene ipsi constiterit episcopalis censurae iniquitas, alioquin eum ad Episcopum absolvendum remittat, nisi periculum in mora esse videatur, vel suffraganeus absolutionem satisfacere parato impendere nolit. In quo sane veteris disciplinae vestigia adparent, ex cuius praescripto qui se a proprio Episcopo inique censura innodatum crederet, in concilio provinciali se sistere debebat, suam querimoniam expositurus, ut ibi de censurae iustitia, vel iniquitate iudicium ferri posset.

XI. Quod vero adtinet ad censuras latas a Iure, vel ab homine per sententiam generalem, iis exceptis, quas sibi earundem auctor reservavit, ab ipsis poterit quis absolvi vel ab Episcopo, vel a proprio sacerdote (3). Nomine proprii sacerdotis venire Parochum, vel etiam quemcunque sacerdotem ad excipiendas confessiones legitime adprobatum, quippe qui in hoc adimplendo munere parochi vices subeat, docet Suaresius de censuris (4).

TITULUS XIX.

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS SPECIATIM.

I. Ac primo ut adpareat, quae fuerit antiquitus excommunicationis species, prae oculis omnino habenda vetus illa communionis ratio, qua in unum corpus fideles coalescebant. Baptismo nimirum ius cuique quaesitum erat ad universa bona Ecclesiae dispensationi commissa. Quot ergo bona Ecclesiae, tot fidelium iura. Unde ius ad Eucharistiam, ius ad oblationem, ius ad preces, ius ad verbum Dei, ius ad conventum, ius ad osculum sanctum, ad convivium, ad colloquium denique infimum illum communionis gradum, quo quique fruebatur.

II. Quum ergo potestas Ecclesiae relicta sit eiusmodi bona administrandi, iis vel in totum, vel ex parte privando, degeneres filios suos plectebat, sive excommunicabat, alios nempe a sola Eucharistia, alios etiam ab oblatione panis, et vini ad Sacrificium, alios ab ipso Sacrificii adspectu arcebat, alios quoque ab omni oratione, ab ipso divini verbi auditu, a limine ipso sacri conventus prohibebat, et quandoque ab osculo, convivio, et colloquio submovebat.

III. Igitur 1, ab sola Eucharistiae participatione aliquando arcebat: unde Basilius *can. IV.* de trigamis sic decernit: *oportet non eos omnino arcere ab Ecclesia, sed dignari auditione duobus, vel tribus annis: et postea permitti quidem consistere, seu in fidelium esse congregatione, a boni tamen communione abstinere.* Eiusdem quoque generis excommunicatio sancita occurrit a Patribus illiberitanis in eos, qui nullis distenti curis, tres dominicas ad Ecclesiam non accesserint (5).

2. Ille semper in Ecclesia ex Christi praescripto (6) servatus canon est,

(1) Cap. XX. *de officio ordin.* — (2) Cap. VIII. *ibidem.*
(3) Cap. XXIX. *ibidem.* — (4) Disputat. VII. sect. IV. n. 9: aliique.
(5) Can. XXI. — (6) Matt. V. 23.

ut fratres dissidentes, pauperum oppressores, aliique huius furfuris homines munera altari offerre vetarentur (1).

3. Nonnunquam ab ipso Sacrificii adspectu repellebat. Theodoretus de quibusdam loquens, qui ex infirmitate potius, quam ex malitia peccaverant, eos nonnisi ab Sacrificii adspectu, h. e. ab Missa fidelium, repellere videtur, quum ipsis Missae catechumenorum interesse permittat: *arceantur a participatione sacrorum mysteriorum, a cathecumenorum autem oratione non prohibeantur, neque a divinarum Scripturarum auditione* (2).

4. Interdum ab omni prorsus oratione, atque etiam a precibus, quae super catechumenos fundebantur, h. e. a Missa catechumenorum submovebat. Ex auctore constitutionum (3) habemus, eiusmodi excommunicationi obnoxios fuisse inter poenitentes eos, qui apud Graecos ακροωμενοι, apud latinos *audientes* vocabantur. Ibi enim praecipitur, ut simul ac Episcopi sermo esset finitus, antequam ullae preces inchoarentur, diaconus de eminentiori loco in Ecclesia proclamet: *ne quis audientium*.

5. Haud raro ab ipso divini verbi auditu, atque adeo ab ipso sacri conventus limine prohibebat. Sic Basilius can. XXI: *oportet eos deflere ad fores Ecclesiae*. Et Gregorius thaumaturgus can. XI: *fletus, seu luctus est extra portam Ecclesiae, ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro se precentur*.

6. Denique in fideles, qui enorme aliquod scelus perpetrassent, ea excommunicationis poena animadvertebat, qua ab omni prorsus communione alieni habebantur: qua de re eosdem omnes abhorrebant, nemo convivio, adloquio, atque adeo etiam adspectu dignos iudicabant: concilium toletanum I. *can. XV.* concilium aurelianense I. (4).

IV. Atque hinc nota apud antiquos distinctio illa Excommunicationis *mortalis*, et *medicinalis*: altera nempe, qua quis perpetuo a Sacramentis, sacris, totoque fraternitatis consortio separabatur, habendus ut ethnicus, et publicanus: altera, qua quis ad medicinam, donec resipisceret, vel poenitentiae stadium percurreret, a fidelium conventu ad tempus arcebatur. Quare Augustinus (5): *nos vero*, inquit, *a communione prohibere quemquam non possumus (quamvis haec prohibitio nondum mortalis sit, sed medicinalis) sed nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive saeculari, sive ecclesiastico indicio nominatum, atque convictum..... cuiusmodi regulam etiam Paulus Apostolus in eadem ad Corinthios epistola insinuasse intelligitur, quum quibusdam talibus commemoratis, ecclesiastici iudicii formam ad omnia similia ex quibusdam daret. Ait enim*, scripsi vobis in epistola, non commisceri fornicariis, etc. *Quibus verbis satis ostendit non temere, aut quomodolibet, sed per iudicium auferendos esse malos ab Ecclesiae communione: ut, si per iudicium auferri non possunt, tolerentur potius: ne perverse malos quisque evitando, ab Ecclesia ipse discedens, eos, quos fugere videtur, vinciat ad gehennam.*

V. Quotuplici vero vinculo communio haec inter fideles, et Episcopos etiam absentes adstringeretur satis constat inter canonum peritos, nimirum

(1) Auctor constit. lib. IV. cap. 6. conc. carthag. IV. Can. XCIII. — (2) Epist. LXXVII. *ad Eulaliam.*—(3) Lib. VIII. cap. V.
(4) Can. III. V. XIII. — (5) In lib. L. *homiliarum hom. ult.*

1, communicatione litterarum formatarum, quas etiam communicatorias adpellatas novimus. Unde synodus antiochena quum Paulum samosatenum deposuisset, ac Domnum in eius locum substituisset, hoc per litteras significavit Dionysio R. Pontifici, Maximo alexandrino, ac omnibus deinde provinciis: *quod quidem*, ait, *idcirco vobis significavimus, ut et ad eum scribatis, et ab eo communicatorias litteras accipiatis*.

2. Admissione, et receptione advenientium in communionem, et synaxim, ut fratrum, modo commendatitias sui Episcopi litteras perferrent. Unde canon apostolicus XXXIV: *nullus Episcoporum peregrinorum, aut presbyterorum, aut diaconorum sine commendatitiis suscipiatur epistolis*. Et canon antiochenus VII: *nullus peregrinorum sine pacificis, idest commendatitiis suscipiatur epistolis*.

3. Demum praecipua catholicae communionis regula, ac veluti tessera, ad quam, veluti ad lydium lapidem, catholici ab haereticis, ac schismaticis distinguebantur, semper habita est Ecclesia Romana, Cathedra s. Petri, Romanus Pontifex, ceu Petri successor iure divino unitatis centrum constitutus. Unde Hieronymus epistola ad Damasum: *Beatitudini tuae, idest Cathedrae Petri communione consocior. . . . ego interim clamito, si quis Cathedrae Petri coniungitur, meus est*. Non vacat hic in explicanda hac R. Sedis praerogativa longius immorari, de qua nonnulla dedimus (1), et plura dabimus in nostris *antiquitatibus christianis*.

VI. Hinc exsurgit 1. aliquando Ecclesias sese mutuo excommunicasse. Dum enim Ecclesia, sive Episcopus in altera Ecclesia aliquid perversum, vel ad canonum normam non exactum agi, vel doceri iudicabat, cum illa Ecclesia per litteras formatas non communicabat. Hinc Epiphanius reiecit communionem Ioannis Episcopi hierosolymitani, quum Origenis errores, et dogmata ipsum defendere nosset (2), et Marcion quum Romam veniens litteras commendatitias non deferret, in communionem receptus non est (3).

2. Aliquando fidelis ob periculum perversionis cum altero fidele communicare detrectabat, et quidem iuxta Apostoli monitum II. ad thessalonicenses (4): *denuntiamus autem vobis, fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate.... hunc notate, et ne commisceamini cum illo*.

3. Interdum etiam plebs universa eandem ob caussam cum suo Pastore communionem abrumpebat. Quod de plebe constantinopolitana cum Nestorio, quum hic primum in publica synaxi haeresim suam prompsisset, scribit s. Cyrillus (5). Qua veluti potestate quum aliquando plebs abuteretur, illud ipsi interdictum est a concilio constantinopolitano IV. *can. XXX.*

4. Nonnunquam etiam Episcopi ipsi ultro se a communione Ecclesiae suae seiungebant, poenitentiae, vel humilitatis caussa, quod de nonnullis Episcopis in ariminensi concilio arianorum fraude deceptis testatur Hieronymus in *dialogo contra luciferianos*.

5. Demum haud semel accidit, ut Episcopi communionem servarent non quidem immediate, at mediate. Sic exeunte saeculo IV. Meletius, et Pau-

(1) Lib. I. tit. IX.—(2) Epis. Epiphanii inter Hieronymianas LX.—(3) Epiphanius haeresi XLII. — (4) Epist. II. *ad thessal.* 12. 14. — (5) Epist. XVIII. *ad Coelestinum*.

linus, eorumque fautores licet ob controversiam, num una in divinis, an tres agnoscendae esset hypostases, invicem non communicarent, utrique vero cum Episcopis communicabant, qui neutrius partis sententiae adhaeserant Ecclesiae definitionem exspectantes.

VII. Illud hic omnino observandum, eiusmodi hactenus explicatas excommunicationes non fuisse veri nominis ecclesiasticas censuras, quae potestatem clavium requirerent, et nonnisi in subditos infligi possent, sed potius a communione separationes. Neque enim Epiphanius in Ioannem hierosolymitanum censura uti poterat, neque plebi ulla clavium potestas convenit, quam in suum Pastorem possit administrare.

De excommunicatione minore

VIII. Non eadem videtur fuisse secutis temporibus, quae olim fuerat, minoris excommunicationis notio. Hoc enim vocabulum illi ecclesiasticae censurae indicandae addictum est, qua quis participatione duntaxat Sacramentorum, et passivae electionis, ad beneficia iure privatur: quaeque ab eo contrahitur, qui cum excommunicato vitando contra Ecclesiae praeceptum communicat.

De excommunicatione maiore

IX. Excommunicatio maior semper in Ecclesia audiit, tanquam omnium censurarum maxima, ac poena, qua nulla atrocior in facinorosos fideles infligi possit, quippe quae anathema sit, h. e. aeternae mortis damnatio (1). Quisnam profecto oppido grave, ac formidandum quam quod maxime malum non dixerit, extra sanctorum communionem esse, Dei O. M. spirituali aeque gratia, ac protectione destitui, Christi meritis, Ecclesiae suffragiis, Sacramentorum usu privari, uno verbo, tamquam putridum membrum de mystico Christi Corpore resecari?

X. Igitur excommunicatus e fidelium albo expunctus, habendus est tanquam ethnicus, et publicanus, uti Christus ipse iussit, quum eiusmodi potestatem Ecclesiae impertivit: *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus.* Ex quo multiplices exoriuntur excommunicationis effectus.

1. Privatur excommunicatus quocunque munere celebrandi divina officia, iisdemque interesse vetatur. Nomine divinorum officiorum omnes sacras functiones, quae publice in Ecclesia peraguntur, intelligas, uti Missarum celebratio, horae canonicae, publicae Preces etc.

2. Nullum excommunicatus fructum cum fidelibus participat ex omnibus suffragiis, Sacrificiis, et orationibus, quae nomine Ecclesiae offeruntur. Verum privatim orationes pro excommunicato Deo fundere nemo vetatur, quum hoc non sit communicatio, sed duntaxat misericordiae spiritualis officium (2).

3. Excommunicatus in loco sacro prorsus sepeliendus non est, omnique ecclesiastico honore, qui in fidelium exequiis adhibetur, omnino privandus.

(1) Conc. meld. can. XXXVI.—(2) S. Thomas. in IV. sent. dist. XI. q. I. art. 4.

4. Omni etiam ecclesiasticae iurisdictionis usu destituitur, adeo ut quae excommunicatus, ecclesiasticam exercens iurisdictionem, peregerit, irrita omnino censentur, nec subditis ipsi parendum est.

5. Inhabilis quoque est ad quodcunque ecclesiasticum beneficium consequendum, sive per electionem, vel praesentationem, sive per commutationem, vel resignationem. Unde excommunicatus beneficium fraude recipiens, at illud dimittendum, fructusque inde perceptos restituendum adigitur.

6. Fructibus quoque beneficiorum, quae ante excommunicationem iam fuerat adeptus, a die, qua in excommunicationem incidit, participare vetatur.

7. Postremo omnis civilis, sive politica cum reliquis fidelibus communicatio excommunicato est interdicta. Hoc quidem non videtur Christus praescripsisse: iussit enim Ecclesiae dicto non audientem habendum esse tanquam ethnicum, et publicanum: atqui ethnicis, et publicanis non vetatur fideles in politicis communicare. Verum Apostoli satis experientia compertum habentes, corrumpere bonos mores colloquia prava, ne fideles contagiosa errorum, vitiorumve lue inficerentur, sanxerunt, excommunicato ab civili etiam fidelium congressu, et communione abstinendum esse. Unde s. Ioannes (1): *si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis; qui enim dicit ei ave, communicat operibus eius malignis.* Qua de re hanc praxim non esse Iuri divino adscribendam censet Ioannes Driedo (2): et Christianus Lupus sic loquitur (3): *omnis haec res non est dogmatis, sed disciplinae: ideoque per Ecclesiam potest ex caussis disponi varie, atque mutari.*

XI. Atque hinc ex recentiori Ecclesiae disciplina non omnes prorsus excommunicatione maiori obstricti fidelibus vitandi sunt, sed ii tantummodo, *in, vel contra quos sententia, vel censura fuerit a Iudice publicata, vel denuntiata, specialiter, et expresse*, et ita Martinus V., qui et *ibidem* statim subnectit (4): *salvo, si quem pro sacrilega manuum iniectione in clericum in sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, neque, alio suffragio excusari. Nam a communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abstineri iuxta canonicas sanctiones.* Ex hac Martini V. constitutione inductum discrimen inter excommunicatum vitandum, et toleratum, atque cum illo aeque in divinis, ac in humanis communicare est prorsus fidelibus interdictum, *ab huius vero communione in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis, vel extra nemo abstinere tenetur*, ut *ibidem* loquitur Martinus V. Adhaec licet ex eadem constitutione ut quis sit excommunicatus vitandus, videatur satis esse, ut sententia a iudice, vel contra personam sit publicata, vel denuntiata specialiter, et expresse, attamen utrumque requiri, scilicet ut a iudice sit lata, et personae specialiter denuntiata, censent superioris subsellii canonistae, et theologi, quorum sententiam probabiliorem, et in praxi

(1) Epist. II. 10.
(2) De *libert. Eccles.* cap. XIV. — (3) Tom. V. schol. pag. 1312. — (4) In extravag. *ad evitanda.*

sequendam docet Suaresius (1): *quia consuetudo,* inquit, *quae est optima legum interpres, ita legem illam acceptavit, et interpretata est. Et praeterea quia id est maxime consentaneum fini illius legis*, scilicet ad evitanda scandala . . . *quae duo verba non ponuntur disiunctive, tanquam diversa, sed tanquam aequipollentia, nisi quod participium* publicata *proprie refertur ad censuram, vel sententiam*, denuntiata *vero ad personam.*

XII. Neque tamen omnes generatim cum excommunicato vitando in civilibus communicare vetantur; excipiuntur enim uxor, liberi, servi, ancillae, creditores, qui ignoranter cum iisdem versantur, qui necessitate adiguntur comparandi sibi auxilium, consilium, perfugium, aut victui necessaria, qui eundem adloquuntur, ut ad meliorem frugem reducant: at de his fusius theologi morales.

XIII. Omnis censura, quippe quae gravis poena, infligenda non est, nisi ob culpam gravem, externam, completam, et contra praeceptum Ecclesiae contumaciter admissam. Poena enim culpae respondeat oportet. Ecclesia non iudicat de internis. Poena generatim lege comminata completam legis eiusdem transgressionem spectat. Ac demum ex Christi verbis is, tanquam ethnicus, et publicanus habendus est, qui Ecclesiam non audierit. Verum haec cum in reliquis, tum vel maxime in excommunicationis censura potissimum servanda sunt. Quum enim excommunicatio, uti modo vidimus, gravissima poena sit profecto mortale requirit delictum, illudque enorme. Unde concilium meldense can XXXVI: *anathema est aeternae mortis damnatio, et nonnisi pro mortali debet imponi crimine.* Et concilium tridentinum praecipit(2): *Excommunicationes a nemine prorsus, praeterquam ab Episcopo decernantur, et tunc non alias, quam ex re non vulgari, caussaque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinata, quae eius animum moveat.* Et quamvis hic Patres tridentini de iis excommunicationibus loquantur, quae ad finem revelationis, ut aiunt, aut pro deperditis, seu subtractis rebus ferri solent, attamen sat indicant suam ipsorum sententiam fuisse, excommunicationem non infligendam, nisi propter peccata mortalia, eaque graviora, praesertim quum synodi provinciales deinceps habitae decretum tridentinum ita sint interpretatae. Speciminis loco sit I. synodus provincialis neapolitana cap. XXXIX: *Quoniam Ecclesia catholica ecclesiasticas censuras non ad animarum interitum, sed ad medicinam adinvenit, et exercet, ideo advertant diligenter Episcopi, ut episcopali gladio, praeterquam in gravissimis delictis caussisque non utantur: neque pro minima quaque re sint ad excommunicationis, vel suspensionis poenas infligendas faciles, atque proclives, sed ut sacra tridentina synodus optime docuit, sobrie, et magna circumspectione, atque ad animarum salutem anathematis mucronem exerceant.*

XIV. Praeterea excommunicatio infligenda non est, nisi canonica monitione praemissa (3). Id tamen de censuris ferendae sententiae intelligas.

(1) *De censuris* disput. IX. sect. II. n. 51.
(2) Sess. XXV. de ref. cap. I. — (3) Cap. XLVIII. *de sent. excom.* cap. III., et IV. *eodem* in VI. conc. lugdun. cap. IX. ibid.

Quod enim ad censuras latae sententiae adtinet, quae scilicet ipso facto, sive ipsa vetiti actus perpetratione per legem ipsam inferuntur, quum ulterior iudicis sententia non requiratur, ac lex ipsa continenter moneat, neque necessario specialis requiritur monitio. Si tamen ad sententiam declaratoriam excommunicationis, ut aiunt, *incussae* deveniendum sit, praemittendam monitionem ipsa praxis satis docet.

XV. Verum quodnam apud veteres censurae ferendae, et latae sententiae discrimen fuerit, pluribus esset explicandum, quod libelli moles excrescens iam ultra non patitur. Putat sane Gersonius, non alia ratione inter utramque distinctum, quam quod in certis quibusdam delictis canones certam poenae mensuram definierint, nullo iudici relicto arbitrio, adeo ut in ea infligenda veluti merus fuerit executor, in aliis vero iudicium liberum in metienda poena reliquerint, in quo et aequitas, et prudentia iudicis post sufficientem discussionem requireretur. Verum diligentius erit id nobis expendendum in nostris *antiquitatibus christianis*.

XVI. Praeter mortale peccatum, illudque enorme, gravis quoque requiritur caussa, ut excommunicationis sententia legitime simul, et prudenter infligatur. Neque enim, nisi ubi vulneri medela frustra aliunde petita sit, spiritualis excommunicationis gladius est adhibendus. Ad rem s. Ambrosius (1): *cum dolore enim amputatur etiam quae putruit pars corporis, et diu tractatur ut possit sanari medicamentis, si non possit, tunc a Medico bono abscinditur. Sic Episcopi adfectus boni est, ut optet sanare infirmos, serpentia auferre ulcera, obducere aliqua, non abscindere, postremo quod sanari non potest, cum dolore abscindere.* Eadem habet s. Leo m. (2).

XVII. Hinc 1, in Universitatem, vel Collegium excommunicationis sententia proferenda non est, quum nonnunquam contingat innoxios huiusmodi sententia irretiri, sed in illos duntaxat de collegio, vel universitate, quos culpabiles esse constiterit (3).

2. Ubi universa quaedam multitudo deliquerit, licet crimen sit enorme, plerumque tamen satius est ab vibrando excommunicationis gladio abstinere. Episcopis cavendum quam quod maxime, ne per excommunicationem eradicando zizania, eradicent simul et triticum, pluribus demonstrat Augustinus (4).

3. Ubi gravia, ac publica timeantur mala, ab distringendo anathematis mucrone aliquantum temperare omnis oeconomiae ratio postulare videtur. Ad rem s. Augustinus ibidem: *quum anathematis quis dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est..... quando ita cuiusque crimen notum est.....et omnibus execrabile adparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores. per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinae.* Unde Constantium, et Valentem arianos, arianorumque fautores, et catholicis infestos publico iudicio anathematizandos, et ingressu Ecclesiae privandos nunquam censuerunt veteres illi ss. Ecclesiae Episcopi, quod inde gravia in Ecclesiam mala imminere perspexerant.

(1) Lib. I. offic. cap. 27. — (2) Epist. 95. — (3) Conc. lugd. in cap. V. §. *ult. de sent. excom.* in VI.— (4) Lib. III. *contra Parmenianum* cap. 2.

4. In caussis iudicialibus aeque civilibus, ac criminalibus, ubi executio realis, vel personalis haberi potest, tam in procedendo, quam in definiendo ab censuris ecclesiasticis abstinendum praescribit synodus tridentina *ibidem*, et I. synodus provincialis neapolitana *ibidem*.

XVIII. Igitur in infligendis censuris prudentia quanta maxima opus est, atque Episcopis omnia prius iuris, prudentiae, et charitatis remedia adhibenda sunt, quam ad excommunicationis gladium distringendum deveniant. Ubi vero id ipsis expedire videatur, invictos se praebeant, neque ullam reformident potestatem. Unde s. Leo indicata epistola XCV. *nulli christianorum*, inquit, *facile communio denegetur, nec ad indignantis hoc fiat arbitrium sacerdotis, quod in magni reatus ultionem invitus, et dolens quodammodo debet inferre animus*.

XIX. Quod tandem ad ritus adtinet in ferenda excommunicatione servandos profecto antiquitus satis habebatur, ut diligenti peracto examine, et canonica monitione praemissa Episcopus sententiam proferret, cuius nonnunquam per litteras encyclicas reliquae provinciae Ecclesiae, atque etiam aliquando omnes orbis christiani praecipuae certiores fiebant (1): et quidem ob antiquissimum semper in Ecclesia servatum canonem, ut qui in una quadam Ecclesia esset excommunicatus pro excommunicato in omnibus Ecclesiis haberetur. Verum secutis temporibus, et quidem saeculo IX. exeunte, vel ineunte X. mos in Ecclesiam invectus est, ut in infligendo anathemate peculiares quidam ritus, ac caeremoniae servarentur, quae prostant in pontificali romano (2), inter quas praecipue illa, nimirum, ut Episcopus adsistentibus sibi duodecim Presbyteris anathema proferat, umbra quaedam est veteris disciplinae, ex cuius praescripto, uti haud semel observavimus, graviora dioeceseos negotia, nonnisi de Cleri sui consilio, Episcopo erant finienda. Uti quoque veterem disciplinam, quam nuper indicavimus, redolet quod *ibidem* praescribitur, scilicet, ut prolato anathemate *epistola presbyteris per parochias, et etiam vicinis Episcopis mittatur, continens nomen excommunicati, et excommunicationis caussam, ne quis per ignorantiam ulterius illi communicet*.

De interdicto

XX. Interdictum est censura, qua Sacramentorum dispensatio, publica divinorum officiorum celebratio, et sepulturae ecclesiasticae usus interdicuntur, estque vel *locale*, si Regnum, Civitas, et Ecclesia subiicitur interdicto, vel *personale*, si αμεσως *immediate* ad personas dirigitur, vel demum *mixtum*, si ad locum simul, et personas directum est, ut hae nec alibi possint divinis officiis interesse (3). Adhaec interdictum sive locale, sive personale vel *generale* est, vel *particulare*. Illud est, quod in plures personas communitatem, vel collegium constituentes fertur, vel in provinciam, civitatem, dioecesim, quarum singulis plura loca sacra clauduntur, hoc vero est, quod vel ad unum, pluresve privatos homines spectat, vel ad unum quendam locum sacrum.

(1) Conc. tolet. I. can. XI: Socrates lib. I. cap. VI. — (2) Tit. *de ordine excommunicandi*. — (3) Cap. XVI. *de sent. excomm.* in VI.

XXI. Interdicti etiam localis ac generalis haud levia in veteri ecclesiastica historia vestigia occurrere eruditi observant Canonistae; praecipue vero apud Gregorium turonensem (1), ubi narrat Leodovaldum Episcopum ob necem s. Praetextato Episcopo rothomagensi in ipsa sua Ecclesia illatam *epistolas per omnes sacerdotes direxisse, et accepto consilio Ecclesias rothomagenses clausit, ut in his populus sollemnia divina non spectaret, donec indagatione communi reperiretur huius auctor sceleris.* Verum iidem illi Canonistae censent oppido mira eiusmodi antiquitus fuisse exempla; atque nonnisi X. . vel XI. saeculo interdicti generalis usum primum frequentari coepisse. Unde Ivo carnotensis *epist. XCIV.* interdictum generale vocat *remedium insolitum.*

XXII. Primus Interdicti effectus est, quo interdicuntur celebrari divina, scilicet Missae, Horae canonicae, publicae Ecclesiae preces, atque etiam nuptiarum benedictiones, permittitur tamen publica in Ecclesia concio (2). Et Gregorius VIII (3) *permittit Ecclesiae ministris semel in hebdomada, tempore interdicti non pulsatis campanis, voce submissa, ianuis clausis, excommunicatis, et interdictis exclusis, Missarum sollemnia celebrare caussa conficiendi corpus Domini quod decedentibus in poenitentia non negatur.* Tum iisdem his adiectis conditionibus Bonifacius VIII. (4) iussit singulis diebus in ecclesiis, et Monasteriis Missas celebrari, et alia divina officia peragi, ut prius. Verum in festivitatibus Natalis Domini, Paschae, Pentecostes, et adsumptionis B. V. (quibus Festum etiam Corporis Domini, eiusque octavam Martinus V. addidit) permisit officia divina sollemniter celebrari, alta voce, ianuis apertis, pulsatisque campanis, exclusis excommunicatis, et admissis interdictis, modo qui caussam interdicto dederunt, ad altare non accedant.

XXIII. Alter interdicti effectus est prohibitio receptionis, et administrationis Sacramentorum. At vero excipe Baptismum, Confirmationem, et Poenitentiam, quae quibuscunque, etiam sanis, semper ac petierint, conferri possunt, haud vero excommunicatis, speciatim interdictis, iisque, qui ad perpetrandum delictum, quod interdicto punitum est, operam, consilium, favorem, aliudve contulerunt, nisi prius vel de delicto satisfecerint, vel de satisfaciendo cautionem dederint (5), Eucharistiam quoque iis, qui in probabili mortis articulo sunt, deferre fas est (6).

XXIV. Tertius denique interdicti effectus est prohibitio ecclesiasticae sepulturae, quae denegatur omnibus etiam parvulis. Non prohibentur tamen ii, qui nec speciatim interdicti sunt, nec interdicto caussam dederunt, in loco non interdicto humari, atque adeo eiusdem conditionis clerici in loco etiam interdicto recte sepeliuntur, nulla tamen adhibita sollemnitate (7).

XXV. Violantes Interdictum gravis peccati labe se inquinant, quippe qui in praeceptum Ecclesiae graviter impingunt. Tum clericus, qui interdictum violat, actum ordinis proprium exercens, in irregularitatem incurrit, a qua nequit per alium, quam per R. Pontificem, liberari. Adhaec qui

(1) Lib. VIII. hist. franc. cap. III.
(2) Cap. XXIII. *de sent. excom.* — (3) Cap. LVII. ibid. — (4) In Cap. *alma Mater ibid. in VI.* — (5) Indic. Cap. *alma Mater.* — (6) Cap. XI. *de Poenitentia.*
(7) Cap. II. *de Poenitentia.*

interdictos in loco sacro sepelire audent, excommunicationem contrahunt, cuius absolutio Episcopo reservatur (1). Uti quoque excommunicantur Religiosi, etiam exempti, interdictum generale locale a Papa, vel ab Ordinario inflictum non servantes.

De cessatione a divinis

XXVI. Cessatio a divinis est ecclesiastica sanctio, qua clerici vetantur divina peragere officia, ac Sacramenta administrare in aliqua peculiari Ecclesia, ubi enorme aliquod crimen fuit admissum, et quidem ut salutaris populo terror, criminisque horror incutiatur. Non est tamen censura, quum non sit poena medicinalis, sed potius gravis ab Ecclesia concepti doloris indicium. Unde eius violatio, licet gravis culpa sit, non tamen irregularitatem inducit (2). Verum Regulares eam violantes excommunicantur (3).

De suspensione

XXVII. Suspensionis vocabulo, quod largiori quadam notione veteres Patres usurparunt, hic utimur ad significandum illud censurae genus, quo clericis ob proprium delictum interdicitur usus ecclesiasticae potestatis, et iurisdictionis. Atque hinc patet discrimen inter reliquas censuras, et suspensionem, illae enim in omnes fideles infligi possunt, haec vero in solos clericos.

XXVIII. Iam vero triplex agnoscitur suspensionis species, nimirum ab *officio*, a *beneficio*, et ab *utroque*. Porro hac in re quidam canones statuendi sunt. 1, generatim suspensus censetur suspensus simul ab officio, et beneficio.

2 Suspensus a beneficio non censetur simul suspensus ab Officio, odiosa enim, ut aiunt, strictam requirunt interpretationem.

Uti 3. suspensus ab officio non censetur suspensus a beneficio, alias enim frustra in iure infligerentur suspensiones modo ab officio, et modo a beneficio.

4. Suspensus generatim ab officio, censetur suspensus ab omni officio aeque ordinis, ac iurisdictionis, unde nefas erit ipsi beneficium conferri, cui semper officium, ceu comes, adnexum sit oportet (4).

Quinimmo 5, privandus etiam est beneficio antea adepto is, in quem ob enorme aliquod crimen suspensio perpetuo duratura inflicta sit (5).

6. Potest tamen quis ab exercitio, vel solius Ordinis suspendi, atque adeo etiam ab aliquo peculiari actu Ordinis vel iurisdictionis; quo casu dicitur suspensio *partialis*, ultra propriam verborum significationem, quibus prolata est, neutiquam extendenda.

7. Suspensio ab officio non privat iis, quae sunt communia laicis, unde

(1) Clement. I. *de sepulturis*.
(2) Cap. XVIII. *de sent. excom.* in VI.—(3) Indic. *clement. I.*
(4) Cap. fin. *de rescriptis in* VI. — (5) Argumentum deductum ex cap. VIII. *de purgatione canon.*

suspensus ab officio, licet generatim, non vetatur interesse choro, Sacerdoti Sacrificium celebranti ministrare, mortuos sepelire, aliaque id genus peragere, quae etiam a laicis exerceri permittuntur (1). Verum huiusmodi clerico in choro more laicorum canenti non videntur distributiones praebendae, quae clericis ex officio canentibus conferuntur.

XXIX. Discrimen inter suspensionem ab officio, et suspensionem a beneficio olim ignotum fuisse, res est quam testatissima. Et sane, ut alibi iam observavimus, bonis Ecclesiae in titulos, sive in beneficia nun adhuc erectis, ius percipiendi fructus redditibus ecclesiasticis Ordinis exercitio adeo erat adnexum, ut suspensio ab ordine suspensionem a iure participandi ex bonis Ecclesiae comitem nunquam non haberet. Verum iure decretalium, eiusmodi dicrimine inducto, suspensus a beneficio nonnisi eiusdem fructibus, ac temporali administratione privatur. Ceterum neque amittit ius eligendi, sive praesentandi, quod ipsi fortasse intuitu beneficii conveniat, neque redditur inhabilis ad aliud consequendum beneficium. At vero generatim a beneficio suspensus censetur suspensus ab omni beneficio, nisi aliunde constet aliam fuisse ferentis censuram voluntatem.

XXX. Suspensio a Praelato, nonnisi in suos subditos, licet in aliena dioecesi, ac territorio existentes, infligi potest, tum suspensus ab uno Episcopo, tanquam suspensus ab omnibus Episcopis habendus est, donec legitime a proprio Episcopo absolvatur. Demum suspensio in scriptis ferenda est, et quidem expressa caussa, ob quam lata est (2). Quod tamen de suspensionibus ferendae sententiae intelligas, secus enim se res habet in suspensionibus latae sententiae, cuiusmodi plures in iure nostro occurrunt, ac praecipue in concilio tridentino (3), in quibus, uti supra de excommunicatione latae sententiae monuimus, lex ipsa iudicis instar est.

XXXI. Suspensio, quae infligatur vel nullo determinato tempore constituto, vel etiam perpetuo duratura, nunquam est sine ulla veniae, ac restitutionis spe: in quo a depositione distinguitur, quae perpetuam, ac sine ulla spe veniae exercitii, ac usus ordinum privationem significat. Adhaec suspensio, licet perpetua, non privat tamen ipso iure beneficio, quod clericus suspensus petita venia legitime retinebit, at depositio clericum beneficio ita privat, ut titulum auferat, novaque indigeat collatione, ut illud integro consequatur. Verum clericus suspensus, licet non privetur absolute uti beneficio, ita et ordine, si tamen durante suspensione aliquo Ordinis munere defungatur, in irregularitatem incurrit, uti supra *lib. I. tit. XXX.* observavimus. Quod tamen de clericis inferioribus haud intelligendum nonnulli censent qua theologi, qua canonistae apud Fagnanum (4), quum scilicet munia iisdem Ordinibus addicta sine ullo respectu ad Ordines obeant, aeque ac ex usu iam inolito eadem ab laicis exercentur.

(1) Cap. X. *de cler. excomm. ministr.*
(2) Cap. I. *de excom.* in VI. — (3) Sess. XXIII. de ref. cap. VIII., et X.
(4) In cap. *si quis presbyter de cler. excom. ministr.*

FINIS LIBRI III, ET TOMI II.

SYLLABUS CRONOLOGICUS

ROMANORUM PONTIFICUM.

S. Petrus coepit	an.	40
S. Linus	an.	65
S. Cletus	an.	76
S. Clemens I.	an.	89
S. Anacletus	an.	98
S. Evaristus	an.	100
S. Alexander I.	an.	108
S. Xystus I.	an.	116
S. Telesphorus	an.	126
S. Hyginus	an.	137
S. Pius I.	an.	142
S. Anicetus	an.	151
S Soter	an.	161
S. Eleutherus	an.	170
S. Victor I.	an.	183
S. Zephyrinus	an.	191
S. Callixtus I.	an.	217
S. Urbanus I.	an.	222
S. Pontianus	an.	230
S. Anterus	an.	235
S. Fabianus	an.	236
S. Cornelius	an.	252
Novatianus antipapa.		
S. Lucius I.	an.	253
S. Stephanus I.	an.	253
S. Xystus II.	an.	257
S. Dionysius	an.	259
S. Felix I.	an.	270
S. Eutychianus	an.	275
S. Caius	an.	283
S. Marcellinus	an.	296
S. Marcellus I.	an.	308
S. Eusebius	an.	310
S. Melchiades	an.	310
S. Silvester I.	an.	314
S. Marcus	an.	336
S. Iulius I.	an.	337
Liberius	an.	352
S. Felix II.	an.	366
S. Damasus I.	an.	366
Ursicinus antipapa.		
S. Siricius	an.	384
S. Anastas. I.	an.	398
S. Innocent. I.	an.	402
S. Zosimus	an.	417
S. Bonifacius I.	an.	418
Eulalius antipapa.		
S. Coelestinus I.	an.	423
S. Xystus III.	an.	432
S. Leo I. Magn.	an.	440
S. Hilarus	an.	461
S. Simplicius	an.	467
S. Felix III.	an.	483
S. Gelasius I.	an.	492
S. Anastasius II.	an.	496
S. Symmachus	an.	498
Laurentius antipapa.		
S. Hormisdas	an.	514
S. Ioannes I.	an.	523
S. Felix IV.	an.	526
Bonifacius II.	an.	530
Dioscorus antipapa.		
Ioannes II.	an.	532
S. Agapetus I.	an.	535
S. Silverius	an.	537
Vigilius	an.	540
S. Pelagius	an.	555
Ioannes III.	an.	560
S. Benedict. I.	an.	573
Pelagius II.	an.	577
S. Gregor. M.	an.	590
Sabinianus	an.	604
Bonifacius III.	an.	607
S. Bonif. IV.	an.	607
S. Deus dedit	an.	614
Bonifacius V.	an.	617
Honorius I.	an.	626
Severinus	an.	639
Ioannes IV.	an.	640
Theodorus I.	an.	641

S. Martinus I.	an.	646
S. Eugenius I.	an.	654
S. Vitalianus	an.	655
Adeodatus	an.	669
Donus I.	an.	676
S. Agatho	an.	678
S. Leo II.	an.	683
Benedictus II.	an.	684
Ioannes V.	an.	685
Petrus, et Theodorus Antipapae.		
Conon	an.	685
Theodorus, et Paschalis Antipapae.		
S. Sergius I.	an.	686
Ioannes VI.	an.	701
Ioannes VII.	an.	705
Sisinnius	an.	708
Constantinus	an.	708
S. Gregorius II.	an.	714
S. Gregor. III.	an.	731
S. Zacharias	an.	742
Stephanus II.	an.	753
Stephanus III.	an.	753
S. Paulus I.	an.	757
Theophilactus antip.		
Constantinus adhuc laicus antipapa.		
Philippus monachus antipapa.		
Stephanus IV.	an.	768
Hadrianus I.	an.	772
S. Leo III.	an.	795
Stephanus V.	an.	816
S. Paschalis I.	an.	817
Eugenius II.	an.	820
Zinzinus antipapa.		
Valentinus	an.	824
Gregorius IV.	an.	827
Sergius II	an.	843
S. Leo IV.	an.	847
Hic inserunt fabulam Ioannae Papissae.		
Benedictus III.	an.	855
S. Nicolaus I.	an.	858
Hadrianus II.	an.	868
Ioannes VIII.	an.	873
Marinus I.	an.	883
Hadrianus III.	an.	884
Stephanus VI.	an.	885
Formosus	an.	891
Sergius antipapa.		
Bonifacius VI.	an.	896
Stephanus VII.	an.	897
Romanus	an.	897
Theodorus II.	an.	898
Ioannes IX.	an.	898
Benedictus IV.	an.	900
Leo V.	an.	906
Christophorus	an.	906
Sergius III.	an.	907
Anastasius III.	an.	910
Landus	an.	912
Ioannes X.	an.	912
Leo VI.	an.	928
Stephanus VIII.	an.	929
Ioannes XI.	an.	931
Leo VII.	an.	936
Stephanus IX.	an.	940
Marinus II.	an.	943
Agapetus II.	an.	946
Ioannes XII.	an.	956
Leo VIII. antipapa.		
Benedictus V.	an.	965
Ioannes XIII.	an.	966
Benedictus VI.	an.	973
Donus VII.	an.	973
Bonifacius VII. antipapa.		
Benedictus VII.	an.	974
Ioannes XIV.	an.	984
Ioannes XV.	an.	985
Ioannes XVI.	an.	986
Ioannes antipapa.		
Gregorius V.	an.	996
Sylvester II.	an.	999
Ioan. XVII.	an.	1003
Ioan. XVIII.	an.	1003
Sergius IV.	an.	1009
Benedictus VIII.	an.	1012
Gregorius VI. antipapa.		
Ioannes XIX.	an.	1024
Benedictus IX.	an.	1033
Sylvester, et Ioannes antipapae.		
Gregorius VI.	an.	1044
Clemens II.	an.	1047

Damasus II.	an.	1048
S. Leo IX.	an.	1049
Victor II.	an.	1055
Stephanus X.	an.	1057
Benedictus X. antipapa.		
Nicolaus II.	an.	1058
Alexander II.	an.	1061
Honorius II. antipapa.		
S. Gregor. VII.	an.	1073
Clemens III. Antipapa.		
Victor III.	an.	1086
Urbanus II.	an.	1088
Paschalis II.	an.	1099
Albertus Theodoricus, et Sylvester III. antipapae.		
Gelasius II.	an.	1118
Gregorius VIII., antea Mauritius, antipapa.		
Callixtus II.	an.	1119
Honorius II.	an.	1124
Innocentius II.	an.	1130
Anacletus II., et Victor III. antea Gregorius, antipapae.		
Coelestinus II.	an.	1143
Lucius II.	an.	1144
Eugenius III.	an.	1145
Anastasius IV.	an.	1154
Hadrianus IV.	an.	1155
Alexander III.	an.	1159
Victor IV. antea Octavianus, Paschalis III. Callistus III., et Innocentius III. antipapae.		
Lucius III.	an.	1181
Urbanus III.	an.	1185
Gregorius VIII.	an.	1187
Clemens III.	an.	1188
Coelestinus III.	an.	1191
Innocentius III.	an.	1198
Honorius III.	an.	1217
Gregorius IX.	an.	1227
Coelestinus IV.	an.	1241
Innocentius IV.	an.	1243
Alexander IV.	an.	1254
Urbanus IV.	an.	1262
Clemens IV.	an.	1265
Gregorius X.	an.	1270
Innocentius V.	an.	1276
Hadrianus V.	an.	1276
Ioannes XX.	an.	1276
Nicolaus III.	an.	1277
Martinus IV.	an.	1281
Honorius IV.	an.	1285
Nicolaus IV.	an.	1288
S. Coelest. V.	an.	1294
Bonifac. VIII.	an.	1295
B. Benedictus XI.	an.	1303
Clemens V.	an.	1305
Ioannes XXI. aut XXII.	an.	1316
Nicolaus V. antipapa.		
Benedict. XII.	an.	1334
Clemens VI.	an.	1342
Innocent.	an.	1353
Urbanus V.	an.	1362
Gregorius XI.	an.	1371
Urbanus VI.	an.	1378
Clemens VII. antipapa Benedictus XIII., Clemens VIII., et Benedictus XIV. Antipapae.		
Bonifacius IX.	an.	1390
Innocentius VII.	an.	1404
Gregor. XII	an.	1406
Alexander X.	an.	1409
Ioannes XXII. vel XXIII.	an.	1410
Martinus V.	an.	1417
Eugenius IV.	an.	1431
Felix V. antea Amadeus Dux Sabaudiae, dein Monachus, antipapa.		
Nicolaus V.	an.	1445
Callixtus III.	an.	1447
Pius II.	an.	1458
Paullus II.	an.	1464
Xixtus IV.	an.	1471
Innocentius VIII.	an.	1484
Alexander VI.	an.	1492
Pius III.	an.	1503
Iulius II.	an.	1503
Leo X.	an.	1513
Hadrianus VI.	an.	1521
Clemens VII.	an.	1523
Paullus III.	an.	1534
Iulius III.	an.	1540
Marcellus II.	an.	1555
Paullus IV.	an.	1555

Pius IV.	an.	1559
S. Pius V.	an.	1566
Gregorius XIII.	an.	1582
Xixtus V.	an.	1586
Urbanus VII.	an.	1590
Gregor. XIV.	an.	1590
Innoc. IX.	an.	1591
Clem. VIII.	an.	1592
Leo XI.	an.	1605
Paullus V.	an.	1605
Gregor. XV.	an.	1621
Urbanus VII.	an.	1623
Innocentius X.	an.	1633
Alexand. VII.	an.	1655
Clemens IX.	an.	1667
Clemens X.	an.	1670
Innoc. XI.	an.	1676
Alexander VIII.	an.	1689
Innocen. XII.	an.	1691
Clemens XI.	an.	1700
Innoc. XIII.	an.	1721
Benedictus XIII.	an.	1724
Clemens XII.	an.	1730
Benedictus XIV.	an.	1740
Clemens XIII.	an.	1758
Clemens XIV.	an.	1769
Pius VI.	an.	1775
Pius VII.	an.	1800
Leo XII.	an.	1823
Pius VIII.	an.	1829
Gregorius XVI.	an.	1831

Pius IX. qui ad summi Pontificatus culmen evectus an. 1846. primitivae Ecclesiae Pontifices aemulatus, in egenis viduisque sublevandis singulari praestat liberalitate, ac Petri Cathedrae felicissime praeest: hinc merito illud a Deo conceptis votis efflagitamus, ut maximo catholici orbis bono hunc Pastorem vere amantissimum diutissime sospitet.

SYLLABUS

CONCILIORUM GENERALIUM ET PARTICULARIUM

Romanum III.	726
Romanum I.	731
Romanum II.	732
Clovesbonense	742
Ratisbonense	752
Liptinense, vel Lestinense	743
Romanum I.	743
Suessionense	744
Germaniae	745
Romanum II.	745
Clovesbonense II.	747
Toletanum XIX.	747
Vermeriense	752
Metense II.	753
* Cpolitanum	754
Vernense	755
Competicuse	757
Germaniae II.	759
Romanum	791
Gentiliacense	766
Romanum	769
Wormatiense	772
Dingolvingense	772
Genuense	773
Duriense	775
Wormatiense II.	776
Paderbornense I.	777
Lippiense	780
Paderbonense II.	785
Calchutense	787
Ingilentheimense	788
Narbonense II.	788
Acleense	788
Foroiuliense	791
Ratisbonense II.	792
Francofortiense	794
Fianchalense	798
Bacanceldense	798
Romanum I.	799
Aquisgranense	799
Clovesbonense III.	800
Romanum II.	800
Altianense	802
Aquisgranense II.	802
Clovesbonense IV.	803
* Cpolitanum III.	805
Apud Theodonis Villam	806
Aquisgranense III.	809
Arelatense VI.	813
Turonense III.	813
Cabilonense IV.	813
Moguntinum	813
Rhemense III.	813
* Cpolitanum	814
Noviomense	824
Aquisgranense IV.	819
Celichytense	816
Aquisgrancnse V.	817
Ingelmense	817
Attiniacense	821
* Parisiense	824
Romanum	816
Parisiense VI.	829
* Compendiense	833
Metense III.	835
Apud Theodonis villam	835
Aquisgranense VI.	836
Lugdunense	836
Catalaunense	839
Apud Aquas Sextias	842
Cpolitanum	842
Bellovacense	845
Meldense	845
Parisiense VII.	846
Moguntinum II.	847
Parisiense VIII.	847
Moguntinum III.	848
Turonense IV.	849
Ticinense	849
* Cordubense	852
Suessionense II.	853
Romanum	853
Cpolitanum	854
Valentiae IV.	855
Ticinense II.	855
Cressiacum	857
Moguntinum IV.	857
* Cpolitanum	858
Tullense II.	859
Cpolitanum	859
Ad Confluentem	860
Romanum I.	861
* Ad Aquas Sextias.	862
Saponariae	862
Metense IV.	863

Romanum II.	863
Romanum III.	863
Sylvanectense	863
Romanum IV.	863
Pistrinum	863
Romanum V.	864
Romanum VI.	865
Suessionense III.	866
Trecense	867
Romanum	868
Wormatiense III.	868
* Metense	869
* Vermeriae	870
* Attiniacense	870
Coloniense	870
Duziacense	871
Ticinense III.	876
Ponticonense II.	876
Neustriae	877
Trecense II.	878
Romanum I.	879
Romanum II.	879
Romanum III.	881
Coloniense II.	887
Moguntinum, et Metense	888
Rhemense	893
Triburiense	895
* Romanum	897
Romanum	901
Ravennatense	904
Suessionense IV.	909
Ad Confluentem	912
Trosleianum	924
Duisbergense	927
Erfordiense	931
Rhemense IV.	935
Narbonense III.	940
Suessionense V.	941
* Cpolitanum	944
Virodunense	947
Astorgae	947
Musoniense	948
Ingelmense	948
Trevirense	948
Romanum	949
Ausburgense	952
Meldense II.	962
* Romanum	963

Cpolitanum	963
Romanum	964
* Romanum	965
Ravennatense II.	967
Anglicanum III.	969
Romanum	971
Ingelmense I.	972
Mutinense	973
Cpolitanum	975
Winchestrense	975
Romanum	983
Landaviense	988
Romanum I.	986
Rhemense V.	989
Sylvanectense II.	990
Rhemense VI.	991
Romanum II.	993
Musoniense II.	995
Rhemense VII.	995
Romanum III.	996
Ravennatense III.	997
Ticinense IV.	997
Sandionysiacum	997
Romanum	998
Dortmondi	1005
Francofordiense II.	1006
Bambergense	1012
Leonicense	1012
Aurelianense VII.	1017
Selgenstadense	1022
Aquisgranense VII.	1022
Lemovicense	1029
Triburiense II.	1035
Sutriense	1046
Romanum I.	1049
Rhemense VIII.	1049
Moguntinum VI.	1049
Romanum II.	1050
Vercellense	1050
Coiacense	1050
Romanum	1051
Romanum	1053
Florentinum	1055
Lugdunense VI.	1055
Turonense V.	1055
Tolosanum	1059
Compostellanum	1056
Sutrinum II.	1059

Romanum	1059	* Turonense	1096
Parisiense VIII.	1059	Bariense	1097
Faccense	1060	Romanum I.	1099
Basileense	1060	Hierosolymitanum	1099
Osboritanum	1062	Pictaviense II.	1100
Aragoniae	1062	Lateranense, aut Romanum II.	1102
Romanum I.	1063	Londinense I.	1102
Mantuense	1064	Londinense II.	1102
Barcinonense II.	1064	Trecense III.	1104
Romanum II. et III.	1065	Florentinum II.	1105
Wincestriense	1069	Quintilemburgense II.	1105
Moguntinum VII.	1069	Moguntinum X.	1105
Moguntinum VIII.	1070	Guastallinum	1106
Anglicanum IV.	1072	Hierosolymitanum	1107
Erfordiense II.	1073	Trecense	1107.
Romanum I.	1074	Londinense III.	1107
Apud S. Genesium prope Lucam	1074	Beneventanum II.	1108
Anglicanum V.	1074	Rhemense IX.	1109
Moguntinum III.	1075	Hierosolymitanum	1111
Anglicanum VI.	1075	Lateranense II.	1112
Romanum II.	1075	Viennense II.	1113
Wormatiense IV.	1076	Beneventanum III.	1114
Romanum III.	1076	Bellevacense II.	1115
* Ticinense	1077	Syriae	1116
Romanum IV.	1078	Coloniense III.	1116
Romanum V.	1078	Lateranense III.	1116
Romanum VI.	1079	Romanum	1118
Britanniae	1079	Capuense III.	1118
Romanum VII.	1080	Coloniense IV.	1119
* Brixiae	1080	Frislariense	1119
Lugdunense VII.	1080	Rhemense X.	1119
* Meldense	1080	Viennense III.	1119
Avenionense	1080	Samaritanum	1120
Romanum VIII.	1081	Romanum I.	1122
Romanum IX.	1083	Romanum II.	1123
Romanum X.	1083	Tolosanum III.	1124
Quintilemburgense	1085	Londinense IV.	1124
* Moguntinum	1085	Trecense V.	1127
Capuense II.	1087	Londinense V.	1127
Beneventanum I.	1087	Ravennatense IV.	1128
Romanum	1089	Claromontanum II.	1130
Tricassinum	1089	Foarrense	1130
Melfitanum	1089	Rhemense IX.	1131
Tolosanum II.	1090	Leodinense	1131
Placentinum	1095	Moguntinum XI.	1131
Claromontanum	1095	Placentinum II.	1131
* Anglicanum	1095	Pisanum	1134

Northamptoni	1138
Londinense VI.	1138
Wincestriense II.	1139
Senonense	1140
Wincestriense III.	1142
Antiochenum	1142
Hierosolymitanum	1142
Londinense VII.	1143
Verzeliaci	1146
Parisiense X.	1147
Rhemense XII.	1148
Trevirense II.	1148
Beaugentiacum	1151
* Ticinense	1169
* Lodianum	1161
Londinense VIII.	1161
Turonense VI.	1163
* Clariense	1164
* Northamptoni	1164
Lateranense	1168
Caselliense	1171
Abricense	1172
Londinense IX.	1175
Lambesitanum II.	1176
Veneticum II.	1177
Parisiense XI.	1186
Anglicanum VII.	1188
Parisiense XII.	1188
Eboracense	1195
Dalmatiae	1199
Divionense	1199
Londinense X.	1202
Scotiae	1203
Romanum	1210
Lavaurense	1213
Mureti in Occitania	1213
Londinense X.	1214
Montispessulani	1215
Oxoniense	1222
Germaniae, vel Alemanicum	1225
Westminsteriense	1226
Narbonense IV	1227
Tarraconense III.	1229
S. Quintini	1230
Laudenense	1231
Noviodunense	1231
Castelli Gonterii	1231
Romanum	1234
Narbonense V.	1235
Londinense XII.	1237
Coniacense	1238
Tarraconense IV.	1242
Tarraconense V.	1279
Salisburiense	1281
Ravennatense V.	1285
Wirtzburgense	1287
Mediolanense VII.	1187
Salisburiense II.	1291
Londinense XIII.	1291
Mediolanense VIII.	1292
Aschasenburgense	1292
Lugdunense VIII.	1297
Londinense XIV.	1297
Baiocense	1300
Romanum	1302
Salisburiense III., et IV.	1310
Coloniense V.	1310
Ravennatense V.	1310
Moguntinum XII.	1310
Ravennatense VI.	1311
Ravennatense VII.	1314
Salmuriense	1315
Nogiense	1315
Sylvanectense III.	1317
Ravennatense VII.	1317
Vallis-oleti	1322
Toletanum	1324
Avenionense III.	1326
Avenionense IV.	1327
Toletanum	1327
Toletanum	1339
Cpolitanum	1341
Anglicanum VII.	1341
Londinense XV.	1342
Noviodunense II.	1344
Parisiense XIII.	1347
Toletanum	1347
Birerrense	1351
Toletanum XXVIII.	1355
Lambesianum	1362
Andegavense II.	1365
Lavaurense II.	1368
Londinense XVI.	1382
Salisburiense III.	1388
Palentiae	1388

Londinense XVII.	1398	Mediolanensia S. Caroli Borromaei ab an. 1575. ad an.	1582
Londinense XVIII.	1398	Toletanum	1575
Cantuariense II.	1399	Cpolitanum-I.	1575
Friulinum	1409	Tortosanum II.	1575
* Aragoniae	1409	Neapolitanum	1576
* Perpinianense	1409	Rothomagense II.	1581
Ticinense V.	1420	Cařitanum	1582
Sienoense	1422	Rhemense XIII.	1583
Tortosae	1424	Burdigalense II.	1583
Basileense	1429	Turonense IX.	1583
Bituricense	1431	Andegavense III.	1583
Frisinghense	1439	Bituricense III.	1584
Turonense VII.	1440	Mexicanum	1585
Cpolitanum	1441	Tolosanum	1590
* Lugdunense	1442	Avenionense	1594
Coloniense VI.	1449	Dampriense	1599
Suessionense V.	1452	Mechliniense	1607
Eboracense II.	1456	Narbonense VI.	1609
Coloniense VII.	1470	Senonense II.	1612
Toletanum	1473	Aqueuse	1612
Senonense	1473	Mesopotamiae	1612
Turonense VIII.	1485	Burdigalense III.	1624
* Pisanum	1590	Cpolitanum II.	1639
Bituricense II.	1545	Cpolitanum III.	1652
Coloniense VIII.	1548	Neapolitanum	1699
Trevirense III.	1549		
Coloniense IX.	1565		
Trevirense IV.	1565		

SYLLABUS

CHRONOLOGICUS

EPISCOPORUM ECCLESIAE NEAPOLITANAE

EX MAZOCHIO

De Cathedr. Eccles. Neap.
Anteloq. part. III. pag. XXVIII.

Hac nota * *indicavimus Episcopos illos, quorum cultus non satis constat.*

Series Episcoporum
Tribus prioribus saeculis.

1. S. Asprenus
2. S. Epitimitus
3. S. Maru
4. S. * Probus
5. S. Paullus
6. S. Agrippinus
7. S. Eustasius
8. S. Ephebus

Saeculo IV.

9. S. Fortunatus I.
10. S. Maximus
11. Zosimus
12. S. Severus

Saeculo V.

13. S. Ursus
14. S. Ioannes I.
15. S. Nostrianus
16. Timasius
17. Felix
18. S. Soter
19. S. Victor

Saeculo VI.

20. S. Stephanus I.
21. S. Pomponius
22. Ioannes II.
23. Vincentius
24. S. Redux
25. Demetrius
26. Fortunatus II.

Saeculo VII.

27. Paschasius
28. Ioannes III.
29. Caesarius
30. Gratiosus
31. Eusebius
32. * S. Leontius
33. * S. Adeodatus
34. S. Agnellus
35. S. Iulianus

Saeculo VIII.

36. S. Laurentius
37. Sergius
38. S. Cosmas
39. S. Calvus
40. S. Paullus II.
41. Stephanus II.

Saeculo IX.

42. Paullus III.
43. B. Tiberius
44. S. Ioannes IV.
45. S. Athanasius
46. Athanasius II.

Saeculo X.

47. Stephanus III.

48. Athanasius III.
49 Nicetas I.
Hic utrum Episcoporum agmen cogat, an Archiepiscoporum signifer sit habendus, an postremo (quod vero proprius) ex Episcopo evaserit aliquando Metropolita: de re tota confer Mazochium ibid., *et Sparanum* lib. II. cap. 3.
50. S. Marcianus. *Ex Mazochii sententia :* de cultu ss. Episcoporum Ecclesiae neapolitanae part. III. cap. 15.

Series Archiepiscoporum.

1. Sergius I.
2. Ioannes I.
3. Gentilis
4. Victor
5. Sergius II.
6. Ioannes II.
7. S. Leo, sive Landulfus, sive Landus: *Vide Mazochium* ibidem.
8. Petrus
9. Gregorius
10. Marinus
11. Sergius III. coepit an. 1175
12. Anselmus an. 1192
13. Thomas circiter an. 1215
14. Petrus de Surrento an. 1216
15. Bernardus Caracciolus an. 1252
S. Thomas Aquinas oblato Archiepiscopatui Neap. nuntium remisit. 1262
16. Dalphinas 1263
17. Ayglerius 1265
18. Philippus Minutulus 1285
19. B. Iacobus Ord. Erem. S. Augustini 1302
20. Humbertus. 1308
21. Matthaeus Philamarinus. 1322
22. Bertuldus Ursinus. 1322
23. Anibaldus de Ceccano 1326
24. Ioannes III. Ursinus 1328
25. Bertrandus de Meyshonesio 1359
26. Petrus de Gratia 1363
27. Bernardus de Bosquetto 1365
28. Bernardus 1368
29. * Thomas Ammanatus. 1388
30. Gulielmus Guindatius 1389
31. * Nicolaus de Paganis 1390
Suprascripti tres Archiep. etsi minus legitimi, quippe duo priores a Clemente VII. tertius a Benedicto XIII. pseudo-Pontificibus electi; recensendi tamen fuerunt, ut Neap. Ecclesiae status per id temporis exhiberetur.
32. Ludovicus Boczutus. 1378
33. Nicolaus Zanasius 1384
34. Henricus Card. Minutulus 1389
35. Iordanus Card. Ursinus 1400
36 Ioannes IV. 1407
37. Iacobus de Rubeis 1415
38. Nicolaus de Diano 1418
39. Gaspar de Diano 1438
40. Raynaldus Card. Piscicellus. 1451
41. Iacobus Card. Theobaldescus. 1458
42. Oliverius Card. Carafa 1458
43. Alexander Carafa 1484
44. Bernardinus Card. Carafa 1503
45. Vincentius Card. Carafa 1505
46. Franciscus Carafa 1540
47. Raynuncius Card. Farnesius. 1544
48. Io: Petrus Card Carafa 1549
Qui postea Paulus IV. 1555
49. Alphonsus Card. Carafa 1557
50. Marius Carafa 1576
51. Paullus Card. de Aretio 1576
52. Annibal de Capua 1578
53. Alphonsus Card. Carafa 1596
54. Octavius Card. Aquaviva 1605
55. Decius Card. Carafa 1613
56. Franciscus Card. Buoncompagnus 1626
57. Ascanius Card. Philamarinus 1641
58. Iunicus Card. Caracciolus 1667
59. Antonius Card. Pignatellus 1686
Qui postea Innocentius XII. 1691
60. Iacobus Card. Cantelmus 1691
61. Franciscus Card. Pignatellus. 1703
62. Iosephus Card. Spinellus. 1735

63. Antoninus Card. Sersalius 1756
64. Seraphinus Philangerius 1776
65. Ioseph Card. Capycius Zurlus 1783
66. Ioannes Vincentius Monforte. 1802
67. Aloysius Card. Ruffo Scilla 1802
68. Philippus Card Iudice Caracciolo 1833
Xystus Card. Riarius Sfortia qui an. 1845. ad nostrae metropolitanae Ecclesiae Cathedram evectus, ut clerici in spem Ecclesiae succrescentes, qua litteris, qua moribus praefulgeant, maxime adlaborat: quemque Deus ad neapolitani Cleri, et populi amplissimum decus diutissime incolumen servet. 1845

INDEX

TITULORUM LIBRI II, ET III.

LIBER II.

LIBER III.

APPENDIX.



